Sore Dore Dore a nero

In Ius Ecclesiasticum
Commune ac Fidei Propagandæ

Praelectionum Summa

quas

in Scholis Pont. Collegi Urbani

Propagandae Fidei

F. Solieri Professor

Tradebat

Anno 1900 – 1901.

Pars 2.a

De Iure Privato Ecclesiastico

Prolegomena De legibus ecclesiasticis.

I. Solieri

Lit. O. Consorti, Via Bocca di Leone N. 12.

Monitum

Haec scripta ut discipulorum tantummodo utilitati inserviant minime vero ut in publicum prodeant.

INDEX RERUM.

1. Lex ecclesiastica est ordinatio rationis ad bonum commune societatis ecclesiasticae ab eo qui curam ipsius habet sufficienter promulgata.

2. Antiquitus leges Ecclesiae per legatos missos promulgabantur, a Martino IV. solum in Urbe Roma, hodie sive per legatos, sive transmittendo authentica exemplaria, sive leges affigendo solum in Urbe Roma.

3. Iure originario solum R. Pontifex Concilium Oecumenicum ac Episcopi dioecesani potestatem habent pro modo propriae iurisdictionis ferendi leges, alii iure derivato ac intra iuris limites.

4. Legibus dogmaticis omnes tenentur etiam infideles, legibus disciplinaribus omnes baptizati, at in praxi Ecclesia non intendit omnes acatholicos, ac omnibus suis legibus disciplinaribus obligare.

5. Orientales tenentur constitutionibus R. Pontificis dogmaticis, vel declaratoriis iuris naturalis aut divini, ac disciplinaribus si mentio fiat de Orientalibus. Quae exemptio a R. Pontificis voluntate procedit.

6. Legibus particularibus tenentur omnes qui aut realiter aut fictione iuris sunt de territorio, ac sunt simul in territorio.

7. Legislator non tenetur vinculo suae legis quod ab eo procedit, sed vel ex charitate vel

iure naturali ad id praestandum quod aliis praecipit.

8. Finis legum ecclesiasticarum remotus est vita aeterna proximus animarum sanctificatio; quilibet alius finis ad praedictos fines medii rationem habere oportet.

9. Obiectum legum ecclesiasticarum sunt actus fidelium qua socii sunt, et proinde actus externi.

10. Actus internus obiectum est legum ecclesiasticarum qua forma sit actus externi.

11. Actus praeteriti aut praesentes non cadunt sub lege praeceptiva, cadere possunt sub lege declarativa, irritante, ac inhabilitante.

12. Vis legis ecclesiasticae est directiva, et coactiva; non datur lex ecclesiastica mere poenalis.

13. Lex ecclesiastica ratione subiecti est universalis vel particularis, ratione obiecti disciplinaris et dogmatica, ratione sui praecipiens, prohibens, poenalis, permissiva, declarativa, irritans; ratione causae efficientis est decretum Episcopi, constitutio Pontificis, lex conciliaris oecumenica, vel nationalis, vel provincialis, vel synodalis. Constitutio Pontificis ratione materiae est vel Decretum, vel Epistola Decretalis seu rescriptum, vel litterae Encyclicae; ratione formae est vel Bulla, vel Breve.

14. Lex ecclesiastica cessat ab intrinseco cessante eius fine, vel praevia declaratione Legislatoris vel non.

15. Cessat ab extrinseco per abrogationem, derogationem, irritationem, dispensationem.

16. Maxime differt consuetudo facti a consuetudine iuris.

10 17. Consuetudo iuris differt a lege, praescriptione, traditione.

18. Consuetudo ratione subiecti est generalissima, generalis, specialis, specialissima; ratione obiecti est iudicialis vel extraiudicialis; ratione legis promulgatae est iuxta ius, praeter ius, contra ius.

19. Consuetudo ad ius inducendum nonnulla requisita cum lege promulgata communia habet, nonnulla propria.

20. Requisita communia consuetudinis cum lege reducuntur ad rationabilitatem.

21. Requisita propria sunt: ex parte principis consensus tacitus vel praesumptus, ex parte consuetudinis ut sit legitime praescripta; ex parte communitatis ut haec sese obligare intendat.

22. Ex his liquet in quo differat et in quo conveniat consuetudo cum lege promulgata.

23. Consuetudinis effectus est vel novum ius inducere, vel ius latum abrogare, quod non semper locum habet secundum quod agitur de consuetudine iuxta, praeter, vel contra legem naturalem, divinam ac ecclesiasticam.

24. Consuetudo cessat ab intrinseco cessante fine consuetudinis, ab extrinseco uti lex promulgata.

25. Clausula "non obstante quacumque consuetudine" non abrogat consuetudinem immemorialem nisi de hac mentio fiat, nec consuetudinem futuram omnino impedit nisi haec reprobatur uti iuris corruptela.

11 26. Rescriptum est: responsum Principis in scri=

pto datum ad alicuius supplicationem vel relationem, vel consultationem circa ius intelligendum.

27. Triplex est pars petitionis cui respondent tres partes Rescripti.

28. Rescripta ratione subiecti sunt generalia vel specialia; ratione obiecti sunt gratiae vel iustitiae, ratione iuris promulgati sunt iuxta, vel praeter, vel contra ius.

29. Omnes fideles rescripta obtinere possunt nisi lege prohibeantur, uti generaliter loquendo prohibentur excommunicatus.

30. Vis rescripti est referenda in parte dispositiva.

31. Partes narrativa, ac exornativa rescriptorum antiquitus remittebatur ingenio capellanorum, hodie Officialium sacr. congregationum.

32. Rescriptum non gignit nisi ius particulare, per accidens ius universale.

33. Rescripta iustitiae vim habent a die praesentationis iudici delegato, quoad statum quaestionis a tempore datae, item de rescriptis circa gratiam faciendam; Rescripta gratiae factae vim habent a tempore datae.

34. Rescripta ab initio vim non habent ob nonnulla vitia extrinseca; vel intrinseca.

35. Rescriptum praesertim vim non obtinet si obreptitium sit vel subreptitium.

36. Rescriptum aliis vitiis intrinsecis ab initio invalidum est.

37. Tractu temporis rescriptum vim amittit multipliciter.

38. Sacrorum Tribunalium decisiones per se ius particulare inducunt, per accidens ius universale

39. Concordata leges mixtae sunt.

92 40. Privilegium est "concessio pluries permanens seu perpetua qua contra vel praeter ius commune aliquid speciale alicui personae a legislativo superiore largitur."

41. Privilegium utpote ius singulare a caeteris legibus differt.

42. Privilegium temporaneum a dispensatione.

43. Omnes fideles privilegia obtinere possunt nisi lege prohibeantur.

44. Solus ille potest privilegium dare qui potest legem ferre.

45. Privilegium est reale vel personale aut mixtum; favorabile vel odiosum; ex iure vel rescripto Principis; concessum motu proprio vel ad instantiam; gratuitum, remunevatorium, onerosum.

46. Privilegia acquiruntur concessione, praescriptione, communicatione indirecte vel directe.

47. Tandem acquiruntur confirmatione.

48. Privilegia cessant vel ex parte concedentis, vel ex parte privilegiati, vel ex parte privilegi

49. Regulae Cancellariae sunt "constitutiones quaedam pontificiae maiori ex parte concernentes causas et reservationes beneficiales.

50. Explicatur regula 19. de viginti, 20 de idiomate, 35. de annuali possessione, 36. de triennali possessione, et 9. de mensibus papalibus.

51. Regulae Cancellariae cessant morte Pontifi-

cis; non amplius promulgantur sed officialibus Cancellariae communicantur.

52. Usque a primis Ecclesiae temporibus leges Ecclesiae in Archiviis, Chartariis, scriniis ect. servabantur.

53. Collectiones legum Ecclesiasticarum aliae corpus iuris canonici antecedunt, aliae efformant, aliae consequuntur, hinc distinctio in ius vetus, ius novum, ius novissimum.

54. Collectio constitutionum apostolorum, prouti apostolorum dicatur, apocrypha est.

55. Item dicendum de collectione canonum apostolorum; attamen hac collectiones ad cognoscendam disciplinam Ecclesiae trium priorum saeculorum non sunt in omnibus spernendae.

56. Collectio Ivonis Scholastici nullam habet auctoritatem extrinsecam, non magnam intrinsecam utpote collectoris in Sede Constantinopolitana Patriarchali intrusi.

57. Item dicendum de collectione Trullana.

58. Item et multo magis de collectione Photiana praesertim cum commentariis Zonaras et Balsamonis.

59. Collectio Dionysii Exigui nullam habet auctoritatem extrinsecam, magnam vero intrinsecam.

60. Nullo modo est attendenda collectio Isidori Mercatoris, attamen non fuit hac de causa immutata substantialiter Ecclesiae disciplina, ac in ea nil contra fidem ac bonos mores reperitur.

61. Collectio Ivonis Carnutensis notatu digna

est quia. Is primus apud latinos, uti apud Orientales Ioannes Scholasticus leges civiles simul cum ecclesiasticis collegit.

62. Gratiani decretum nullam auctoritatem extrinsecam habet utpote non approbatum a R. Pontificibus neque ab Eugenio III. neque a Gregorio XIII. neque universali consuetudine; neque magnam habet auctoritatem intrinsecam ob errores quibus etiam post repetitas correctiones scatet.

63. Post Gratiani decretum aliae apparuerunt collectiones praesertim Innocentii III. ac Honorii III at omnes in desuetudinem abierunt cum Gregorii IX. collectio apparuerit.

64. Collectio Gregorii IX. per B. Raymundum de Pennafort confecta est adductis decretalium fragmentis, qua in re nimis B. Raymundus excessit.

65. Plenam habet haec collectio auctoritatem extrinsecam cum fuerit a Gregorio IX adprobata ac magnam habet intrinsecam, etiamsi aliquid amplius a B. Raymundi scientia fuisset desiderandum.

66. Sextus Bonifacii VIII. plenam habet auctoritatem extrinsecam et intrinsecam.

67. Clementinae pariter plenam habent auctoritatem extrinsecam et intrinsecam cum a Ioanne XXII. adprobatae sint.

68. Extravagantes Ioannis XXII plenam habent auctoritatem intrinsecam, communi usu, ex propria origine earum attenta genuinitate auctoritatem extrinsecam obtinuerunt.

69. Corpus iuris Canonici constat decreto Gratiani,

decretalibus Gregorii IX. Sexto Bonifaciano, Clementinis, ac Extravagantibus Ioannis XXII, et extravagantibus communibus.

70. Post collectiones quae iuris canonici corpus constituunt, plures collectiones prodierunt tum ex canonibus Conciliorum, tum ex constitutionibus Romanorum Pontificum, tum ex decisionibus ss. Congregationum. Praecipue sunt canones Concilii Tridentini, Magnum Bullarium, Bullarium Benedicti XIV.

71. Thesaurus resolutionum s. Congr. Concilii, collectio decretorum S. Congr. Indulgentiarum, Ius Pontificium ac Collectanea Propagandae Fidei.

72. Iuris Canonici scientia differt a iurisprudentia quae in obiectivam, ac subiectivam dividitur.

73. Interpretatio est authentica, usualis et doctrinalis.

74. Doctrinalis interpretatio est declarativa, extensiva, restrictiva.

75 In interpretatione declarativa procedi potest vel per viam philologicam, vel per viam philosophicam. In omni casu nonnullis principiis attendendum est quae regularum omnium interpretationis sunt fundamentum.

76. In iisdem principiis fundamentum habent extensivae interpretationis regulae.

77. Item regulae restrictivae interpretationis.

78. Ad Epicheiam seu restrictivam interpretationis reducuntur passim quae de ignorantia in iure statuuntur.

79. Nonnullae regulae circa clausulas interpretandas traduntur.

80. Nonnullae clausulae interpretantur.

81. Nonnullae regulae traduntur ad leges particulares interpretandas.

82. Item de rescriptis iustitiae.


83. Item de rescriptis gratiae.

84. Item de rescriptis sive gratiae sive iustitiae.

85. Item de concordatis.

86. Item de privilegiis.

87. Item de dispensationibus.



Prolegomena

De Legibus Ecclesiasticis.

1. In omnibus perfectis societatibus leges propriae dictae habentur, sive quae ab ipso Principe promulgantur, sive quae ipsius populi facto nempe ex consuetudine tacito vel praesumpto eiusdem Principis consensu introducuntur. Aliquando autem aliae sunt leges quae etiamsi proprie sub legis nomine non veniant neque uti leges sint a Principe promulgatae, attamen legis effectum habent, quae leges improprie dictae appellari possunt. Quia autem maxime interest ut leges quae sociis regula et norma sunt actionum, in oblivionem aut malorum opera in corruptionem non deveniant, Principes in unum quod iuris corpus dicitur, leges colligere consueverunt, quodque ad Magistratus applicare et interpretare pertineret. Quod et in Ecclesia fieri videmus. Quare distinctis titulis videbimus a) de legibus ecclesiasticis proprie dictis promulgatis vel consuetudine introductis b) de legibus ecclesiasticis improprie dictis c) de legum ecclesiasticarum collectionibus d) de legum ecclesiasticorum interpretatione.

Titulus 1.us

De legibus proprie dictis.

Iuxta ordinem praestitutum videbimus distinctis capitibus a) de legibus proprie dictis promulgatis b) de legibus proprie dictis non promulgatis sed consue-

tudine introductis.

Caput I.

De legibus proprie dictis promulgatis.

Videbimus 1°) de legum ecclesiasticarum definitione et promulgatione 2) de causa efficiente ac de subiecto legum ecclesiasticarum 3) de fine, obiecto, ac de vi legum ecclesiasticarum 4) de divisione legum ecclesiasticarum 5) de legum ecclesiasticarum cessatione.

Articulus I.

De legum ecclesiasticarum definitione et promulgatione.

Summarium: 1. Lex definitur - 2. quomodo lex ecclesiastica promulgatur.

1. Lex est "ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata". Dicitur ordinatio rationis, eo quia lux uti ait S. Thomas (1) non est nisi regula et mensura quaedam iuxta quam aliquis inducitur ad agendum vel ab agendo retrahitur: dicitur lex a ligando.

Qui supremam in societate habet potestatem, ius habet socios compellendi ad finem socialem consequendum, et quia socii a fine prohiberi possunt vel quia non agunt ad finis consecutionem, vel quia contra finem se gerunt, suprema potestas socios ad finem duplici

---

(1) 1a 2ae q. 30. art. 4. art. 3. et 1. De legis definitione Cf. leg. 1. h. t. ff. Suarez de leg. Lib. 1. cap. 10.

ter compellere potest vel eos inducendo ad agendum, vel eos ab agendo retrahendo. Quod ut obtineat oportet ut regulam vel mensuram vel ordinationem suis imponat, iuxta quam et intellectus concordent, et voluntates uniantur, et media coordinentur ad finem. Quae tamen ordinatio secundum rationem esse oportet tum ex parte legislatoris, tum ex parte subditorum (1). Ex parte legislatoris, cum legislator legem imponat, eo quia eam uti medium idoneum necessarium vel utile ad finem consequendum cognoscit. Hinc lex uti ait Suarez pertinet ad actum intellectus et voluntatis (2); hinc lex ut ait Cicero est "naturae vis, mens et ratio prudentis" (3). Est lex ordinatio rationis ex parte subditorum, qui ad finem propriis actibus, ac salva humana libertate compelli debent; humanorum autem actuum regula et mensura est ratio primum in agendis principium.

Obiectum huius rationalis ordinationis est finis socialis, ideoque bonum commune id est communitatis. Eatenus suprema auctoritas ius habet regulas et normas idest leges imponendi, quatenus hae necessitatis aut utilitatis ordinem habeant ad finem. Ius enim supremae auctoritatis sociorum obligationem consequitur, prouti diximus, ideoque non praetergreditur finem (4). Finis autem socialis est bonum

---

(1) Gratiani in c. 5. distinct. 1ª

(2) Suarez l. 1. cap. 4. n. 67.

(3) 1. de legibus - Isidorus 25 Etymol. c. 10.

(4) Cf. quae in par. 1ª de iur pub. ec. dicta sunt l. 2. t. 1. cap. 2°.

totius communitatis, tum quia non intelligitur societas cuius finis sit malum, tum quia nonnisi sub ratione boni socii ad finem tendunt, cum voluntatis obiectum sit bonum, tum quia finis socialis omnes socios tangit (1). Ceterum lex pro communitate fertur ergo illius bonum per se primo curare debet (2).

Insuper haec rationis ordinatio ad bonum commune ad illum spectat qui communitatis curam habet, nempe qui supremam in communitate potestatem habet. Etenim a) haec ordinatio est ad finem socialem consequendum, at ordinare ad finem non est nisi eius cuius est finis, nempe qui est supra finem, ad quem alios cogit, aut propria aut aliena auctoritate. Et sane ordinare ad finem non est, nisi exigere a sociis solutionem obligationis, qua socii ad finem consequendum tenentur. Ille autem solum potest exigere solutionem obligationis ad finem qui, quatenus talis, obligationi non subiicitur. Tales in societate est supremus legislator in quo, uti in suprema sociali auctoritate omnia societatis iura tamquam in subiecto resident. b) Quod confirmatur quia illius est ordinare ad finem cuius est imponere finem uti diximus. Si agatur de societate necessaria finis imponitur a iure praevalente, si de societate voluntaria finis necessitas consequitur ex obli-

---

(1) D. Thom. 1a 2ae q. 90. ibi Caiet. L. 1. 2. ff. de leg. Cod. l. 3. 10. Decr. cap. 6. Cicero l. 3. de leg.

(2) Cf. Suarez de leg. lib. 15. cap. 6. et cap. 7. ff. l. 8. de leg. Decr. cap. 4. 2. l. 1. cap. 2. dist. 4.

gatione quam libere socii suscipiunt consequendi finem. Iam in societate necessaria suprema auctoritas vel iure praevalente designata, vel electa a multitudine, ius praevalens ut ita dicam repraesentat, ac nomine iuris praevalentis finis consecutionem urget. Ita in societate voluntaria est suprema auctoritas, in qua residet ius quod ex pacto sociali consequitur, quo socii ad finem compelluntur (1). Tandem qui praecipit, oportet ut sit supra illum in quem cadit praeceptum, atqui lex est praeceptum in totam communitatem, ergo legislator est qui curam habet communitatis (2).

Promulgatio. Insuper lex oportet ut sit promulgata. Promulgatio est: "authentica legislatoris manifestatio communitati indicta (3)." Iam lex imponitur per modum regulae et mensurae (4) regula autem et mensura imponitur quatenus regulatis ac mensuratis applicatur. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum lex deducitur ex ipsa promulgatione (5). Ita lex naturalis in creaturis rationalibus

---

(1) Cf. l. 2. oct. ff. de legibus. - Gregor. IX. in proem in Decretal.

(2) Cf. Suarez op. cit. l. 1. cap. 8.

(3) L. 9. Cod. h. t. - cap. 1. de postul. Praelat. cap. 1. de concess. Praeben. in P. - D. Thom. 1ª 2ªe 90. 4.

(4) L. 1. §. 2. ff. de legibus - D. Thom. 1ª 2ªe 90. 1 - et 96. art. 1.

(5) D. Thom. De verit. quaest. 17. art. 3. 1ª 2ªe q. 90. a. 4.

per modum cognitionis communicatur uti notavimus in prolegomenis 1.ae partis.

Ex hac legis definitione aperte liquet quaenam sint legis requisita ut vim habeat obligandi. Ex parte legis requiritur ut lex sit rationabilis (1), ideoque ut sit iusta (2), honesta, possibilis, manifesta (3) et perpetua (4) tum ex parte legis, tum ex parte subditorum; ex parte legis eo quia perseverat donec fiat inutilis (de quo inferius), ex parte subditorum quia omnes subditos obligat et futuros (5). Ex parte autem Legislatoris seu illius qui legiferam iurisdictionem in subditos habet, requiritur tum ut voluntatem habeat obligandi subditos, tum ut suam legem certo modo promulget.

Ex his consequitur, legem differre a praecepto quia praeceptum est privatum, extinguitur morte praecipiendis, non est territoriale sed personale.

Hisce praehabitis lex ecclesiastica definiri potest: "ordinatio rationis ad bonum commune societatis ecclesiasticae ab eo qui curam ipsius habet sufficienter promulgata." Definitio Legis Ecclesiasticae

2. Post ea quae diximus de lege in genere non supe=

---

(1) Gratian. in c. s. dist. 1.a Suarez op. c. l. VIII. 30. 20.

(2) Suarez op. c. lib. 1. cap. 9.

(3) Cap. 25. l. v. de verb. signif. Quare lex dubia non obligat l. 9. Cod. de leg. ex cap. 31. Bened. XIV. Inst.

(4). L. 8. q. h. t. ff. § 11. de iure nat. et gent. Suarez l. 1. c. 10.

(5) Cap. ult. de off. Leg. Suarez o. cit. c. XI. 1. Cf. Ben. XIV. de syn. dioec. l. 6. c. 3. Isid. l. 2. etym. c. 10. D. Thom. 1. 2.ae q. 95. a. 3.

rest, nisi de legibus ecclesiasticis dicamus quomodo promulgentur. Antiquitus mos erat ut leges quae Romae promulgarentur ad ordinarios mitterentur per diaconos vel presbyteros (1), ut in qualibet dioecesi promulgarentur, atque inde obligare inciperent. Verum tractu temporis et praesertim saeculo tertio decimo, cum Principes saeculares legum ecclesiasticarum promulgationem impedirent, a Pont. Martino IV. praxis (*) inducta est ut lex Pontificis Romae tantummodo in locis populo frequentioribus promulgarentur. Nostris novissimis temporibus leges Pontificis vulgari coeperunt in Acie Campi Florae, ad valvas Curiae Innocentianae, et Cancellariae Apostolicae, nec non ad valvas Basilicae SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hodie ad valvas Curiae Innocentianae publicatio omittitur ob immutatam loci conditionem. Ceterum haec promulgatio sufficit, ut lex in sua essentia constituatur. Quod probatur ex facto. Siquidem in Curia Romana totius orbis lites definiuntur iuxta leges Pontificias Romae publicatas, etiamsi alibi promulgatae non sint. Item plura adsunt decreta, quae Romae tantummodo promulgata sunt, quae in corpore iuris canonici inserta non sunt; ita Bulla Coenae Romae tantummo-

ubi promulgantur (lege Ecc. ...)

---

(1) Cf. Zaccar. Antif. tom. 11. diss. XI.

(*) Nota. Et sane Mart. IV. primum affixionis exemplum praebuit, qui anno 1281 Imperatoris Michaelis Paleologi excommunicationem in ostiis maioris Urbevitanae ecclesiae ubi degebat Pontifex suspendi fecit. Bull. Rom. tom. III. p. 2. Cf. Aichner. op. c. §. 207.

do ut pluries promulgabantur. Tandem cum Pontifices specialem in provinciis promulgationem volunt id declarant, prouti accidit de Tridentino decreto "tametsi" relate ad matrimonium clandestinum, quod Tridentinum promulgari voluit in singulis parochiis in quibus vim non haberet nisi post 30 dies a facta promulgatione nomine Concilii Tridentini (1).

Hinc Nicolaus I. in epistola ad Photium, qui Constantinopolitanam sedem, contra Conciliorum auctoritate et Pontificum decreta occupare attentaverat, sese excusantiem ex eo quod praefata Conciliorum et Romanorum Pontificum decreta non habuerit respondit pontifex: "quod si ea non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi; si habetis et non observatis, de temeritate estis arguendi et increpandi" (2). Eadem Innocentius III. Decano et capit. Senon quoad Episcopum Antissiodervensem declarat (3). Ceterum pluries declaratum est Bullas generalem etiam disciplinam spectantes ubique locorum obligare, ex quo Romae publicatae sint, quemadmodum constat de bullis contra sollicitantes et contra sectam a liberis aedium fabris ex decreto S. Officii an. 1838,

---

(1) Cf. Suarez de leg. l. 4. c. 15. Et cap. 40. Decr. v. 3.- c. 12 Decr. v. 33.- cap. 4. §. 1. Decr. v. 20.

(2) Can. quod dicitis 12 dist. 17. in Decreto Harduin. tom. 5. Concil. Cf. caput de concess. Praebend. D'Annibale pag. 792. v. 1.

(3) Cap. 1. de postul. Prael.

quo edicitur eas obligare in Hollandia licet ibidem promulgatae non fuissent. Item ex clausola quae bullis apponi solet constat Pontifices velle decreta sua obligatoria absque speciali in provinciis promulgatione (1).

Et ratio est quia ex una parte non est de ratione legis ut certo et determinato ritu promulgatio fiat aut ac determinatis locis lex publica adfigatur vel proclametur, uti inquit Van Espen (2), et ex altera ex promulgatione Romae facta satis facile est ut omnes fideles in legum cognitionem deveniant, attento praesertim humano commercio inter Urbem et Orbem; quod constat ex facto; ita ut dici possit cum clarissimo Politi (3) "longe facilius esse constitutionum quae Romae eduntur, cognitionem capere, quam Romanum Pontificem eas tam longa tam difficili, tam impedita promulgatione erogare."

Verum etiamsi ex promulgatione Romae facta lex in sua essentia constituatur, ita ut dici possit talem legem existere, tamen nemo adeo ineptus est qui putet leges ecclesiasticas, statim ac Romae promulgatae sint omnes obligare et qui dissitas incolunt regiones. Aliud est legem ratione sui posse omnes obligare, aliud revera omnes obligare; ad hoc secundum requiritur vel scientia legis promulgatae, vel saltem ignorantia culpabilis quae in iure scientiae aequipa-

---

(1) Cf. Aichner op. cit. § 207.

(2) De promulg. leg. p. 1. c. 1.

(3) Iuris eccles. univ. tom. 1. proem. c. 3.

ratur (1). Ceterum huius promulgationis vis est ut iuris praesumptionem inducat (2), ita ut praesumatur omnes leges cognovisse nisi contrarium probetur (*). Quae dicta sint etiam contra Iansenistas, Gallicanos aliosque in singulis provinciis promulgationem exigentes.

Lex canonica statim per se obligare incipit ac promulgata est nisi aliter R. Pontifices statuerint. Quare non videtur accipienda sententia eorum (**), qui dicunt ius canonicum hac in re iuris civilis Romanorum et praesertim iustinianaeas dispositiones accipere iuxta illam regulam "ius canonicum ubi silet accipit dispositiones iuris civilis Romanorum quae tamen non sint contra bonos mores aut leges ecclesiasticas (3). Etenim a) haec regula

---

(1) D. Thom. de Verit. 17-3.

(2) Innocentius I. ad Exsuperium Episcopum Tolos. can. 2. dist. 82. in decreto.

(3) Cap. 1. de Nov. op. nunc. Ita notat d'Annibale.

(*) Nota. Quare optime distinguendum est cum cl. Aichner l.c. inter promulgationem et evulgationem legis. Promulgatio est actus legalis quo lex communitati denunciatur; ad evulgationem vero pertinent modi, et media quibus lex iam promulgata in singulorum notitiam producitur.

(**) Nota. Cf D'Annib. pag. 193. vol. 1. qui postquam diversas sententias retulerit, iuxta omnium DD. sententiam statuta diocesana postridie obligare animadvertit. Reiff. I. 2. 112. Bened. XIV. de Syn. XIII. 42,

valere videtur ubi non agitur de exceptionibus; cum exceptiones magis rerum, personarum, aut locorum circumstantiae suadeant quam rei natura. Est autem exceptio legem statim post promulgationem non obligare, aut in singulis provinciis legem promulgandam esse b) haec regula valet ubi contraria Ecclesiae praxis non invaluerit, cum hoc facto satis Ecclesiae voluntas appareat legis civilis non recipiendae (1).

Neque ut lex Pontificis obliget requiritur ut ab Ecclesiis acceptetur uti praesumit Febronius. Etenim hoc iurisdictionis Primatum destrueret (2). Attamen Episcopus intelligens Ap. Sedis legem in Dioecesi sua noxium aliquem producere effectum, non modo suas Romano Pontifici rationes repraesentare non prohibe-

---

191. ex iure civili L. 25. de rit. nup. interpretatur cap. 8. de consanguin. Nam ius canonicum in hoc capite prohibet quominus ultra 4 gradum prohibeatur matrimonium: at in linea recta ex cit. lege civili interpretatur et ius canonicum prohibere in infinitum. Nomine autem iumodi, et media quibus lex iam promulgata in singulorum notitiam producitur.

(1) Cf. Suarez l. 1. c. XI. et l. 4. c. XIV. E contra Bouix de principiis iuris can. p. 166. 202. Phillips. K. R. 5. B. §§. 204. 205.

(2) Clemen. XI. constit. Gratulamur 15 Ian. 1706. contra Iansenistas Pii VI. Bul. Auctorem fidei pr. 2.

tur quin potius ad id omnino tenetur (1). Durante supplicationis tempore usque dum Pontifex rescripserit, legis obligatio ipso facto suspenditur. Quod tamen locum haud habet a) si agatur de legibus dogmaticis, de legibus quibus lex lata interpretatur, de legibus ad ritus, sacramenta, ac clericorum vitam respicientibus (2). At vero aliquando accidit ut leges vim non habeant eo quia in moribus acceptatae non sint; quod ex contraria consuetudine accidit: qua lex abrogatur vel melius impeditur, etiamsi peccent qui primi contra legem egerunt (3).

Articulus 2.

De causa efficiente ac de subiecto legum ecclesiasticarum.

Summarium: 3. Quinam in Ecclesia habeant potestatem condendi leges: 4. Quinam teneantur legibus Ecclesiae.-5. Exceptio quoad orientales.-6. Quinam teneantur legibus particularibus.-7. An legislator teneatur suis legibus.

3. Non est deducendum omnes leges ferre posse qui

---

(1) Bened. XIV. de Syn. dioeces l. IX. cap. 8. n. 3. Cf. Suarez op. cit. c. 16. n. 7.

(2) Cf. Aichner op. c. § 207. n. 3.-Bouix de princip. iuris can. p. 166. Ben. XIV. op. et l. cit.

(3) C. 3. 4. gloss. leges instituuntur cum promulgantur; firmantur cum moribus utentum adprobantur, Zallinger h. t. § 186.

iurisdictione gaudent. Etenim saltem gradus, qui ecclesiasticae sunt institutionis, cum quoad originem iurisdictionem delegatam habeant, ea pollent potestate quae eis concessa est. Hinc certe ferendi leges, iure divino, potestatem habent Summus Pontifex in universa Ecclesia (1) et Episcopi in suis dioecesibus. At cum Episcoporum iurisdictio sub Pontificis dependentia exerceatur Episcopi, neque ferre leges possunt contra ius commune (2) neque contra Pontificis voluntatem in casibus particularibus (*) Ex iis autem, qui iurisdictionem superepiscopalem aut quasi episcopalem a Romano Pontifice acceperunt, ferre leges Metropolitanis in provincia, Primatibus in natione Patriarchis in patriarchatu concessum est, at solum in conciliis nationalibus et provincialibus, et quidem iuxta (3) iuris communis praecepta, quibus huiusmodi concilia moderantur. Legati potestatem habent ferendi leges in suae Legationis provincia iuxta suae legationis mandatum ac iuris dispositio-

---

(1) Dist. 19. cap. 4. de auct. patii - cap. 3. de constit. can. 23. dist. 21.

(2) Can 4. dist. 50. arg. can. 4. dist. 21. Clemen. 2. de electi: cap. 9. de Maior. et Obed. cap. 8. de excess. Praelat.

(3) Cap. 11. de off. ord. Cf. Santi praelect. h. t.

(*) Nota. In hoc differt societas civilis, in qua nonnisi ad supremam potestatem pertinet iure proprio leges ferre cum in societate civili unica sit potestas quae iure proprio procedat et a qua aliae potestates ex eius delegatione dimanant.

nes (1). Abbates ac Vicarii Apostolici potestatem habent ferendi leges, quae a iure ac delegatione conceditur; Cardinales tamen Sede Pontificali vacante leges per universa Ecclesia ferre nequeunt (2) nisi enim in negotiis mora impatientibus, ut ait Aichner, Primatus potestatem exercent, quae caeteroquin est personalissima (3). In suis tamen titulis leges ferre possunt quae Ecclesiae servitium concernunt circa disciplinam ac morum correctionem. Quod ab Innocentio XII qui antequam Cardinalium potestatem coarctavit statutum est (4).

Ex iis qui potestatem infra episcopalem habent in foro externo, nemo leges ferre potest nisi speciali ei modo concedatur, ita nec Vicarius Generalis, nec Vicarius Foraneus leges ferre possunt. Parochus autem iurisdictionem habet in foro interno.

Quod autem pertinet ad personas morales iure divino ferre leges Concilii Oecumenici est quatenus cum Romani Pontificis consensu coniungitur. Concilium provinciale sub Metropolita, nationale sub primate, et Synodus Diocaesana ex Ecclesiae voluntate leges ferre possunt iurisdictioni suae ac iure canonico accomodatas ac proportionatas, tum quoad territorium quam quoad legum materiam. Ius autem commune determinat quinam in his conciliis ius habe-

---

(1) De off. leg. cap. fin.

(2) C. 3. de elect. in VI. Clem. cap. 2. eod. tit.

(3) Op. cit. §. 109.

(4) Innoc. XII. Cons. Rom. Pont. die 17. Sept. 1692.

ut consultivum vel deliberativum, nec non modum rectae celebrationis (1). Ex collegiis ordinis Senatorii etiamsi qua talia non habeant potestatem ferendi leges, tamen inductum est, ut Capitulum Ecclesiae Cathedralis, Metropolitanae etc. sede vacante ius habeant ferendi leges (2). Attamen a Tridentino Concilio statutum est, ut intra octo dies a vacatione Vicarius Capitularis eligeretur, cui Capitulum totam iurisdictionem et quidem irrevocabiliter transferre debeat, et ad quem proinde pertinet ferendi leges potestas in suam diocesim (3). Ceterum sede plena Capitula possunt sibi aliqua statuta constituere quibus ipsi citra Episcopi ac Ecclesiae praeiudicium obligantur (4). Quod dictum est de Capitulis de Cardinalibus dici non valet. Potestas enim Pontificalis mortuo Pontifex ad Cardinales non transit (5), ideoque ipsi solum aliqua disponere valent pro instantibus necessitatibus (6). Iura enim primatialia in Ecclesia exclusive ad Romanum pertinent Pontificem. Attamen Cardinales leges ferre possunt in suis Ecclesiis titularibus in quibus ex pri-

(1) C. catholica dist. 11. c. concilia dist. 17. et dist. 18. Arg. ex Trid. sess. 24. cap. 2. c. 9. de M. et O. c. 2. t. 3. l. 2. in VI.

(2) c. cum olim de M. et O. in decr. et in 6. c. 3. et ult. de sup. neg. in 6°.

(3) Trid. sess. 24. cap. 16.

(4) c. 6. h. t. et c. 9. de consuet. Cf. Machat op. c. l. 1.

(5) Greg. X. in Conc. Lugd. in c. 3. de elect. in VI. Clem. c. 2. 4.

(6) Cap. 3. de elect. in 6°. cf. Suar. o. c. lib. 4. cap. VI.

vilegio uti ordinarii habentur, ut supra dictum est. Collegiis ordinis administrativi per se non conceditur ferre leges tamen aliquando eorum decisiones vim legis habent, quod inferius videndum est.

4. Cum lex sit pro communitate membra tantummodo communitatis Legislatoris lege obligari possunt (1), quod ex dictis satis, aperte deducendum est. Nisi excipiatur lex ecclesiastica dogmatica quae ius novum non inducit, sed ius a Deo constitutum ac in scripturis vel traditione revelatum, infallibiliter proponit. Sicut igitur omnes homines iure divino, cum legibus dogmaticis subduntur. Impresentiarum sermo est de legibus ecclesiasticis disciplinaribus. Leges ecclesiae disciplinares sunt generales vel particulares. Legibus ecclesiasticis disciplinaribus generalibus obligantur quotquot sacramentum baptismatis receperunt ac rationis usum adepti sunt, quod in iure post septennium praesumitur (2). Etenim per baptismatis sacramentum aliquis Ecclesiae subditus fit immutabiliter (3). Nam per baptismatis susceptionem, aliquis fit Ecclesiae subditus non per gratiam sanctificantem, quae amitti potest, sed per caractherem qui suscipienti imprimitur, atqui caracther est signum

---

(1) L. 2. ff. de LL. Cf. quae supra dicta sunt cap. I. de const. et cap. 10. cod. tit.

(2) Cap. 1. de const. c. 12. 13. de desp. impub. c. 12 de poenit.

(3) Trid. sess. 14. c. 2. de poenit. et can. 13. sess. 7.

indelebile, immutabile, ergo et eius effectus est immutabilis (1), adeo ut qui semel est valide baptizatus permanenter et immutabiliter fuit Ecclesiae subditus. Fit tamen quoad leges poenalis exceptio quae nonnisi puberes feriunt (2).

Hinc etiam schismatici, excommunicati, haeretici Ecclesiae legibus subiiciuntur. Verum Ecclesia miseratione suis legibus haereticos et schismaticos obligare non intendit, qui in ipsa haeresi nati, sunt; nisi leges excipiantur quae latae sunt vel ab abusus compescendos, vel ad publicam moralitatem et utilitatem, prout sunt leges matrimoniales circa matrimonii impedimenta (3).

5. Qua in re, notandum est, quaesitum fuit an fideles Orientales omnibus legibus ecclesiasticis teneantur quae a Romanis Pontificibus promulgantur.

Ex litteris encyclicis S.C. de Propaganda Fide 8 Nov. 1882. responsum fuit "iuxta decretalem Inno=

---

(1) Trid. Sess. 7. can. 9. de sacr. in gen.

(2) C. 1. 2. de delictis impuberum.

(3) Bened. XIV. const. "Magnae nobis." 29 Iunii 1748. Const. "ad tuas manus" 8. Aug. 1748. Const. "Singulari nobis" 9. Feb. 1749. Ex litt. 12. Sept. 1750 ad Episc. Vratislaviens; Pii VI. Rescript. ad Card. de Frangeberg, ex Brevi Pii VII. 8. Oct. 1803 ad Arch. Magun. Cf. Layman in c. can. n. 2. de constit. Reinff. eodem n. 274. Schmal. eodem §. 6. n. 35. Aichner op. cit. §. 208 cap. 1. de const.

centii 3. vel Concilii Lateranensis IV. "Licet graecos" et iuxta sententiam cuiusdam Theologorum congregationis coram Cardinali Pamphili (1631) coadunatas nec non iuxta doctores maioris notae ac ipsius Lambertini (Benedicti XIV) hanc esse S. Congr. Fidei Propagandae sententiam: in constitutionibus nempe Apostolicis Orientales comprehensos non esse nisi 1) de rebus fidei ac doctrina catholica agatur, vel 2) nisi Apostolicis constitutionibus lex naturalis aut divina declaretur 3) et tandem nisi in legibus disciplinaribus expresse mentio fiat de Orientalibus. Haec doctrina, addit S.C., „etiamsi a Santa Sede expresse probata non sit, tamen ab immemorabili servatur apud Orientales, ac a theologis defenditur (1). Imo quae Romanus Pontifex pro uno ex diversis ritibus orientalibus statuit ad alios extenda haud sunt nisi de his expresse R. Pontifex caveat (2).

6. Legibus particularibus subditi illius societatis particularis tenentur, a cuius legitima auctoritate lex dimanat. Ita v.g. religiosi exempli non obligantur legibus dioecesanis exceptis tamen iure excipiendis (3). Verum duo requiruntur copulative ut quis

Leges particulares

---

(1) Cf. Card. Hergenroether in Arch. f. K.l.7. p. 198. sq. Papp.-Szilàgyi p. 46. Collect. S.C. de Prop. F. n. 113.

(2) Benedict. XIV. Const. Etsi pastoralis 26. Maii 1742. §.8. n. 24. Card. Hergen. l. c. p. 200. Papp. Szilàgyi l. c. § 23. p. 43. sq. et § 55. p. 120.

(3) Trid. sess. 25. c. 12-14-22. de Regul. et Monial.

ligetur legibus particularibus nempe 1) ut sit in territorio 2) ut sit de territorio; in utroque casu vel realiter vel fictione iuris. Hinc traditur principium "extra territorium ius dicenti impune non paretur" (1). Ille est in territorio qui actu ibi reperitur; ille est de territorio qui ibi domicilium habet. Quare peregrini, qui nempe domicilium relinquunt animo revertendi, non obligantur legibus proprii domicilii quia actu non sunt in territorio (2), neque tenentur legibus particularibus loci ubi resident quia etiamsi sint in territorio, tamen non sunt de territorio (3). Verum fictione iuris aliquis censetur in territorio [in proprio territorio seu antiquo] 1) qui proficiscitur in fraudem reservationis (4) 2) quoad impedimentum clandestinitatis decreti "tametsi" a Tridentino inductum (5) 3) quoad culpam commissam damnum illatum, vel ob omissionem actionis in suo loco praescriptae. 4) Qui ligatur censura vel praecepto aut possidet beneficium residentiale iuris fictione praesens censetur si indebite recessit. Iuris fictione aliquis censetur de territorio 1) si lex caveat de peregrinis 2) ratione contractus, delicti etc. et quod leges publicam moralitatem respicientes 3) tandem idem de vagis di-

---

(1) C. 2. t. 2. lib. 1. in 6°

(2) Cap. ult. de const. in 6° L. 20. de iurisd.

(3) C. 21. de sent. excomm.

(4) Bulla "suprema" Clem. X.

(5) Cf. Aichner op. et l. c. can. 2. dist. 8. Zitelli Appar. pag. 35

catur qui nempe domicilium reliquerunt animo non redeundi nec alibi domicilium elegerunt (1). Hisce exceptis qui aliorum territorium petit ad legem vitandam utitur iure suo ac "nemo in fraudem agit qui suo iure utitur" (2).

7. Instituunt auctores quaestionem an legislator suis legibus teneatur. Sunt qui dicunt teneri ratione scandali, vel ex honestate naturali (3); alii dicunt teneri quoad vim legis directivam, non quo ad coercitivam, eo quia ex iure naturali indirecte obligatur vinculo legalis obligationis, quod ex sua lege procedit, non teneri autem quoad vim legis coercitivam idest coactivam, eo quia nemo est in societate qui eam in legislatorem exercere valeat (4). Haec secunda sententia communiter a doctoribus traditur. Verum puto quaestionem melius enucleandam esse. In quacumque obligatione duo distinguenda sunt, nempe 1) materia obligationis seu id ad quod obligamur, et 2) vinculum obligationis. Nihil prohibet ut eadem manente materia, vinculum obligationis aliquando duplex vel triplex sit; ita accidit de iis quae

---

(1) Can. 11. dist. 12. cap. 2. de obser. ieiunii.

(2) L. 56. de reg. iuris ff. cap. 31. de elect. L. si quis postea 7. de iudic et ubi quis.

(3) Cf. Schmalz. Salmat.

(4) D. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. c. 2. D. q. L. 1. ff. ubi dicitur "quod quisque iuris in alterum statuit eodem ipse uti debet" can. 20. non liceat 12. 9. 2. L. 4. Cod. de II. Cfr. Machat op. c. lib. 1. t. 2.

v. g. iure naturali, divino et ecclesiastico urgentur prouti solvere decimas; nihil prohibet ut aliquis ad idem praestandum hoc iure teneatur, alius vero altero iure. Hoc posito videtur certum cum omnibus Legislatorem teneri ad materiam suae legis, nempe ad id praestandum quod aliis lex imperat; at difficultas est in hoc an scilicet teneatur vinculo suae legis, vel vinculo iuris naturalis. Et puto simpliciter dicendum teneri vinculo iuris naturalis eo quia "turpis est omnis pars suo universo non congruens (1). Et probatur ex congruentia contrariae sententiae. Nam a) dicitur non teneri ad vim legis coercitivam quia nemo est Legislatori superior (2), atqui hoc aeque dici posset de vi directiva quae ex vinculo eius legis oritur b) dicitur teneri legislator suis legibus directe iure naturae, indirecte a sua lege; sed quod videtur impossibile neque indirecte admitti potest, atqui videtur impossibile quod legislator vinculo propriae legis obligetur, quia esset sibi secundum idem superior et inferior, ergo etc. Quod obligatio sit directa vel indirecta non mutat essentiam obligationis, sed ad obligationis originem se refert, atqui ratio qua Legislator obligari non videtur vinculo

---

(1) C. 2. d. 8. in Decreto. Hinc sapienter dixerunt ait clar. Ferrari (instit. can. pag. 132) not 4) Imperatores Theodosius et Valentinianus cum hanc emiserunt sententiam. Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri L. 4 cod. de leg.

(2) Mach. op. et l. cit.

suae obligationis, non ex origine obligationis sed ex ipsa obligationis essentia dimetitur, ergo Ceterum quiquid sit de hac controversia cum omnibus dicendum Legislatorem ad materiam suarum legum teneri (*).

Articulus 3.us

De fine, de obiecto, ac de vi legum ecclesiasticarum.

Summarium: 8. Finis legum ecclesiasticarum. - 9. Legum ecclesiasticarum obiectum. - 10. Quando actus internus legi ecclesiasticae subiicitur. - 11. Quid de actibus futuris, praesentibus vel praeteritis. - 12. Vis et effectus legum ecclesiasticarum.

8. Ad finem legum ecclesiasticarum quod attinet ex dictis liquet quod legum ecclesiasticarum finis non est nisi finis ipsius Ecclesiae, nempe animarum sanctificatio proxime, salus aeternae remote. Finis immediatus multiplex esse potest; attamen fines imme-

---

(*) Nota. Ad rem cl. d'Annibale op. cit. pag. 194 v. 1. animadvertit quod si legislator est persona singularis, suis legibus non tenetur quia nemo sibi vetare aut praecipere quidquam potest (L. 56. de recept. arbitr) videtur tamen inclinare in eorum sententiam qui dicunt teneri ex charitate ob exemplum et sub levi. Profecto si legislator est quoddam collegium, quaedam persona moralis, personae singulares eadem lege tenentur: militat enim ratio contraria.

5. Solieri. 1901.

Finis civilis legis differt a fine legis Ecc. Etiam lex Ecc. non obligat in gravi damno [illegible] aliqua in lege civil. quia finis legis civilis principaliter spectat ad bonum commune.

uiati eatenus finis socialis rationem habere possunt, quatenus rationem medii habeant ad finem ultimum et universalem Ecclesiae.

9. Obiectum autem legum ecclesiasticarum fidelium actiones sunt in foro externo, et quidem bonae obiectum sunt legis praecipientis, malae legis vetantis, punientis et irritantis, indifferentes autem legis permittentis (1). Fuerunt qui dixerunt Ecclesiam quatenus societas est, leges etiam in foro interno ferre posse, tum quia illa verba quodcumque ligaveris etc. limitata non fuerunt, tum quia salus animarum, quae est finis legum ecclesiasticarum, magis ex internis actibus pendet (2). At communis et verior sententia est, Ecclesiam quatenus societas, de actibus mere internis leges ferre non posse (3). Etenim hum. iurisdictio leges ferre nequit de actibus de quibus iudicare quousque punire non possit et cuius proinde nihil intersit (4). Quare Innocentius III. ait "Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare" (5). Item Tridentinum ait: Ecclesia de occultis non iudicat (6). Ceterum

---

(1) I. 7. ff. de leg.

(2) Cf. Suarez op. cit. Mach. l. 1. t. 2.

(3) D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 4. - q. 100. art. 9. - Suarez l. 4. op. XII. c. 34. de sim. can. 14. de poenit d. 1. cogitationis poenam nemo patitur can. 1. d. 4. contra Glos. in Clem. 1. de haeret.

(4) Cap. consuluisti. 20 - 2. - 1. D. Th. 2. 2., 104, 5.

(5) Capp. 33 - 34 - de simonia.

(6) Sess. 24. de reform. 1. ad Corinth. 14. cap. 11. distinct. 32; Arg. cap. 33. §. ult. et cap. 34. de sim.

... tum uni in casu nec obligat graviter ... e. g. lex irritans quoad matrimonium, scil. lex irritans quae directe respicit bonum commune, indirecte bonum individuorum.

plus est leges ferre, quam iudicare, notat Suarez (1) ergo si nisi de actibus externis iudicari potest, etiam nisi de iisdem leges ferendae sunt (2). Tamen hoc non dicitur ex rei impossibilitate secundum se, sed secundum quod de facto de Ecclesia accidit prout in civili societati contingit. Neque difficultas sit in foro conscientiae Ecclesiam iudicare de interni, in tali enim foro Ecclesia non iudicat ut societas, sed Ecclesiae minister ipsum Deum repraesentat, ac talia iudicia bonum individui, non societatis directe respiciunt (3).

10. Attamen cum leges Ecclesiae ad bonum internum animarum referantur, Ecclesiae actus materiales externos non praecipit, sed quatenus actus externi cum internis actibus eorum forma, coniunguntur. Quo sub respectu et actus interni sub lege ecclesiastica cadunt (4). Ita damnata est propositio "quis paschali praecepto satisfacit sacrilega Communione" (5). Quia hoc in casu est lex indirecta quoad actionem internam quia Ecc. vult illum recipientem sacr. communionem esse in statu gratiae

(1) Op. cit. et loc. cit.

(2) D. Thom. 1. 2.ae q. 1. 4.

(3) Cf. Santi praelect. i. c. l. 1. t. 2. n. 15.

(4) Cap. 9. de celebr. Miss. et Clemen. 1. de haeret.

(5) Cf. Santi l. c. op. cit. Clem. 1. de statu monach. caput si quis - 8 dist. 30. cap. "omnis" de poenit. et remiss. caput dolentes de celebr. Miss. et Clem. 1. eod. t. caput commissa de elect. in 6° Cf. Suarez de legibus l. 4. cap. XIII. prop. 14. damnata ab Alex. VII. prop. 55. damnat ab Innocentio XI. Cf. d'Annib. op. c. pag. 191.

11. Insuper actus humani sunt vel futuri, vel praesentes, vel praeteriti. Certe futuri actus cadunt sub lege. Nam cum lex sit operationis regula, de se anterioritatem supponit, eo modo quo mensura mensurato praesupponitur (1). Praesentes autem actus praeteritis aequiparantur. At quod actus praeteritos dicendum est actus praeteritos non cadere sub lege praeceptiva iuxta supra dicta (2) nisi lex expresse caveat de praeteritis et agatur de negotiis pendentibus (3). Item de lege prohibente dicatur. Verum actus praeteriti ca-

---

(1) Cap. 2. et ult. de constit. et in l. leges et constitutiones Cod. de legibus.

(2) Cap. 2. et ult. de const. cap. 1. de cler. non resid. in 6º Clem. 1. de test. ect.

(3) Clement 1. de sent. excommunicat. Verum hoc in capite quod communiter ab auctoribus citatur potius de lege poenali agitur. Declarat enim Clem. V. Religiosos etiam exemptos interdictum positum per Sedem Apost. et per ordinarium loci violantes excommunicationem incurrere ipso facto et addit S. Pont. "porro hanc sanctionem ad pendentia trahimus" proinde proprie de actibus omnino praeteritis cum negotium adhuc pendeat. Auctores item citant legem 19. Codicis de SS. Ecclesiis, in qua Iustinianus statuit quando donatio facta et non intimata valeat, quando autem requiratur insinuatio. Verum hac lege Iustinianus voluit ex parte leges veteres declarare, et sub lege profecto declarativa cadunt etiam actus praeteriti et proinde etiam donatio-

dere possunt sub lege declarativa, inhabilitante, et irritante. Etenim lex declarativa regula actionis non est, sed regulam latam supponit eamque interpretatur (1); nisi de ea agatur quae legem latam coercet, vel protrahit. Sequitur quod non illa sed haec indiget promulgatione. Lex inhabilitans fertur in subiectum prouti vere existit, etiamsi ratio inhabilitatis ex actibus praeteritis deducenda sit (2). Item lex ex iusta causa potest actum iam elicitum irritare, dummodo actus sit irritabilis; uti ex. gr. matrimonium consummatum non est irritabile. Attamen hoc fieri non debet nisi vel in poena alicuius novi delicti, vel ob boni communis necessitatem, vel quia actus contra legem anteriorem erant. Item lex irritare potest legis poenalis effectus ideoque uti validos habere actus qui ceteroquin erat invalidi (3).

---

nes iam peractae. Quoad ea vero quae hac in lege noviter statuta sunt; haec non proprie actum praeteritum praecepti causa respiciunt, sed potius id quod posito actu praeterito, erat agendum, idest insinuationem donationis quae excedit 500 solidos, alioquin donatio pro non facta habetur.

(1) C. 40. ut lex 27. q. 1. leg. omnes populi ff. de iust. et iur. Cf. Suar. op. c. cap. 14. l. 3. - c. fin. de spons. duor. c. 40. ut de simon. c. 5. de usuris ex l. 3. cod. de pact. ping. "tamquam si lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset.

(2) Cf. d'Annibale op. cit. pag. 170.

(3) Trid. sess. 23. cap. 6. sess. 22. cap. 4. de reform. sess. 25. cap. 21. de regul.

Ratio est quia lex directe magis cadit in effectus praesentes actus praeteriti.

12. Vis et effectus legis in genere est subditorum obligatio. Verum cum homines magis poenis quam proemiis moveantur, legibus sanctio poenalis coniungitur, seu poena, quae a transgressoribus sit solvenda. Quapropter duplex est legum vis alia directiva qua obligatio servandi legem inducitur, alia coactiva qua transgressores ad poenae solutionem coguntur (1). Ex his eruitur, quod etiamsi per se loquendo, ex Legislatoris voluntate, lex haberi possit quae vim directivam solum habeat uti apud Romanos erant leges quae dicebantur imperfectae (2) aut solum vim coactivam prouti sunt plures leges fiscales, quae mere poenales dicuntur ut lex iubens multam dependi ab iis qui fraudant vectigalia (3) in civili societate, tamen in Ecclesia exceptis nonnullis regulis Regularium Seminariorum ect., non dantur leges mere poenales quae scilicet vi directiva careant. Poenae etenim Ecclesiae culpam ac proinde legis vim directivam seu obligationem in conscientia supponunt. Nam finis Ecclesiae socialis est bonum individuorum, est rei emendatio,

---

(1) Cap. VII. de elect. cf. Suarez. op. c. et l. cit. - c. 6. 7. 10. 12. de const. c. 8. 9. 10. de rescript. Trid. sess. 7. c. 2. 3. 6. q. de reform. sess. 24. c. 24. c. 3. 7. caus. 35. q. 9. c. 39. et ult. de rescript. cap. 2. de constit.

(2) L. 9. § proprie de rerum divis. L. 41. de poenis.

(3) Cf. Serafini, Gaium de donationibus, de leg. Cincia l. 2. ff. et l. 3. Cod. de II. cap. 1. de const.

non potest dare leges Ecc. mere coactivas

uno verbo animarum sanctificatio, quam profecto quisque mediis sibi propositis seu legibus assequi tenetur (1).

Articulus 4
De legum ecclesiasticarum divisione.

Summarium: 13. Quotuplici modo leges ecclesiasticae distinguuntur.

13. Ex dictis de legibus ecclesiasticis earumdem legum distinctiones facile colliguntur. Et sane ratione subiecti lex ecclesiastica est vel universalis, vel particularis, ratione obiecti leges sunt disciplinares aut dogmaticae. Ratione sui sunt praecipientes, prohibentes, poenales, permissivae, declarativae, irritantes, (2). Ratione causae efficientis leges aliae sunt decreta Episcoporum, aliae leges conciliares oecumenicae, vel nationales, aut provinciales, aut dioecesanae. Quod si leges a R. Pontifice ferantur constitutiones dicuntur, quae tum ratione materiae, tum ratione formae dividuntur. Ratione materiae Pontificiae constitutiones aliae dicuntur Decreta, aliae epistolae Decretales, aliae litterae Encyclicae. Decreta sunt quae motu proprio eduntur, Epistolae Decretales quae consultatione vel aliorum relatione provocantur, dicuntur etiam Rescripta. Litterae Encyclicae sunt quas R. Pontifex vel ad Episcopos totius orbis, vel

---

(1) Cf. Suarez V. IV. 2.

(2) D. Thom. 2. 2ae q. 189. a. q. ad 1.

unius nationis aut provinciae mittit. Ratione formae aliae dicuntur Bullae, aliae dicuntur Breves. Illae sunt in quibus agitur de negotiis gravioribus quaeque clauduntur sigillis plumbeis. Graeco idiomate verbum Boulleveio significat sigillare. Summus Pontifex Agathon qui regnavit anno 360 litteras omnes cera signare consueverat. At ob excrescentiam pontificiorum diplomatum usus obtinuit, ait Cardinalis Petra, litteras omnes magni momenti plumbeo sigillo muniri, ut tempore Stephani III. anno 410, vel Hadriani 1. an. 772. servatum fuit, referente Polidoro Virgilio. Nonnulli tamen plumbea sigilla se vidisse testantur temporibus Sylvestri Leonis M. Gregorii M. et Sergii ut refert Ducange in verba Bulla Plumbea. Bullarum expeditio fieri solet quatuor modis vel) per Cancellariam, vel) per Cameram Apostolicam, vel) per viam secretam, vel) viam Curiae iuxta negotiorum diversitatem. Breves sunt Pontificiae constitutiones quae a Brevium Secretaria expediuntur in quibus ex cera rubra sigillum apponitur annuli Piscatoris. In his agitur de negotiis levioris momenti ac breviori sermone. Modus vel formula signandi sub annulo Piscatoris non satis antiqua videtur. Ex epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum nepotem suum an. 1265. apparet iam saeculo XIII. eum usum in Curia Romana invaluisse.

Articulus 5.

De legum ecclesiasticarum cessatione.

Summarium: 14. Quando lex ecclesiastica cesset ab intrinseco. - 15. Quando cesset ab extrinseco.

14. Etiamsi lex in sensu iuris perpetua sit, tamen cessare oportet vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Ab intrinseco lex cessat cessante ipsius fine (1). Quamvis enim legis finis sub lege non cadat, est tamen finis causa legis condendae atque conservandae, cum ratione finis assequendi lex sit necessaria et utilis. Cessante legis fine, lex fit saltem inutilis, ac proinde cessat in legislatore ius urgendi legem quod ius eiusdem legis fundamentum est. Verum cum lex sit pro tota communitate, cumque lex multipliciter seu pluribus articulis ac multiplicis sub respectu necessaria aut utilis esse possit, ideoque communitatem obligare, ut lex ab intrinseco cesset, exigitur ut eius finis cesset pro tota communitate; ut cesset totaliter requiritur, ut eius finis inutilis aut nocivus fiat quoad omnes articulos, et sub quovis respectu (2). Sunt qui distinguunt inter mutationem contrariam, et negativam finis seu obiecti legis. Dicitur mutari contrarie obiectum legis, quando propter mutationem materiae vel rerum circumstantiarum fit iniustum, vel

---

(1) Cap. 2. dist. 4. cap. 60. De appellat.

(2) Suarez VI. 7. 3. IX. cap. 60. de appellat. Cf. D. Thom. 1. 2. 103. art. 3. 4. Salmat. XI. 4. 2.

quocumque modo turpe servare legem, aut impossibile saltem moraliter; quo in casu lex cessat ipso facto. Dicitur mutatio negativa si in tali materia legis iam non invenitur ratio ob quam lex posita fuit, licet ea sublata adhuc materia per se mala non sit, nec impossibilis, aut iniusta, quo in casu, iuxta nonnullos, sententia Principis declaratoria exigeretur (1).

15. Ab extrinseco lex cessat totaliter per abrogationem per irritationem, partialiter per derogationem per dispensationem. Abrogatio est "Legis ablatio totalis quae fit a legislatore." Legislator vel eius successor totam legem revocare potest vel expresse, vel tacite contrariam legem promulgando (2). Res enim per quas causas enascitur per easdem dissolvitur (3) Lex item tacite abrogatur per contrariam consuetudinem quae vim legis habeat. Notandum est per contrariam legem anteriorem abrogat dummodo ita priori, contraria sit, ut cum ea componi nequeat. Hinc, prouti videbimus de legum interpretatione, lex posterior generalis abrogat legem anteriorem generalem contrariam, non autem legem anteriorem specialem sive particularem nisi de ea mentio fiat. Nam ut eleganter ait Bonifacius VIII (4) R. Pontifex etsi omnia iura seu leges generales in scrinio pectoris sui servare di-

---

(1) Cf. Machat. op. cit. lib. 1. t. 2. §. V. D'Annibale op. c. pag. 167. Suarez VI. q. 2.

(2) L. 102. de Verb. Signif.

(3) Reg. in Decretal.

(4) Cap. 1. de constit. in VI.

cendus sit, non idem de legibus particularibus, quas "cum sint facti et in facto consistant" potest probabiliter signare. Legis abrogatio quae a Legislatore fiat, semper valida censenda, etiamsi illicita sit dicenda si ex iniusta causa lex abrogatur. Legislator enim contra bonum societatis ageret pro qua ex hypothesi lex quae abrogatur adhuc necessaria et utilis foret (1). Irritatio autem legis inferioris legislatoris abrogatio est. Supremus in societate legislator inferioris legislatoris legem abrogare potest, cum uti inferior legislator ita eius leges a suprema pendeant potestate. Inferior legislator tamen suam legem abrogare nequit si a Superiore forma speciali confirmata fuerit; tunc enim lex non ab inferiore sed ab ipso Superiore vim habet. Secus si confirmatio lata sit in forma communi nempe ad maiorem rei extrinsecam auctoritatem (2). Derogatio est "partialis legis abrogatio" nempe legis est abrogatio quoad unum aut alterum articulum aliis manentibus (3). Dispensatio est legis relaxatio publica auctoritate facta in casu particulari, legis vigore manente ex parte materiae. Nam si materia sit legi subducta non adest legis dispensatio sed

---

(1) L. 1. ff. de constit. Princip. Salmaticenses apud Machat op. c. L. 1. t. 2. Trid. sess. 24. c. 5. de reform. matr. sess. 22. c. 15. de reform. sess. 25. cap. 28. de reformat.

(2) Const. Ap. Sedis qua censurae latae sententiae limitantur est simul abrogatoria et derogatoria. - D'Annibale op. c. pag. 166. v. 1. n. 12.

(3) C. 15. §. 1. de temp. ord. Clement. 2. pr. de Elect.

interpretatio. Dispensatio est totalis aut partialis prout obligationem tollit ex toto vel ex parte; est expressa vel tacita quae ex mente legislatoris colligitur; uti si v. gr. Praelatus religiosum extra claustra deiiciat; tacite cum illo dispensat ut oblatam sibi pecuniam acceptare possit. Summus Legislator in societate sive iusta, sive iniusta causa valide etiamsi secundo casu illicite dispensat (1) e contra inferior, qui ex delegatione dispensat, nonnisi ex iusta causa potest licite et valide dispensare; ratio est quia pro dispensatione ex iniusta causa mandatum non habuit (2). In genere ille potest dispensare qui legem tulit eiusque delegatus (3). Facultas dispensandi est latae interpretationis (4) dummodo non vergat in tertii praeiudicium (5); at ipsa dispensatio strictae est interpretationis cum sit legis vulnus (6). Fit quaestio an Legislator sibi dispensare possit, et communiter affirmatur (7). At haec quaestio ab alia pendet an

---

(1) Cf. Machat op. et l. cit.

(2) Can. 4. L. 21. Clem. 2. de elect. cap. 15. de temp. ordin.

(3) Can. 4. d. 21. Clem. 2. de elect. cap. 15. de temp. ordin.

(4) Cap. ult. de Simonia.

(5) Cap. 20. de V. Signif.

(6) Cap. 1. et 2. de filiis presbyterorum in 6.° Nisi tamen motu proprio concessa sit communitati vel ad bonum commune.

(7) Caiet. Salmat. Cfr. Machat. o. c. l. 1. t. 2. qui hoc deducit ex regula desumpta est l. 3. ff. de adopt. l. 1. 5. ff. de manumiss. vind. quia statui videtur quod ad exer-

nempe legislator vinculo suae legis, quod ab ipso prodit, teneatur; de qua iam supra locuti sumus. Dispensare enim non est nisi subtrahere aliquem a subiectione legis. Hinc iuxta supra dicta videretur potius dicendum legislatorem indicare posse, quibus in casibus ius naturale, quo ad materiam suae legis implendam cogitur, pro ipso legislatore non urgeat. Et hoc de legibus proprie dictis promulgatis sufficiat.

Caput II.

De legibus proprie dictis promulgatis sed consuetudine introductis.

Videbimus 1) de natura consuetudinis 2) de divisione consuetudinis 3) de consuetudinis caretheribus ad ius inducendum 4) de consuetudinis iuridico effectu 5) de cessatione consuetudinis.

Articulus 1.

De consuetudinis natura.

Summarium: 16. Consuetudinis definitio - 17. Quando consuetudo differat a lege, a praescriptione, a traditione.

16. Consuetudo dupliciter considerari potest, vel

---

cilium iurisdictionis voluntariae non requiritur distinctio personalis inter eum a quo et cui praestatur auctoritas. Tamen iuxta supra dicta solvitur difficultas.

nempe quatenus est factum et tunc consideratur causaliter et inchoactive, vel quatenus est ius tunc consideratur formaliter et complete. Primo modo consuetudo est "Similium alicuius communitatis actuum liberum frequentia", vel "frequentia operandi libere eodem modo" (1). Consuetudo facti non est in actibus necessariis, hinc in brutis non consuetudines sed mores inveniuntur. Deinde consuetudo non in singulis actibus, sed in eorum frequentia consistit. Hac facti consuetudine posita, aliquando, nonnulli extantibus circumstantiis, de quibus inferius, ius seu iuris consuetudo oriatur, vi cuius populus hoc determinato modo agere cogitur. Quo sensu iuris consuetudo definitur: "Ius non scriptum diuturnis populi moribus introductum aliquo legislatoris consensu". Dicitur autem ius non scriptum (2) quia nec per se scripturam requirit, sed usu ipso introducitur, imo iuxta Suarez sententiam, consuetudinis ratio non immutaretur, etiamsi ius consuetudinarium scriberetur (3). Intelligitur tamen dummodo rursus ius non promulgaretur, vel ex scriptura si nova vis non addatur. Apud civile ius Romanorum consuetudo iuris definitur: ius diuturnis po-

---

(1) Cap. 1. de const. in 6º D. Thomas 1. 2. q. 58. - Cf. Suarez op. cit. l. VII. cap. 1.

(2) l. 36. ff. de LL. et in l. 6. ff. de inst. et iure, cap. ult. de consuetudine c. 1. de constit. in 6. Can. 5. distinc. 1. l. 32. l. t. ff.

(3) De legibus l. 1.

Consuetudo contra legem, ab initio est illicita. Consuetudo praeter vel juxta legem, ab initio non est illicita.

puli moribus et tacito populi consensu introductum (1). Haec definitio desumitur ex statu democratico populi Romani; ita in statu aristocratico optimatum consensus requireretur uti notat Machat (2). Consuetudo iuris, uti patet, est potius consuetudinis effectus; hinc in casu effectus sumitur pro causa.

17. Ex allata definitione patet quomodo consuetudo differt a lege, a praescriptione, a traditione: a) Differt a lege promulgata non proprie quia lex est scripta, e contra consuetudo, quia non est de legis essentia ut scripta sit, nec semper de facto leges promulgatae scriptae sunt apud populus, sed quia lex oritur ex directa Principis voluntate promulgatione manifesta, dum consuetudo primam originem habet ex populi moribus. b) Differt a praescriptione (*) quia 1) praescriptio inter privatos locum habet: si communitas praescribat, uti privata persona habetur; 2) praescriptio non inducit nisi ius particulare; 3) praescriptio saltem ordinaria non obtinet nisi praescribens sit in bona fide ac titulo iusto et saltem ut

---

(1) L. 32. ff. de L.L. Ca. 5. d. 1.

(2) Machat. Inst. iur. can. l. 1. t. 4.

(*) Nota. Praescriptio est "adiectio dominii, vel quasi-dominii aut alicuius iuris sive realis sive personalis per continuatam possessionem tempore et modo a lege definito". Hinc praescriptio convenit cum consuetudine, quia in utroque ius oritur posito facto possessionis. De praescriptione videbimus agentes de iudiciis.

dicitur colorato possessionem habeat; quod in consuetudine praesertim contra legem non exigitur (1); 4) in praescriptione non est necessarius illius consensus contra quem praescribitur, e contra quoad consuetudinem (2) c) Differt a traditione quae est "ius antiquum a legislatore inductum et viva voce ad communitatem traductum"; consuetudo vero a communitate inducitur.

Articulus 2.

De consuetudinis divisione.

Summarium: 18. Consuetudinis divisiones.

18. Cum consuetudo referri possit vel ad subiectum, vel ad obiectum, vel ad ipsam legem promulgatam, consuetudo tripliciter distinguitur a) Relate ad subiectum dicitur generalissima quae inter integras gentes oritur uti consuetudines quae ad ius gentium pertinent; generalis si in toto regno invaluerit; specialis si in tota civitate; specialissima si in minima communitate. Est tamen notandum, quod cum imperfectae omnino communitates leges proprie dictas sibi constituere non possint, ideo neque iuris consuetudines. b) Relate ad obiectum consuetudo alia est extraiudicialis, alia iudicialis prouti in materia iudiciali vel extraiudiciali introducitur. Censetur consuetudo iudicialis, cum innumerae sententi-

---

(1) Suarez VII. 18. 24.

(2) Cf. Suarez op. c. l. 7. cap. 7.

Consuetudo iudicialis fit in casu legis dubiae; e.g. oritur controversia de qua versatur haec lex. Iudex interpretatur certo modo legem dubiam et in aliis casis eodem modo interpretatur legem, tunc oritur consuetudo iudicialis, scil. interpretandi talem legem tali modo.

ae super eodem genere causarum proferuntur a tribunalibus. Ad hanc etiam consuetudinem reducitur quod dicitur, praxis forensis, stylus Curiae; magnique momenti est ad ius dicendum, atque interpretandum. c) Relate tandem ad legem iam promulgatam consuetudo alia est secundum legem iam latam, quam firmat et interpretatur, iuxta illud "consuetudo est optima legum interpres" (1), alia est consuetudo praeter legem, quae ius novum nec legibus latis contrarium introduxit, alia tandem est consuetudo contra legem, quae legi praeexistenti ius contrarium inducit vel eam ex integro abrogando, vel ei saltem derogando (2).

Articulus 3.

De consuetudinis caractheribus ad ius inducendum.

Summarium: 19. Consuetudo quatenus convenit cum lege habet requisita propria legis, quatenus differt a lege requisita una propria habet. - 20. Requisita cum lege communia. - 21. Requisita propria consuetudinis. - 22. Consuetudo est lex proprie dicta.

19. Hisce praehabitis de consuetudinis caractheribus videndum est ad ius inducendum.

Cum consuetudo eamdem in societate obligationem inducat, quam ipsa lex a Principe promulga=

---

(1) Can. 3. §. leges d. 4. 1. 37. ff. de legibus.

(2) L. 32. ff. de LL. can. 5. dist. 1.

T. Solieri 1901.

ta introducit, cumque ex alia parte consuetudo a lege promulgata differat, quia alio modo eadem obligatio introducitur, iam patet quod consuetudo iisdem legis requisitis muniri debet, quatenus eamdem legem obligationem inducit, aliis e contra sibi propriis quatenus eadem legalis obligatio consuetudine alio modo introducitur.

20. a) Requisita quae consuetudo cum lege communia habet, quatenus eamdem legalem obligationem inducit in societate, ad rationabilitatem tum ratione sui; tum ratione finis reducuntur, prouti de lege locuti sumus. Quare quae rationalis, consuetudo est iusta, honesta, utilis, et in sensu iuris perpetua. Irrationalis consuetudo esse potest ratione finis, eo quia neque necessaria, neque utilis est ad finem socialem consequendum. Ratione sui 1°) est irrationalis consuetudo quae est per se mala, quo in casu non datur nisi consuetudo facti, non iuris, prouti lex mala non existit 2°) quae in iure uti iuris corruptela reprobatur. Qua in re est notandum abrogare consuetudinem non est per se eam reprobare, ita ut numquam oriri possit, cum consuetudo et quae uti irrationalis abrogatur, tractu temporis rationalis fieri possit. Hinc futura consuetudo a lege efficaciter reprobari non potest nisi sit per se mala et iuris corruptela (1) 3) quae fovet peccato (2) 4) quae iuri naturali aut divino

---

(1) c. 1. de const. in 6° Cf. Suarez l. 7. de consuet. can. 6. d. 12 - c 3. 4. 5. 7. h. t. - c. 56. de elect.

(2) C. 10. de consuetudine.

adversatur, prouti erant plures pharisaeorum et haereticorum abusus (1) 5) quae nervum abrumpit. Ecclesiasticae disciplinae uti si iurisdictionis potestas impediatur, aut (2) ecclesiae immunitas laedatur ect. In decretalibus (3) in genere irrationales dicuntur consuetudines "quae nec ratione iuvantur, nec sacris congruunt institutis" quod iuxta dicta est intelligendum (4). Neque dicatur consuetudinem contra legem esse irrationalem, nam aliud est dicendum de consuetudine facti, aliud de consuetudine iuris. Profecto consuetudo facti contra legem donec cum iuris consuetudine non coniungatur est mala, ac primi actus animo tollendi legem exercentur, ideoque talis consuetudo peccaminosa est (5). At iuris consuetudo non est irrationalis, utpote quae legem latam abrogat, tum quia haec consuetudo legislatoris consensu non vero facto nempe moribus populi vim habet, tum quia ex diuturna facti consuetudine, aliis comitantibus requisitis, de quibus inferius, lex lata irrationalis efficitur (6).

21.- b) Verum cum lex consuetudinaria non promul-

---

(1) C. ult. de consuet. can. ult. dist. 8.

(2) C. 16. de praescript. can. 3. et seq. d. 8. Canon 1. et 2. d. 12. c. 3-5. de consuetud. Cf. Suarez lib. VII. cap. 18.

(3) Cap. 1. de iis quae fiunt a maiori parte capituli.

(4) Cf. C. I. t. sub Alexand. III. part. 1. cap. 16.

(5) Cf. D'Annibale op. c. pag. 168. not. 25.

(6) Cf. Suarez op. c. qui regulas addit ad consuetudinem rationalem cognoscendam.

gatione sed diuturnis populi moribus introducatur, oportet, ut propria requisita habeat, eo modo quo propriis requisitis lex ornatur quatenus per promulgationem communitati imponitur. Interim, quod ad consuetudinem pertinet, a) ex parte principis consensus exigitur vel tacitus vel praesumptus seu legalis (1). Etenim obligatio in tota communitate oriri non potest nisi ab eo qui curam communitatis habet nempe a Principe. In lege Legislatoris consensus expressus invenitur, quia lex eius voluntate directe imponitur, e contra in consuetudine quae oritur ex populi moribus. Uno verbo in lege Principis voluntas obligandi, in consuetudine assensus obligandi requiritur. Quod adeo verum est, ut si in aliquam consuetudinem Princeps expresse consentiat, iam consuetudo lex promulgata efficitur. Consensus autem tacitus interesse pu-

---

(1) L. 32. ff. de LL. L. 2. Cod. Quae sit longa consuetudo D. Thom. 1. 2ae 97. 3. ad 3. - L. quibus ff. de LL. ubi Iulianus ait "nam quum ipsae leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptae sunt merito et ea quae sine ullo scripto populus probavit, tenebant omnes: nam quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret an rebus ipsis et factis? Quare rectissime etiam illud receptum est ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur" Notetur quod cum canonicis institutis de consuetudine non convenit hac in lege, ex forma societatis Romanae democraticae desumendum esse.

consuetudo dicitur legalis ex dispositione legis quia post statutum tempus fit legitime praescripta.

tatur, quoties legislator consuetudinem introductam noverit, at non reclamat cum reclamare possit et debeat; hoc sensu exclusive principium valet "qui tacet consentire videtur (1). Quare silentium ut dicitur oeconomicum seu ad maiora mala vitanda, iuris consuetudinem impedit. Ius naturale ceteroquin exigit ut alicuius legis obligatio perseveret, neve nova obligatio inducatur, nisi constet aut legitime praesumi possit legem latam a Legislatore abrogatam, aut novam legem latam esse.

Quia autem non omnes consuetudines a Principe cognoscuntur, quoad has consuetudines quas princeps ignorat, ex parte Principis consensus praesumptus seu legalis sufficit, eo quia in iure etiam canonico omnes rationales consuetudines legitimo tempore praescriptas Princeps adprobat (2).

Ceterum clarum est illius Principis consensum tacitum vel praesumptum exigi, qui in ea communitate leges ferendi potestatem habet. Hinc v.g in consuetudinibus Ecclesiae universalis S. Pontificis consensus requiritur, in consuetudinibus dioecesis Episcopi. Imo uniuscuiusque consuetudinis vis ad ea sese extendit, ad quae uniuscuiusque legislatoris potestas legifera se protendit. b) Ex parte consuetudinis exigitur ut consuetudo sit legitime praescripta quatenus nempe tempore a lege prae-

(1) Reg. 43-44 in VI.

(2) Cap. ult. de consuetud. l. 32. et 35. ff. de LL. l. ult. Codicis quae sit longa cons.

finito perduraverit; et communiter decennium pro quacumque consuetudine assignatur (1). Verum haec conditio est hypothetica. Nam decennii continuatio ex parte consuetudinis requiritur in iure, ad legislatoris legalem consensum praesumendum: agitur proinde de consuetudine quam princeps ignorat. Quare si ante decennium Princeps cognita consuetudine tacite assentiat, consuetudo ni aliud obstet statim vim habere potest (2). Haec ex parte legis non requiruntur, cum in lege Principis expressa voluntas semper manifesta sit.

c) Ex parte communitatis vero cum consuetudo ex ipsius communitatis facto oriatur requiritur, ut communitas sua consuetudine sese obligare vel se a legis latae obligatione liberare intendat, quo in casu consuetudo dicitur potius dissuetudo (3). Etenim etsi obligatio iuridica consuetudini ex Principis consensu accedat, tamen Princeps in consuetudinem consentit prouti est: hinc si consuetudo non

---

(1) Bened. XIV. de Synod. XIII. 54. Ex toto titul. Cod. quae sit longa consuetud. l. 10. si servit. vind. Qui exigunt spatium 40. annorum ex cap. 21. de consuet. notat D'Annibale consuet. cum praescriptione confundunt - Suarez VII. 18. 24.

(2) Can. 7. dist. 12. Arg. ex l. 1. C. quae sit long. cons. §1. in de usu cap. l. 11. Codicis de praescript. long. temp. Cfr. Machat op. c. de consuet. ect. ect. Ex cap. 3. de cognat. spirit. II. Th. 1. 2. 97. 3. ad 3. Reiff. I. IV. 95.

(3) Arg. ex l. 32. ff. de LL.

sit ad obligationem inducendam, neque Principis assensus obligationem inducit.

Non est autem dicendum communitatem sua consuetudine sese obligare, aut se ab obligatione liberare intendisse nisi a) consuetudo a maiori ac saniori parte communitatis inducatur quae capax sit recipiendi legem; alioquin communitatis consuetudo dici non posset (1) b) nisi per actus liberos et non interruptos nec dissimiles consuetudo vigeat (2); nam per actus non liberos communitatis voluntas non manifestatur, per actus autem interruptos aut dissimiles contraria voluntas ostenditur.

22. Ex quibus liquet quomodo consuetudo sit lex proprie dicta quae non per promulgationem, sed diuturnis populi moribus introducitur. Quatenus est lex cum lege convenit quoad requisita quae a promulgatione praescindunt quaeque in rationabilitate concluduntur, prouti legem diximus esse rationis ordinationem ad bonum commune. Quatenus consuetudo et lex diverso modo introducuntur, propria requisita unaquaeque habet; at requisita unius aequivalent requisitis alterius, eo quia omnia ad hoc reducuntur a) ut lex consensu Principis firmetur, b) ut lex communitati imponatur.

---

(1) L. 32. 35. de legibus ff.

(2) L. 1. Codicis quae sit long. consuet. L. 38. de legibus ff.

Articulus 4.
De consuetudinis effectus iuridico.

Summarium: 23. Quinam consuetudinis sit effectus iuridicus sive de consuetudine agatur in genere, sive in specie.

23. Itaque consuetudinis effectus in genre est ius dicere in communitate, ut novam legem inducendo aut legem latam abrogando. Quod si de singulis consuetudinibus iuxta legem praeter legem, et contra legem sermonem instituamus, quoad consuetudinem iuxta legem dicendum, hanc esse consuetudinem potius facti, quam iuris, de quacumque lege agatur sive naturali, sive divina, sive humana. Dicitur haec consuetudo esse potius iuris imitativa vel executiva, hinc lege sublata et consuetudinem corruere necesse est. Tamen eius effectus sunt 1) ut legem firmet (1) 2) ut legem interpretetur (2). Alii enumerant alium effectum ut nempe lex aliquando extendatur, verum hoc ad consuetudinem praeter legem reduceretur (3). Consuetudo praeter legem naturalem proprie non datur quia consuetudo legis vim habet consensu Principis, ideoque rationem habet legis humanae. Tamen secundum quid consuetudo praeter legem naturalem vim habere potest, quoad actus per

(1) Can. 3. dist. 4. in decreto.
(2) Cap. 8. de consuet. l. 37.-38-ff. de LL.
(3) Cf. Suarez op. c. et l. cit.

se honestos, qui lege naturali saltem quoad exercitium non praecipiuntur. Praeter ius divinum autem consuetudo secundum quid admittitur prouti accidit circa traditiones quas universa tenet Ecclesia de quibus nec Christus Dominus, neque Apostoli expressum praeceptum tradiderunt (1). Consuetudo contra legem naturalem non admittitur cum lex naturalis lege humana abrogari non possit (2). Neque consuetudo admittitur contra ius divinum eadem de causa (3) (*). Quod si agator de lege humana, consuetudo praeter legem novam obligationem inducit vel praeceptivam, vel prohibitivam, vel irritandem, vel impedimentorum etiam matrimonium dirimentium inductivam (4). Consuetudo contra legem humanam, eam abrogare potest vel ex toto, vel ex parte, vel quoad poenam et culpam nempe quoad vim directivam et coa-

---

(1) Cf. Suarez l. 7. c-4. op. cit.

(2) D. Th. 1. 2. q. 37. art. 3. ad 1. cap. ult. de consuet. Cf. Suarez l. c.

(3) S. Paul. ad Coloss. 2. Matth. 15.

(4) Can. 5. d. 1. et l. 32. 33. ff. de LL. cap. 1. de cogn. spirit.

(*) Nota. Quod est bene attendendum, cum aliquando lex humana, uti Ecclesiastica, praecepta etiam divina ac naturalia urgeat. Talis lex ecclesiastica consuetudinem contra legem aut praeter legem iuxta dicta admittere non potest, non qua lex ecclesiastica est, sed qua est lex humana, quae ipsas leges divinas vel naturales urget.

S. Solieri. 1901

ctivam, aut solum quoad vim coactivam aut directivam (1). Non potest autem consuetudo contra legem ecclesiasticam eam abrogare solum quoad vim directivam, quod ex dictis de legis ecclesiasticae vi descendit. Tandem notatu dignum est, cum de consuetudine contra legem agatur, hanc consuetudinem in foro externo non praesumi sed probandam esse cum lex lata, quae esset abroganda possideat; secus si consuetudo contra legem notoria sit. Quod si consuetudo praeter legem sit, pro ea standum est (2).

Articulus 5.
De cessatione consuetudinis.

Summarium: 24. Quando consuetudo cesset ab intrinseco vel ab extrinseco - 25. Quid de clausula "non obstante quacumque consuetudine."

24. Lex consuetudinaria cessat pariter ab intrinseco vel extrinseco. Ab intrinseco cessat cessante fine consuetudinis sub quovis respectu, quoad omnes articulos et pro tota communitate. Recolantur quae de legis cessatione ab intrinseco diximus. Ceterum uti lex irrationalis cessat, quia in Principe ius eam urgendi deficit, ita consuetudinem quae cessante fine fit irrationalis cessare oportet, eo quia Princeps

---

(1) L. 32. ff. de LL. c. ult. de consuet. c. 6. dist. 12. can 3-6. c. 4. can. 8. 11. d. 12.

(2) Cf. Machat l. 1. t. 4. op. c. l. 2. ff. de I. et F. I.

neque tacite neque praesumpte in eam assentire valet. - Ab extrinseco pariter consuetudo cessat per abrogationem expressam, vel tacitam, per irritationem, derogationem et dispensationem, iuxta quae de legis cessatione ab extrinseco diximus (*)

25. Attamen, quod proprie ad consuetudinem attinet, si lex cedatur cum clausula "non obstante quacumque consuetudine consuetudines quidem et particulares abrogantur non autem immemoriales, vel futurae nisi de immemoriali expressa mentio fiat vel futurae, uti iuris corruptelae, reprobentur (1). Etenim (2) consuetudo immemorialis cuius nempe initii memoria non extat, aequiparantur privilegiis, quae abrogata non censentur nisi de iis mentio fiat "cum beneficia principis oporteat esse mensura." Consuetudo vero futura legi non resistit, et cum talis legis effectus odiosus sit, stricto sensu neque ultra vim verbo-

---

(1) Cf. Fagnan. in cap. ad haec n. 34. de Relig. domibus.

(2) Cf. Fagnan. in cap. "cum Apostólica" de iis quae a Prael.

(*) Nota. - Si consuetudo est immemorialis quia eius initii memoria non extat per eam omnia acquiri possunt quae privilegiis et indulto principis concedi solent; nam talis consuetudo aequiparatur privilegio principis et habetur loco tituli legitime constituti et probati, nisi aliter a iure statuatur. Ita Mach. op. c. l. 1. tit. 4. n. 9. Videtur mihi tamen in casu non proprie agi de consuetudine sed de praescriptione.

rum est intelligendus. Quod locum non habet si expresse futura consuetudo reprobatur quia iuris corruptela (1).

Titulus 2.

De legibus improprie dictis.

Leges improprie dictas vocamus 1) quae etiamsi per se leges non sint, quia se referunt ad casus et personas particulares, tamen aliquando vim legis in societate habent uti rescripta et decisiones sacrorum tribunalium, sive 2) quae etiamsi semper vim legis habeant tamen per modum legis haud referuntur ac vim legis particularis habent uti concordata, sive 3) quae vim legis particularis habere dicuntur uti privilegia, sive 4) quae tandem vim legis semper habent, tamen perpetuae in sensu iuris non sunt cum morte Principis vim amittant; uti regulae cancellariae. Proinde agendum nobis est de rescriptis, de decisionibus sacrorum tribunalium, de concordatis, de privilegiis, et deinceps de regulis Cancellariae.

Caput 1.

De iis quae aliquando vim legis universalis habent etiamsi per se nonnisi iur particulare dicant.

Distinctis articulis agendum est de rescriptis, ac de

---

(1) Can 3. et seqq. dist. 8. Can. 1. et seqq. dist. 11. Canon 3-12. dist. 12. arg. c. 4. d. 10. et c. 3. 5. h. t. I. 2. Cod. quae sit longa consuet. I. 3. § 5. ff. de sepulc. viol. l. 13. Cod.

decisionibus Sacrorum Tribunalium.

Articulus 1.
De Rescriptis.

Summarium: 26. Rescripti definitio - 27. Rescripti partes. - 28. Rescriptorum divisio. - 29. Quinam rescripta obtinere valeat in Ecclesia. - 30. Quaenam sit vis iuridica Rescriptorum. - 31. Ex eo quod rescripta non exarantur a R. Pontifice sequitur vim rescripti in parte dispositiva reponendam esse. - 32. Vis rescriptorum quoad ius quod dicunt. - 33. Vis rescriptorum quoad tempus. - 34. Quando cessant rescripta. - 35. De obreptione vel subreptione rescriptorum. - 36. Quando ulterius rescripta ab initio sunt invalida. - 37. Quando tractu temporis vim amittent.

Videbimus 1) de natura rescriptorum 2) de divisione rescriptorum 3) de rescriptorum idoneo subiecto 4.) de vi iuridica rescriptorum 5) de rescriptorum cessatione

§ 1.
De natura Rescriptorum.

26. Rescriptum quoad rem, proprie et stricte acceptum apud canonistas definitur. Responsum Principis in scripto datum ad alicuius supplicationem, vel relationem, vel consultationem circa ius intelligendum (1).

---

(1) De rescriptis Cf. Trid. sess. 22. c. 5. 6. et sess. 25. c. 10. de reform.

Aliter vocatur epistola in civili iure romanorum (1) vel in iure canonico epistola decretalis. Rescriptum, notat clariss. Sanguineti (2), quando sine addito nominatur, intelligere esse Pontificis. De eiusmodi rescriptis Pontificiis hic sermo est, etiamsi, data proportione, quae de his traduntur, et rescriptis Episcoporum aptari possint. Verum Summus Pontifex potest dupliciter interrogari vel obtineatur consilium, vel ut obtineatur sententia tamquam a Principe societatis ecclesiasticae. Primi generis rescripta apud veteres quamplurimum cernuntur. Erat enim laudabilis illorum Episcoporum consuetudo ut in rebus gravissimis non modo a Romano Pontifice sed etiam ad invicem consilia mutuarent (3). Sic v.g. Leo Magnus Paschasinum Lilybeum Episcopum de cyclo Paschali consuluit (4). Attamen haec rescripta nullam legalem vim neque particularem neque universalem habere possunt cum obligatio per modum consilii imponi non possit. Maior igitur ratio habenda est rescriptorum secundi generis, quibus nempe Sum. Pontifex quia sententiam profert, ius dicit.

27. Rescriptum petitioni respondet. Petitio triplici constat parte 1°) nempe narrativa qua facti expositio exhibetur 2°) postulativa quae substantiam instantiae exprimit 3) persuasiva quae rationum mo-

---

(1) L.1.§.1. ff. de Const. l.2. Cod. de LL.

(2) Inst. can. sect. 4. de rescript.

(3) Cf. epistolas Cypriani, Basilii, Ambrosii etc.

(4) Cf. Bevardi op. c. diss. 2. c. 2.

menta evolvit ad principis animum movendum. Rescriptum proinde triplici item parte distinguitur, nempe narrativa qua factum exponitur, dispositiva qua Pontificis voluntas manifestatur, persuasiva seu exornativa qua Princeps rescripti aequitatem suadet.

§ 2.

De rescriptorum divisione.

28. Rescripta tripliciter distinguuntur videlicet relate ad 1) subiectum, relate 2) ad obiectum, 3) relate ad ius commune a) Relate ad subiectum nempe ad eos pro quibus rescripta feruntur, alia sunt generalia, quae pro omnibus subditis ad instar constitutionis (1), alia specialia quae datur pro singulis subditis (2) b) Relate ad eorum obiectum rescripta alia gratiae dicuntur quibus aut praeter aut contra ius gratia conceditur, alia iustitiae quibus vel ius dubium explicatur casus dirimitur, vel iudex delegatur ect. haec rescripta dicuntur etiam ad lites. Hisce nonnulli rescripta mixta addunt quibus nempe et gratia conceditur et iustitiae administrationi consulitur c) Relate ad ius commune rescripta sunt iuxta ius, praeter ius, aut contra ius. Iuxta ius rescripta dicuntur quae Pontifex iuri communi conformiter concedit praeter ius, quibus Pontifex quae iure non sunt decisa concedit; contra ius quibus Pontifex aliquid con-

---

(1) L. fin. § 1. Cod. de leg.
(2) L. 2. eodem.

tra communem iuris dispositionem facit uti privilegia largiendo ect.

§ 3.

De rescriptorum subiecto idoneo.

29. Omnes fideles rescripta obtinere possunt qui capaces sunt iurium in Ecclesia Christi. Quare excipiuntur excommunicati maiori excommunicatione (*) sive vitandi sint sive non quia Martinus V favore fidelium hanc distinctionem induxit. In Ecclesia enim iuribus carent ac Ecclesia fidelem censuris irretitum per poenarum metum a via perditionis reducere conatur (1). Quamobrem praxis seu stylus forensis est ut in rescriptis R. Pontificis absolutio a censuris praeponatur eo fine tantummodo ut rescriptum Pontificis valeat. Quae et solutio non valet si censuratus per annum continuum in censuris insorduerit (2). Attamen iuxta aequitatem lex ecclesiastica statuit ut et excommunicatus rescriptum obtinere possit a) sive in ipsa causa excommunicationis (3)

---

(1) C. 1. l. t. in 9°. Cf. Santi hoc loco.

(2) Riganti. Comm. ad Reg. Cancell. Apost. tom. IV. p. 150. edit. Rom. ubi agit de Regula LXVIII.

(3) Cap. 41. de Praescript. in Decretal.

(*) Nota. Hodierna disciplina raro infertur in praxi excommunicatio minor qua nempe homo baptizatus privatur solum participatione Sacramentorum. Cf. Santi praelect. iur. can. l. 5. t. 39. n. 32.

Excommunicatus vitandus debet esse nominatus.
ac vitandus hodie in divinis
antiquitus vitandus fuit etiam in civilibus

b) sive in causis civilibus (1) aut criminalibus ratione appellationis* quibus se iniuste gravatum persentiat. Hisce exceptis rescriptum ab excommunicato obtentum est ipso iure nullum (2). Item de haereticis cum sint excommunicati (3). Similiter propter fraudis periculum quis non potest pro aliis rescripta iustitiae obtinere si non habeat speciale mandatum, vel saltem coniunctus non sint vinculo sanguinis nec constet de eorum contraria voluntate (4). Secus dicendum de rescriptis gratiae (5) contra Panormitanum (6). Sunt tamen qui idem dicunt inductum esse quoad rescripta iustitiae, at eorum affirmatio probata non videtur (7).

§ 4. §§

De vi iuridica rescriptorum.

30. Vis rescriptorum est consideranda 1) relate ad partes quibus rescriptum constat, 2) relate ad ius quod dicit, 3) relate ad tempus quo effectum habet. Et quoad primum probatur vim rescripti in parte dispositiva reponendam esse quod iuridice et

---

(1) Cf. Reinffenstuel. l. I. t. III. §. II. op. ius. canon univers.

(2) Cap. 1. de rescript. in 6°.

(3) L. 2. Cod. de Sum. Trinit.

(4) C. 28-33. h. t. - l. 24. Cod. de procurat. l. 35. l. 40. de procurat. ff.

(5) L. 6. de rescr. et cap. 24. de Praeb. - (6) Cap. 20. t. VI. 1.

(7) Zitelli de disp. matr. c. 2. a. 2. Proleg.

9. Solieri. 1901.

*Appellatio = provocatio inferioris ad superiorem ratione gravaminis illati vel inferendi.

historice probatur. Iuridice etenim, rescriptum ex Pontificis voluntate vim habet, sicuti de omnibus legibus est dicendum, atqui voluntas Pontificis non manifestatur nisi in parte dispositiva. In parte enim narrativa Princeps sese praebet uti historicum, in parte persuasiva sese praebet uti virum doctissimum qui iuris dispositionibus rescripti iustitiam suadet. Historice cum ad modum attendatur quo usque ab antiquitate rescripta exarantur. Antiquitus et praesertim media aetate in more positum erat ut non modo Sum. Pontifex sed et Episcopi et Abbates, imo et Princeps proprios Cappellanos haberent. Iam constitutiones a Romanis Pontificibus antiquitus in solemni coetu Antistitum Romanae Provinciae et recentioribus saeculis in consistorio Cardinalium comprobantur. At rescripta exaranda Cappellanis Pontificiis committebantur, ita e.g. et Gregorius IX suam decretalium compilationem quam in corpore iuris canonici habemus, B. Raymundo Pennafortensi commisit quem suum Cappellanum nominavit. Itaque cum aliqua petitio Romano Pontifici referretur, unus ex Cappellanis instantiae summam in Cappella seu in Collegio Cappellanorum referebat. Deinde Pontificis voluntas explorabatur, ac habita responsione, haec in scriptis redigebatur servata forma praedita rescriptorum, pluribus adiectis sponte quibus rescriptum ornatius videretur. Nil mirum proinde si nonnulla R. Pontificis rescripta, quae in corpore iuris continentur, nonnulla extranea contineant, vel minus ad rectam rationem exacta. Haec enim evi=

denter scripta fuerunt a Cappellanis qui nimis suo ingenio, suaeque doctrinae indulserunt.

31. Hisce Cappellanis, ait Cardinalis de Luca, successerunt qui Rotae Romanae Auditores nuncupantur (1). Nam Cappellanis, auctus Sedis Apostolicae negotiis, coepit a SS. Pontificibus facultas concedi definiendi negotia; tandem Ioannes XXII eiusque successores regulas statuerunt iuxta quas ab iis negotia iudicialiter expedirentur. Cessato autem Cappellanorum munere in exercendis rescriptis, hoc munus sacris Cardinalium congregationibus demandatum est. Verum antiquum mos servatur. Cardinalis Praefectus de oblata petitione Romano Pontifici refert; habita responsione rescriptum ab officialibus congregationis exaratur iuxta S. Pontificis mentem et iuxta formam allatam rescriptorum. Ex quibus patet quod vis rescripti in sola parte dispositiva reponenda est, tum quia in ea tantummodo voluntas Pontificis manifestatur, tum quia partes narrativa, ac exornativa ab ingenio sacrarum congregationum officialium quodammodo dependent. Est tamen hic notandum non semper in rescriptis partem exornativam inveniri; insuper aliquando parti dispositivae commisceri vel etiam dispositivae praeponi.

32. Quodsi rescriptum vis consideretur relate ad ius quod dicunt, dicendum est rescripta per se non gignere nisi ius particulare, sive quia se referunt tantummodo ad facta eidem Principi proposi-

(1) Cur. Rom. discurs. 32.

ta sive quia unam aut alteram personam respiciant. Verum si a) rescriptum in universa Ecclesia Pontificis auctoritate promulgatur, prouti saepius accidit de rescriptis quibus ius dubium interpretatur, aut si b) voluntate Pontificis in collectionibus legum ecclesiasticarum ab Ecclesia adprobatis inseritur, rescriptum iuris universalis vim obtinet (1).

33. Relate vero ad tempus quo rescriptum vim iuridicam sortitur, rescripta iustitiae ad hoc ut iudici in iis delegato conferatur iurisdictio, effectum habent a die praesentationis iudici delegato (2). Quoad ea vero quae pertinent ad statum controversiae a tempore quo rescripta data sunt (3). Rescripta vero gratiae a tempore datae, nempe a tempore quo data sunt effectum sortiuntur si agatur de gratia ab eodem Pontifice facta (4). Aliquando autem ex particulari causa conceditur ut a die exhibitionis precum rescripta effectus sortiantur. Quod si agatur de gratia facienda a iudice delegato, idem obtinet quod de iustitiae rescriptis iam diximus (5).

(1) Cf. Suarez op. c. lib. 4. cap. 14. n. 3. et seq.

(2) Cap. 12. sq. h. t. in decret. c. 12. de appell. c. 4. de rest. spoliat.

(3) Cap. 43. de rescript. c. 19. h. t. - c. 7. h. t. in VI. Clem. ult. h. t.

(4) Cap. 7. 30. 38. de rescript. c. 9. eodem in 6° cap. 7. et 31. De Praeb. in VI. reg. 16. in VI.

(5) Arg. ex cap. 36. de praeb. in 6°

§ 5.

De cessatione rescriptorum.

34. Rescripta aliquando vel usque ab initio vim non habent, vel tractu temporis amittunt. Ab initio rescripta aliquando vim non habent ex vitiis extrinsecis, aut intrinsecis. a) Vitiis extrinsecis fit nullum rescriptum si aliquid omissum est quod ad rescripti formam substantialem extrinsecam pertinent, ita habetur uti nullum rescriptum in quo omittitur nomen Pontificis, aut data etc. rescriptum in quo rasura aut cancellatio sit praesertim in loco substantiali, vel vitium aut fractura in sigillo (1), rescriptum in quo crassus error contra grammaticam invenitur (2). Hisce in casibus rescriptum legis dispositione uti nullum habetur, eo quia maxima suspicio inducitur rescriptum vel esse apocryphum vel saltem corruptum. Defectus literae tamen non invalidat rescriptum b) Vitiis intrinsecis autem rescriptum nullum est, vel quia necessarium vel in petitione vel in rescripto non est expressum, vel quia falsum vel in petitione vel in rescripto est allegatum. Expressio falsi, dicitur in iure obreptio, reticentia veri subreptio. Cum vero obreptio et subreptio quoad iuridicos effectus minime differant, frequenter in iure et usu promiscue sumuntur (3).

---

(1) C. 3. de fid. instrum.

(2) C. 11. h. t.

(3) Cap. 11. de fide instrum.

35. Et in primis quod ad petitionem rescripti attinet, obreptio vel subreptio locum habuit vel dolo, vel ignorantia et simplicitate (1) Si dolo locum habuit obreptio vel subreptio, rescripta sive gratiae (2) sive iustitiae (3) sunt ipso iure ab initio invalida, dum error non cadat omnino in accidentalibus. Quod si obreptio vel subreptio in petitione ex ignorantia vel simplicitate irrepserit distinguendum est. Vel veri reticentia, aut falsi allegatio cadit in causam impulsivam, vel in causam motivam. Causa motiva vel finalis dicitur, qua princeps ita movetur ad concedendum rescriptum ut illud non concederet si sciret causam non esse veram; causa impulsiva e contra est qua Princeps suadetur sed per se sufficiens haut esset ad rescriptum impetrandum (4). Ex his liquet si obreptio aut subreptio in causam motivam cadat, rescriptum voluntate Principis destitui, ideoque omni vi carere oportere; secus quoad causam impulsivam dicendum. Verum hac in re distinguere oportet, nam rescripta gratiae sunt ipso iure nulla, rescripta vero iustitiae ope exceptionis invalidantur (5). Insuper si in rescriptis iusti=

---

(1) Cf. Machat. op. c. h. t.

(2) C. 31. h. t. cap. 8. eod.

(3) Cf. Suar. cap. 31. h. t. contra paucas cap. 15. 16. 20. Cf. Machat. l. 1. tit. 3. op. c.

(4) Cf. Machat. op. c. h. t.

(5) C. 2. 19. 20. h. t. - c. 23. de praeb. in 6°. - c. 2. de renunciat. in VI. cap. 2. de fil. presbyt. in VI. - Clem. 1. de praeb.

liae obreptio vel subreptio causa fuit ut in rescripto specialis forma iudicii a iudice prosequenda statueretur, valeret tamen rescriptum in forma communi iudiciorum assequendam. In dubio in rescriptis gratiae dolus praesumitur, secus in rescriptis iustitiae (1). Ex his consequitur: 1) Si R. Pontifex rescriptum motu proprio concedat, ex certa scientia rescriptum etiam obreptitium vel subreptitium ratione ignorantiae vel simplicitatis validum est (*)(2), nisi tamen rescribens iure delegato ageret; excederet enim mandatum. 2) Si plures adsint causae motivae falsae sufficit ut una sit vera ut valeat rescriptum (3), dummodo a) vel omnes causae ita inter se non connectantur ut unam causam moraliter efficiant, quod extra hypothesim videtur (4) et insuper b) dummodo ex dolo plures falsae motivae allegatae non sint. Ulterius causa motiva sufficit ut vera sit tempore concessionis rescripti, idest tempore quo rescriptum vim

---

cap. 9. 23. de rescript. Cf. Fagnan. in cap. 20. de Rescr. Cf. Reinff. l. 1. t. 3. de rescr.

(1) Cf. Zitelli De dispens. proleg. c. 2. art. 2. quest. 1.

(2) C. 23. de praeb. in VI. cf. Zitelli op. et l. cit. cap. 23. Clem. 4.

(3) Cap. 4. et 20. de rescript.

(4) Cap. 37. de reg. Iuris in VI.

(*) Nota. In dubio causa censetur impulsiva l. cum tale § falsam. ff. de conditionibus et demonstr. c. 25. de verb. signif. Zitelli op. c. l. c.

Exceptio est exclusio actionis actoris, legitime intentata facta apud legitimum iudicem

incipit habere servata distinctione inter rescripta gratiae et iustitiae iuxta supra dicta. Quod si omnes causae sint impulsivae et una falsa, rescriptum corruit quia omnes impulsivae unam motivam efformare censentur. Quod si tandem mixtae sint reddit supra dictum.

36. Rescriptum pariter ex eius parte ab initio vim non habet si quid necessarium non est expressum, vel si quid falsum est allegatum. Quare a) ex gr. nullum est rescriptum contra ius commune vel ius tertii nisi horum sit mentio (1) b) nullum est secundum rescriptum generale contra primum speciale, secus si primum generale fuit quia per speciem derogatur generi ect. ect. (2).

37. Tandem rescripta quae ab initio valida fuerunt tractu temporis vim amittere possunt, etiamsi rescripta sive gratiae sive iustitiae per se perpetua (3) praesumuntur nisi rescriptum ad tempus duraturum datum sit. Interim rescripta cessant a) per renunciationem postulantis sive expressam sive tacitam. Prouti si quis obtenta dispensatione dirimente ad matrimonium cum Caia contrahendum, non utitur rescripto, sed novam dispensationem petit ab imped. dirimente matrimonium cum Sempronia cum qua ma-

---

(1) C. 13. h. t. cap. 1. de constit. in VI.

(2) C. 1. 3. h. t. Cf. Machat. op. c. de rescr. n. 7. et seq.

(3) C. 9. de off. deleg. reg. 16. in VI. a. decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.

trimonium contraxit. Mortua Sempronia non potest nisi nova dispensatione matrimonium contrahere cum Caia, secus si cum libera matrimonium contraxit (1). Quoad autem renunciationem (2) expressam si rescripta edita fuerint favore plurium personarum ab omnibus renunciatio emittenda est, etiamsi ab uno fuerint obtenta. b) per Principis revocationem sive expressam sive tacitam (3). Ita tacita revocatione cessat rescriptum iustitiae quod intra annum iudici delegato praesentatum non sit, si alius interim contrarium rescriptum obtinuerit et contra 1.m excepevit. Quod a iure in poenam negligentiae statutum est (4) c) per mortem postularitis; quod semper in rescriptis gratiae locum habet, in rescriptis vero iustitiae videndum est an ius eiusque consectaria quae defunctus vi rescripti acquisierit ita sint personalia ut non transeant ad haeredes (5) d) morte concedentis rescripta iustitiae, vel gratiae faciendae cessant re tamen adhuc integra (6). Dicitur in casu res integra cum rescriptum ad executionem non fuerit praesenta=

---

(1) Sanchez libr. 8. d. 32. n. 3.

(2) Cap. 12. de for. comp. - regul. 29. in VI.

(3) Cap. 14. 24. 30. h. t.

(4) C. 23. h. t. Innocentii III.

(5) Cf. Zitelli op. et l. cit.

(6) Cap. 3. de Rescript. in VI. - c. 20. de off. deleg. reg. 16. in VI. - c. 36. de praeb. in 6°. - c. 9 de off. et pot. Iud. del. in 6°.

10. Solieri. 1901.

tum. e) morte executoris si ratione personalis industriae electus fuerit (1) f) per efficacem impugnationem rescripti, quae fieri potest oris aperitione obtenta, nempe obtenta facultate impugnandi rescripta de quibus agitur (2).

Articulus 2.

De Sacr. Tribunalium decisionibus.

Summarium: 38. De vi decisionum sacrorum tribunalium.

38. Praeter rescripta aliquando vim legis in Ecclesia habent etiam sacrorum tribunalium vel sacrarum congregationum decisiones in casibus particularibus: Est iuris principium res pro aliis iudicata aliis nec prodesse nec obesse potest (3). Iudicii enim non est legem concedere, sed solummodo legem latam singulis casibus applicare. Quare vis iuridica iudicii fundatur in legis interpretatione in ordine ad particulares circumstantias. Cum proinde circumstantiae diversae esse soleant diversis occurrentibus casibus, consequitur rem pro aliis indicatam aliis nec prodesse nec obesse posse. Cuiusve igitur Tribunalis decisio nonnisi ius particulare inter partes gignere potest. Quod et de decisionibus sacrarum

---

(1) Cf. Zitelli op. c. et l. cit.

(2) Cf. de rescr. Zallinger, Zitelli de disp.

(3) Leg. 2. Cod. cap. 25. de sent. et re iud.

Congregationum est dicendum si per iudicii modum procedant (1). Attamen aliquando hae decisiones vim legis universalis habere possunt, quod accidit, a) si ius a Congregationibus interpretatur speciali Summi Pontificis mandato, ac legitimo modo interpretatio promulgetur. b) Si decisiones SS. Congregationum aliquam generalem iuris dispositionem pro obiecto habeant, dummodo item consulto Pontifice decisio feratur et edatur. c) Si decisiones huiusmodi in similibus casibus repetitae inveniantur ita ut ingens earum copia habeatur, qua consuetudo iudicialis seu, stylus Curiae, seu praxis forensis introducatur (2).

Caput 2.

De iisque vim legis habent etiamsi per modum legis non ferantur seu de Concordatis.

39. Remissive ad articulum 4. capitis 3 tituli 3.i libri 2.i primae partis. Hinc solum notamus concordata vim legis habere pro omnibus diocesibus pro quibus concordatum inter Ecclesiam et Statum initum est. Etenim 1) concordata ab Ecclesia ineuntur ut fideles omnes obligent pro quibus ineuntur, et 2) etiamsi concordata a civili auctoritate promulgentur tamen haec promulgatio auctoritate etiam Pontificis fit cum ad hoc concor-

---

(1) Cf. Fagnan. in cap. 13. de const.

(2) Cf. Santi Prael. lib. 1. tit. 31. n. 45. et sq.

data ineantur ut promulgentur. Ceterum concordata leges mixtae dici possunt cum ab utraque auctoritate civili et ecclesiastica procedant.

Caput 3.
De iis quae vim legis particularis habere dicuntur seu de privilegiis.

Videbimus 1) De privilegium definitione 2) de privilegiorum subiecto 3) de privilegiorum causa efficiente 4) de privilegiorum divisione 5) de privilegiorum acquisitione 6) de privilegiorum cessatione.

Articulus 1.
De privilegiorum definitione.

Summarium: 40. Privilegiorum definitio - 41. Quando privilegium a lege proprie dicta distinguitur. - 42. Quando privilegium differat dispensationibus.

40. Privilegium definitur "concessio ut pluries permanens seu perpetua qua contra vel praeter ius commune aliquid speciale alicui personae a legitimo superiore largitur" (1). Hac in definitione privilegii nomine ius ipsum seu ipsa gratia significatur, at aliquando privilegium improprie dicitur mandatum ipsum vel instrumentum quo princeps concedit alicui specialem gratiam quod interdum vocatur rescriptum, indultum, Bulla etc. Nihilomi-

(1) Ex l. 16. ff. de leg.

nus non est de privilegii substantia ut scriptis concedatur. Aliquando tamen iuris dispositione scriptura requiritur (1). Imo nostris temporibus privilegia Apostolica in foro externo valere non censentur nisi authentizata per officiales publicos quibus id in Curia Apostolica incumbit (2). Tamen certum est privilegia vivae vocis oraculo concessa pro foro interno valere (3). Item in definitione privilegium dicitur concessio ut pluries perpetua. Qua in re monendum est cum clariss. Suarez (4) "non omne privilegium esse legem proprie et in rigore sumptam, quia de ratione legis est, ut sit perpetua in sensu iuris: non autem omne privilegium est perpetuum: ergo saltem illud quod perpetuum non est, non est proprie lex. Est perpetuum privilegium quod vel adhaeret rei de se perpetuae, vel sine limitatione temporis conceditur. Est temporale privilegium quod datur ad tempus, quod soli personae individuae conceditur, quod datur sub conditione quae lapsu temporis finitur.

41. Verum privilegia a ceteris legibus distinguuntur quia hae ius commune concedunt, privile-

---

(1) Cf. Extravag. 1. de Elect. reg. 24. Concil. Trid. Ses. 23. cap. 1. de reform. - sess. 25. c. 5. de R. Reg.

(2) Const. Urb. VIII. "alias" et Gregorii XV. "Romanus" Cf. Mach. o. cit. h. t.

(3) Cf. Santi praeb. 1. V. et 33. n. 5. 6. - Extrav. "Etsi" de Poen. et Remis.

(4) De leg. l. 4. c. 1. n. 2.

gium vero ius privatum. Quia autem hoc ius privatum respicit et communitatem et quoad obligationem quam inducit, et quoad bonum et finem quem saltem indirecte intendit, legem etsi improprie dictam constituit. Privilegii autem obiectum est ut aliquid praeter vel contra ius commune concedatur, quia alias privilegium esset inutile (1). Neque videtur absolute dicendum cum aliis uti cum Panorm. (2) de ratione privilegii esse ut solum aliquid concedat contra ius commune, nam etiam per concessionem praeter ius lex privata constituitur (3).

42. Ex allata privilegii natura patet quando privilegium a dispensationibus differat. Illorum sententia praetermissa qui dicunt dispensationem causam requirere non vero privilegium; quod omnino absonum est, dicendum est dispensationem a privilegio quo lex privata constituitur differre quia privilegium est aliquando per se permanens non autem dispensatio. Verum uti privilegium ad tempus vel in genere privilegium non perpetuum ideoque legem non constituens, reducitur ad dispensationem, ita dispensatio permanens ad privilegium perpetuum reducitur quo

---

(1) Decret. 25. q. 1. 2.

(2) Cap. olim de verb. signif. n. 7. Mach. o. cit. l. 5. t. 33 l. 14. et sq. ff. de h. t.

(3) Cf. Suarez l. et op. cit. contra opinatur Mach. Inst. l. V. t. 33. cf. D'Annib. Sum. Theol. part. 12. De leg. n. 227.

lex privata inducitur. Quare quae ad dispensationem pertinent conditiones ad privilegia cum proportione aptandae sunt. Item privilegium a gratia vel beneficio differt ita ut omne privilegium gratia sit et beneficium, non vero e contrario (1).

Articulus 2.
De privilegiorum subiecto.

Summarium: 43. Quinam possit in Ecclesia obtinere privilegium

43. Privilegii subiectum est vel persona singularis, vel societas seu communitas imperfecta vel in genere persona moralis quae velate ad integram societatem ut singularis persona iuris fictione consideratur (2). Ceterum quae dicta sunt de subiecto idoneo rescriptorum data proportione recolantur.

Articulus 3.
De privilegiorum causa efficiente.

Summarium: 44. Tantummodo qui potest condere legem privilegia concedere valet.

44. Privilegiorum causa efficiens non est nisi legitimus Superior seu princeps in societate universali vel particulari aliqualiter autonoma, data tamen proportione. Etenim iuri communi derogare, vel ius par=

(1) Cf. Suarez op. c. l. 8. c. 2.
(2) Marchat. Inst. op. et l. cit.

ticulare constituere, quod obligationem in communitate inducat, nonnisi ad supremum illius societatis gubernatorem pertinere potest. Hinc Suarez has regulas assignat. 1) Quicumque potest legem condere potest et privilegium concedere. 2) Nullus potest privilegium concedere qui legem condere non potest. Haec regula primam perficit ita ut simpliciter dici possit: Solus ille potest privilegium dare qui potest legem ferre."

Articulus 4.

De privilegiorum divisione.

Summarium: 45. Quando privilegia dividuntur.

45. Plures apud auctores privilegiorum divisiones exhibentur: praecipuas referre sufficiat (1) a) Privilegia alia sunt realia alia personalia, illa directe rei alicui, muneri, conditioni a persona distinctae conceduntur, haec immediate personae (2). Quod autem privilegium sit reale vel personale, cognoscitur, monet Suarez (3) tum ratione modi quo personae fit gratia, tum ratione causae qua privilegium conceditur, tum ratione rei circa quam versetur immunitas pri-

---

(1) Cf. Machat. op. c. et l. cit.

(2) Cap. Mandata de praesumpt. l. 196. ff. de regulis iuris et l. forma ff. de censibus - Reg. 7. Iuris in 6°. reg. 78. ff. § 37. et sq. Inst. de act.

(3) Op. cit. l. 8. c. 3. n. 3. et seq.

vilegii, tum ratione verborum quibus privilegium conceptum est. In dubio praesumitur personale (1). Privilegium quod collegio personarum conceditur nonnulli vocant mixtum quatenus de reali et personali participat, verum nihil impedit quominus tale privilegium absolute reale vocetur iuxta iam dicta. b) Privilegia alia favorabilia alia odiosa dicuntur: illa primario in persona favorem conceduntur etiam si indirecte in tertii praeiudicium (2), haec vero primario in odium alterius conceduntur (3). Tamen, notat Machat, privilegia odiosa vocari communi usu quae iuri communi adversantur aut tertii praeiudicium continent (4) c) Privilegia alia sunt clausa in corpore iuris, alia procedunt ex speciali rescripto Principis. Illa per modum legis concipiuntur, uti clericorum privilegia ita ut nullum sit quod iudex contra ea decernat; legem enim ignorare non permittitur (5) secus dicendum de privilegiis quae ex speciali rescripto conceduntur quae a iudice ignorari praesumuntur. Attamen praesumptio, ut par est, cedere debet veritati (6) d) Privilegia alia concessa sunt motu proprio, alia ad instantiam. e) Privilegia alia dicuntur gratuita quae ex mera liberalitate, alia ve-

---

(1) Cf. D'Annib. op. et loc. c.

(2) Uti priv. ex Senat. cons. Vellej. in benef. mulier. fideiu.

(3) Uti priv. ex Senat. cons. Macedon. in odium foenerat.

(4) Op cit. et l. cit.

(5) Cap. 5 et 7 de exces. Prael. Reg. iur. 13. in II. cf. D'An. op. c.

(6) Cap. 7. h. t. in 6°. Intercessio { 1) extinctiva { tali modo quando quis in se recipit solvendum ut alter fit omnino l.?; 2) communicativa

11 Solieri. 1901.

Fideiussio est species intercessionis communicativae qua quis id quod alter debet in se recipit solvendum

muneratoria quae meritis rependendis conferuntur uti Regularium privilegia, alia onerosa seu conventionalia per modum contractus in gratiam alterius vel iuris cui privilegiatus cesserit, collata sunt (1).

Articulus 5.
De privilegiorum acquisitione.

Summarium: 46. Privilegia acquiruntur concessione Principis, praescriptione, communicatione. - 47. Acquiruntur etiam confirmatione.

46. Privilegia acquiruntur a) concessione Principis uti rescripta. Quare recolenda sunt quae praesertim de valore rescriptorum dicta sunt b) praescriptione aut consuetudine quae saltem consensu legali principis nititur (2). c) communicatione qua princeps privilegium uni concessum deinde alteri communicat. Quae communicatio fit dupliciter vel indirecte concedendo privilegium ad instar ut dicitur, vel directe. Vis communicationis privilegii ad instar est, gratiam concedere formaliter contentam in uno exemplari, quo iam alteri privilegium concessum fuit, et in eodem sensu quo in exemplari continetur, et cum eadem estensione, vel restrictione, et non maiori neque minori (3). Cum exemplar per communicationem ad instar

definitio n. 47

(1) Zitelli de dispensation.

(2) Cap. fin de consuet. c. 18. et 4. de praescript.

(3) Cf. Suarez op. c. l. 8. c. 15. n. 1.

sit communicatum prouti tempore communicationis existit, et cum alias huius communicationis finis non sit, nisi ut cognoscatur extensio privilegii ad instar consequitur: 1) neque exemplatum augetur aut imminuitur aucto aut imminuto exemplari, nisi aliis de causis contrarium sit concludendum, uti si de hoc caveatur; neque e contrario exemplar, imo a fortiori, aucto aut imminuto exemplo; (1) 2) exemplari pereunte non perit exemplatum, et viceversa (2) 3) si exemplar non existit neque valet privilegium ad instar eius concessum nisi satis manifeste contineat quod conceditur (3). Ex hoc patet privilegium ad instar nonnisi indirecte dici privilegium communicatum, cum omnino a se proprias vires habeat (4) quod ex dicendis melius patebit. Communicatio privilegiorum proprie dicta seu directa est triplicis generis: alia nempe quae fit generalibus verbis adhibitis; alia formula absolutam paritatem indicante uti pariformiter, aeque principaliter, alia cum limitatione. Communicatio privilegiorum proprie dicta a communicatione improprie dicta seu indirecta per privilegium ad instar differre

---

(1) Arg. l. 2. ff. de condit. et demonstrat. - Panormit. in cap. ult. ne cler. vel monach. n. 5.

(2) Suarez op. l. c. Zitelli de disp. contr. Mach. et alios.

(3) L. si sic legatum 75. § si mihi ff. de legatis. 1.

(4) Suarez op. cit. 18. c. 16. n. 7.

videtur eo quia in communicatione proprie dicta non habetur nisi extensio eiusdem privilegii ad alios, dum in communicatione improprie dicta novum privilegium conceditur etsi iuxta exemplar, seu ad instar exemplaris iam existentis. Ceterum quidquid sit de hac (1) quaestione inter doctores certum est privilegium semel communicatum nullo modo pendere aut quoad diminutionem, aut revocationem, ect. a privilegio quod communicatur, prouti de privilegio ad instar contingere iam vidimus. Iam si communicatio generalibus verbis fiat privilegia extraordinaria non communicantur (2) Si vero privilegia formula absolutam paritatem indicante communicantur, et extraordinaria privilegia communicata intelliguntur, iis exceptis quae particularem et individuam habent causam, vel quorum communicatio a Pontifice prohibita est, vel quorum communicatio potius esset noxia (3). Tandem quoad privilegia quae cum limitatione communicantur, ea communicata intelliguntur de quibus expressa mentio fiat.

47. d) Privilegia acquiruntur etiam confirmatione. Confirmatio duplex est: alia nempe in forma communi qua privilegium prouti in se est conformatur adeoque si invalidum tali confir-

(1) Cf. Suarez l. 8. cap. 16. de leg.
(2) Arg. cap. 81. de reg. Iur. in 6°.
(3) Cf. Zitelli de dispensat.

matione privilegium non convalidatur (1) alia in forma speciali quae sanat defectus et vim tribuit si non habet; hoc enim in casu Princeps agere praesumitur ex certa scientia. Quare privilegia solum speciali confirmatione acquiruntur. Verum excipitur si defectus privilegii quod confirmatur sit insanabilis vel talis quod ab eo dispensari non soleat; hoc enim in casu praesumptio cedere debet veritati (2), sin minus maiori praesumptioni.

Articulus 6.

De privilegiorum cessatione.

Summarium: 48. Privilegia multipliciter cessant idest ex parte concedentis, ex parte privilegiati, ex parte ipsius privilegi.

48. Privilegia multipliciter cessant. a) Ex parte concedentis vel) eius morte aut quocumque modo eius iure resoluto si sint hac conditione concessa vel si agitur de gratia facienda re adhuc integra secus si de gratia facta (3); vel) eius revocatione expressa aut tacita (4): b) ex parte privilegiati vel) eius

(1) Cap. 6. de fid. instr. Decr. Arg. cap. 4. - cap. 7. de confirmat util. vel inutil.

(2) C. 5. de conf. in Decr. cf. Zitelli de disp. matr.

(3) C. 36. de praeb. in 6°. cap. 9. de off. del. 1. 6. de iur. 11.

(4) Cap. 28. de rescr. Cf. Machat. h. t. - Reiff. v. 33. nn. 123. 124.

2) Servitus rusticus { iter / via / actus / auctus } 3) ... altius / altius ... tollendi ... non ... ...

renunciatione (1) nisi sint in bonum publicum uti clericalia privilegia (2) vel) alterius causa constituta (3) vel) non usu* aut usu contrario, dummodo tamen 1) agatur de privilegiis quae cum aliorum gravamine coniuncta sunt; 2) scienter et voluntarie aliquis non utatur privilegio vel contrario agat; 3) legitimum praescriptionis tempus effluxerit pro privilegii qualitate. Cessat enim privilegium quia ille in cuius praeiudicium erat, libertatem praescriptione acquirit (4). Insuper privilegiati morte cessat Privilegium, si sit personale, vel) re totaliter pereunte si privilegium sit reale (5): Quod si privilegium sit reale et personale ad heredes transit (6); vel) abusu quia privilegio est privandus qui illo abutitur aut excedendo fines privilegii, aut sumendo ex illo occasionem liberius peccandi, aut contra privilegii finem agendi (7) c) Ex parte privilegii cessat privilegium vel) quia privilegium est ad tempus vel sub conditione; tunc enim adveniente tempore aut non serva=

[Margin: ...* Servitus est jus in re aliena alteri constitutum quo dominus rei ... pati vel non facere tenetur]

---

(1) L. 10. de donationibus "quia invito beneficium non datur."

(2) Reg. 29. Cod. de pactis - c. 6. in fin. h. t. - c. 12. de foro comp. c. 5. de arbitr. - cap. 36. de sent. excom.

(3) L. 2. cod. de leg.

(4) L. 6. ff. de servit. - l. 1. ff. de nundinis.

(5) Reg. 7. in 6° c. 2. de relig. domibus - can. 48 - 16. q. 1.

(6) L. 19. §. ult. de minor. cf. D'An. p. 207. op. V. 1.

(7) Cap. 7. ubi d. 74. c. 18. de regul. c. 24. h. t.

* solummodo illa privilegia cessant per non-usum quae important limitationem alterius
Quia ~~non~~ utens hoc privilegio, alter praescripsit ejus libertatem.

[illegible] ... [illegible] { ... fructus
... sus (i.e. principia quae sunt necessaria) ad ... [illegible]
... alitationis

la conditione cessat privilegium vel) quia cessat privilegii causa. Quod locum habet cum actus privilegii concessus tractum habeat successivum per dies, menses, annos; tunc enim evenire potest ut actus fiat illicitus (1). Quod si causa ante actualem concessionem cessat nulla est privilegii concessio, quia principis voluntas deficit; e contra si privilegium, stante causa, unico actu integre consummatum est, cessante causa non cessat: quia in conservando non pendet a tali causa iuxta regulam 73 in 6°. "factum legitime, retractari non debet licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari" (2) vel) quia saltem privilegii causa suspenditur, quia habet tractum successivum. Hoc in casu et privilegium suspenditur donec causa redeat. Ita, ait Machat, in quadragesima ex causa debilitatis dispensatus ad usum carnium cessante debilitate tenetur abstinere a carnibus.

Caput 4.

De iis quae legis vim habent at legis perpetuitate non gaudent seu de regulis cancellariae Apostolicae.

Vidimus 1) de Regularum Cancellariae descriptione et divisione 2) De nonnullis praecipuis Re=

---

(1) C. 9. de decim. c. pen. de cler. non resid.
(2) Cf. Machat. Inst. 1. V. t. 33.

gulis Cancellariae 3) De Regularum Cancellariae vi iuridica

Articulus 1.
De Regularium Cancell. descriptione et divisione.

Summarium: 49. Regularum Cancellariae descriptio ac divisio.

49. Regulae Cancellariae sunt "constitutiones quaedam pontificiae maiori ex parte concernentes causas et reservationes beneficiales.... Sic dictae vel quia bona earum pars concernunt expeditionem litterarum quae in cancellaria expediuntur, vel quia in cancellaria publicantur et regestis consignantur, idque auctoritate Papae. Solet quilibet Pontifex has regulas revocare et publicare.... Primus omnium eas edidisse et sic appellasse dicitur Ioannes 22. Initium eas habuisse circiter anno 1330 ait Cardinalis de Luca (1). Sequentes Pontifices et praesertim Nicolaus V (1447) has regulas auxerunt; hodie 72. circa numerantur. Triplex eorum genus distinguitur, et aliae sunt directivae quae maxime respiciunt expeditionem litterarum apostolicarum, aliae reservatoriae quibus beneficia reservantur, aliae iudiciales pro faciendis appellationibus (2) in processu ecclesiastico.

---

(1) De benef. disc. 1. n. 23. Cf. Bouix de parocho p. 320.
(2) Cf. Aichner. comp. i. c. §. 19.

Articulus 2. all important

De nonnullis praecipuis Regulis Cancellariae.

Summarium: - 50. De regula 19. de viginti, de regula 20 de idiomate, de regula 35 de annali possessione, de regula 36. de triennali possessione, de regula 9 circa menses papales.

50. Regulae Cancellariae, notat clariss. Aichner, proxime nonnisi officiales Cancellariae afficiunt, nonnullis exceptis quae latius per ecclesiam vigere coeperunt. Hae sunt praecipue quae beneficiorum reservationem attingunt et notandae sunt inter alias a) regula 19 de viginti. Si quis resignat beneficium et moritur ante 20 dies plene completos post resignationem, resignatio ad fraudes vitandas non valere censetur. b) Reg. 20 de idiomate. Obtinens beneficium debet callere linguam loci illius c) reg. 35. de annali possessione, qua post unius anni pacificam possessionem beneficii etiam sine titulo, possessor dimoveri ab alio non possit nisi 1) causam apertam et perspicuam et simul nomen et gradum possessoris significet, et nisi 2) intra sex menses possessorem in iudicium vocet, causamque absolvat intra annum salvis legitimis impedimentis. Attamen haec regula vi destituitur, si patronus, de cuius praeiudicio agitur, non potuit anno ius praescrutandi exercere. Excipitur si constet de non iure possessoris, vel per rem iudicatam

vel per propriam confessionem d) Regula 36 de triennali possessione, de qua quaestio moveri non potest dummodo 1) adsit titulus coloratus 2) possessio triennalis fuerit continuata, pacifica 3) beneficiarius sit capax beneficii. Quare exceptiones cadunt in reos simoniae realis, in intrusus in beneficium reservatum ratione mortis beneficiarii in curia, vel infra 40 milliaria italica, in eos quorum titulus falsus evidenter in continenti constat. Post autem decennium tituli etiam praesumptio inducitur. e) Regula 9a circa menses papales quoad collationem beneficiorum, qua reservantur beneficia quae vacant binis mensibus ex tribus quibusve concipiendo a Ianuario, at Episcopi (1) obtinent alternos menses. Verum quoad hanc regulam attendenda sunt quam maxime concordata inter statum et Ecclesiam.

Articulus 3.

De Regularum Cancellariae vi iuridica.

Summarium: 51. Regulae cancellariae vim habent legis universalis et cessant morte Rom. Pont.

51. Regulae Cancellariae legis universalis vim habent, at earum proprium est, ut vim habeant usque ad mortem Pontificis, ideoque cessant et regulae reservatoriae, Sede Apostolica vacante, imo do-

---

(1) De regulis Cancellariae cfr. opus Riganti: com. in reg. Canc.

titulus ad jus Ecc. transformatur jure

nec noviter electus Pontifex omnes regulas renovaverit. Solet autem eas renovare die sequenti ipsius electionem (1). Notat Aichner regulas Cancellariae sub recentioribus Pontificibus non amplius promulgari; sed solummodo officialibus Cancellariae communicari. Imo promulgatio iam a temporibus Clementis XIV. 1769 (2) ab usu recessisse videtur.

Titulus 3.

De legum Ecclesiasticarum collectionibus.

52. Usque a primis Ecclesiae temporibus in more positum erat, ut Epistola praesertim Decretales quas R. Pontifices ad Episcopos scribebant in archivio dioecesano servarentur. Hinc S. Hieronymus, ut Ruffinum suaderet de authenticitate epistolarum Anastasii I. ad Ioannem Ierosolymitanum, eum provocat ad Archivium, quod dicebatur etiam Chartarium, Scrinium etc. (3).

53. Legum ecclesiasticarum collectiones tripliciter dividi possunt; aliae nempe sunt quae iuris canonici corpus antecedunt, aliae iuris canonici corpus constituunt, aliae iuris canonici corpus consequuntur. De his singulis articulis breviter est dicendum. Interim collectiones quae iuris canonici corpus antecedunt,

---

(1) Lauvenius forum beneficiale p. 2. q. 539 et 540. apud Bouix p. 320.

(2) Cf. Aichner l. c. op. c. Walter = manuale di diritto eccl. §. 125. t. 1.

(3) Cf. Salzano. Lez. di dir. can. t. 1. p. 29.

innominati contractus
do ut des
facio ut facias
do ut facias
facio ut des.

nominati contractus.
(a) [illegible] [illegible] tractus [illegible]
object. mutui est res fungibilis quae secundum numerum, pondus et mensuram determinatur.
(2) depositi (imperfecte bilateralis
(3) commodati
(4) verbalis (5) consensualis {[illegible]

ad medietatem saeculi 12 quo Gratiani decretum prodiit pertingunt. Nostrum non est, omnes collectiones referre: de praecipuis breviter dicemus. Omissis quae de collectionibus primorum conciliorum dicenda essent, et praesertim de canonibus Concilii Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini, et Chalcedonensis quae concilia oecumenica, uti ait Innocentius III (1). Eccl. uti quatuor Evangelia veneratur, omissis quae dicenda essent de collectionibus legum civilium ad rem ecclesiasticam iure vel iniuria pertinentes, praecipuae collectiones usque ad saeculi 12 medietatem sunt, in Oriente constitutiones et canones apostolorum, collectio Ioannis Scolastici, collectio Trullana, collectio Photiana, in Occidente collectio Dionysiana, collectio Isidori Mercatoris, et collectio Ivonis Carnutensis.

Caput 1.

De legum ecclesiasticarum collectionibus quae iuris canonici corpus antecedunt (ius. vet.)

Videbimus 1) de collectionibus Apostolicis, 2) de collect. Ecclesiae Orientalis. 3) de collectionibus Ecclesiae Occidentalis.

Articulus 1.

De Collectionibus Apostolicis.

Summarium: 54. Constitutiones apostolorum - 55. Canones apostolorum.

---

(1) Cap. 11. de renunciat. Decr. Greg. IX.

[illegible] Gratiani ad jus vetus
novum
novissimum.

54. Saeculo 3º iuxta probabiliorem sententiam in Oriente opus prodiit quod Apostolorum epistolam referebat quae sex libris vitae ecclesiasticae officia continebat. Initio saeculi 4. liber septimus additus est, qui circa morales ac liturgicas praescriptiones versabatur. Circa eiusdem saeculi 4ⁱ medietatem liber octavus additus est, qui dispositiones circa ordinationes ac sacras Episcoporum functiones, nec non quasdam regulas disciplinares suppeditabat. Haec collectio denominata est: Constitutiones Apostolorum. At haec collectio, prouti Apostolorum dicatur, apocrypha est, neque S. Pontifici Clementi, sub quo nomine aliquando venerunt constitutiones, tribuendae sunt; Et sane a) patres trium priorum saeculorum ac utriusque Ecclesiae omnino de his silent b) in iis plura sunt etiam contra fidem, disciplinam ac historiam ecclesiasticam. Ceterum etiamsi ab haereticis diversis temporibus hae constitutiones corruptae fuisse videantur earumque auctor ad saeculum tertium vel quartum referendus sit, tamen quia saltem prima Orientalis ecclesiae disciplinae vestigia nobis praebent, plurimi faciendae sunt.

55. Saeculo sexto constitutionibus praedictis caput ultimum additum est Apostolorum canones continens. Horum canonum iam quinto saeculo collectio in Oriente existebat quae videtur canones 50 comprehendisse, ast serius canones aucti sunt ad quinque et octaginta (circa finem saeculi quinti) Ecclesia Orientalis hos canones semper venerata est,

quos etiam sub Clementis Pont. nomine usuvenerunt. Verum circa antiquitatem ac horum canonum auctoritatem variae sunt sententiae. Alii) enim praesumunt vel ab Apostolis conscriptos vel Clementi ab ipsis apostolis traditos, alii) praesertim protestantes non modo apocryphos habent sed etiam saeculo quinto a quodam haeretico ac suppositos habent, quod non est admittendum; alii) autem mediam viam incedunt ac dicunt illos canones neque ab Apostolis conscriptos neque Clementi traditos, sed a conciliis particularibus saeculorum statutos, collectos circa medietatem saeculi tertii fuisse. Quidquid sit, certe videtur dicendum quod non pertineant ad apostolos 1) quia primorum saeculorum scriptores ecclesiastici silent 2) quia plura dicuntur quae cum temporum apostolicorum disciplina non conveniunt uti nomina Cantoris, Subdiaconi, parochiarum divisio etc. 3) quia alia sunt contra fidem universalis Ecclesiae uti iteratio necessaria baptismatis haereticorum. 4) quia communiter ad saeculum Ecclesiae tertium referuntur. 5) quia plura continent etiam ridicula; uti can. 63. prohibetur clericis sub dispositione, laicis sub excommunicatione ieiunare die Sabati et Dominicae (1). Attamen ad Ecclesiae disciplinam trium primorum saeculorum cognoscendam valde utiles existimantur.

---

(1) Cfr. Bianchi op. cit. l. 2. cap. 3.

Articulus 2.

De collectionibus Ecclesiae Orientalis.

Summarium: 56. Collectio Ioannis Scholastici. - 57. Collectio Trullana. - 58. Collectio Photiana.

56. Ioannes Scholasticus (quo nomine tunc temporis appellantur qui ex advocatorum ordine erant) duplicem collectionem fecerat primam nempe cum esset presbyter Ecclesiae Antiochenae, secundum cum sedem patriarchalem Costantinopolitanam occuparet. Ex quadam antiqua collectione anno 578 Ioannes Conciliorum Graecorum canones non excluso Concilio Sardicense, collegit iuxta materiam ordinem. Cum autem Ioannes Iustiniani Imperatoris favore sedem Constantinopolitanam obtinuisset, legitimo deiecto patriarcha Eutychio non aliam ob causam quam quod haeresi incorruptibilium obstitisset, rursus aliam collectionem edidit, eique Imperatoris constitutiones addidit. Haec collectio nomocanon dicta est; eo quia leges civiles, et ecclesiasticas refereret. Profecto cum huius collectionis auctor in sede Constantinopolitana fuevit intrusus, eius auctoritas valde imminuta est. < sunt duo requisita scientia et probitas: et hoc in casu defuit probitas.

57. Anno 692. Iustinianus 2.us in Trullo vel secretaria palatii imperialis Constantinopolitani synodum convocavit. Haec Synodus dicitur etiam quini-sexta quia illi Episcopi praesumpserunt

Collectiones acceperunt vim extrinsecam ab approbatione Pontificis. et Quae in collectione approbata sunt etiam apocrypha tamen acceperunt vim legis. In collectione non-approbata, partes habent eandem vim ut habebant extra collectionem.

se supplere id quod quinto (537) ex sexto (680) concilio generali Constantinopolitano deerat. Hinc synodus Trullana fuit conciliabulum, tum quia sine Pontificis interventu coacta est, tum quia plura statuta sunt contra Ecclesiae iura ac disciplinam. Hac in synodo collectio canonum facta est, receptique sunt canones a Ioannes Scolastico collecti, expunctis tamen Sardicensibus, qui R. Pontificis ius defendebant excipiendi ab Episcopis appellationes. Additi sunt tamen canones nonnullorum conciliorum Orientalium quae revera sunt undequaque spectabilia. Attamen haec collectio, pronti talis, nullam habet auctoritatem.

58. Photius patriarcha intrusus in Ecclesia Constantinopolitana canonum collectionem iam a Ioanne Scolastico peractam perficere nisus est anno 883. Addidit autem Photius canones et decreta in illis conciliabulis statutis quibus Ignatius legitimus patriarcha a Sede Costantinopolitana deiectus fuit, eique Photius vi suffectus. Haec collectio nullam auctoritatem habet, ob auctoris nequitiam, etiamsi eiusdem doctrina non sit diffitenda. Partem autem quae Nomocanon dicta fuit, intactam reliquit Photius, additis solum novorum canonum citationibus, nonnulisque iuris civilis dispositionibus. Collectio Photiana apud Graecos maximo in honore fuit praesertim saeculo 10 (1). Post collectionem Photianam aliae

(1) Cf. Walter l. 1. pag. 154.

collectiones apud Ecclesiam orientalem factae sunt, inter quas notatur collectio (saeculo 9) Basilicorum nomine appellata, Imperatorum iussu concinnata. Hac collectione iurisconsulti etiam quoad rem ecclesiasticam utebantur. Accesserunt etiam commentaria in collectiones iam factas; ita v. g. Zonaras (1120) et Balsamon (homines schismatici et Romanae Ecclesiae infensissimi) in Photii collectionem commentaria ediderunt. Item apparuerunt collectionum syntagmata, inter quae praecipuum est syntagma Blastares. Postquam autem Ecclesia Orientalis ab Ecclesia Occidentali se separavit, unusquisque Patriarcha decreta ac canones pro arbitrio edidit, et praecipua norma ecclesiae Orientalis schismaticae est collectio Photiana cum commentariis Zonarae et Balsamonis.

Articulus 3.

De collectionibus Ecclesiae Occidentalis.

Summarium: 59. Collectio Prisca-Dionysiana. - 60 Collectio Isidori mercatoris - 61. Collectio Ivonis Carnutensis.

59. Apud Ecclesiam Occidentalem inter praecipuas collectiones locum tenet collectio Dionysiana. Saeculo quinto Ecclesiae antiquus Ecclesiae Graecae codex in latinam linguam conscriptus est. Hinc apud latinos duae collectiones apparuerunt. Isi-

doriana*e* nempe, (*) et Prisca. - Saeculo sexto Dionysius monachus confusione priscae translationis offensus, ut ipse ait, novam collectionem pro latina Ecclesia disposuit. Dionysius facit collectionem certe ante annum 525, et post mortem Gelasii Pontificis, imo probabiliter vel saeculo quinto labente, vel initio saeculi sexti (1). De Dionysii scientia ac pietate nobis testimonium amplissimum reddit Cassiodorus (2). Ipse Exiguus humilitatis causa appellatus est, iuxta morem qui inter monacos illis temporibus invaluerat. Dionysius opus in duas partes divisit, in prima 50 apostolicos canones posuit, necnon canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarenses, Gangrense, Antiochenos, Laodicenos, Costantinopolitano, Calcedonenses, ac 21. canones Sardicenses, ac 138 canones Africanos. In secunda parte, decretales collegit Siricii, Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Coelestini, Leonis, Gelasii, et Anastasii Pontificis. Secunda pars aucta fuit praesertim sub Adriano I, a quo dicta est etiam collectio Adrianae (3), quam Adrianum Carulo Magno obtulisse fertur.

---

(1) Cf. Bianchi l. 2. c. 3. §. 5. et libr. 3. cap. 6.

(2) De divinis sanctionibus. c. 23.

(3) Cf. Salzano op. c. et lib. cit., et Bianchi l. 3. cap. 6. qui contra sentit.

(*) Nota. - Eius auctor probabiliter S. Isidorus Hispalensis dicitur. Haec collectio confundenda haud est cum collectione Isidori mercatoris.

Collectio Dionysiana magnam habet intrinsecam auctoritatem, tum quia Dionysius scientia ac probitate praeditus erat, tum quia quoad collectionem RR.PP. epistolarum ipse cum Romae esset prae manibus epistolas authenticas habere potuit, easque nonnisi maxima petulantia corrumpere potuisset, tum quia collectionem Dionysianam statim ac edita est, Ecclesia Romana primitus dein universa Latina Ecclesia, tamquam optimum sacrae disciplinae monumentum recipit.

Verum non constat Romanus Pontifices eam solemniter adprobavisse, eo magis quia canones 50 Apostolicos continet, de quorum fide ipse Dionysius dubitare videtur (1).

60. Temporibus Gregorii Magni alia collectio prodiit, quae appellata est collectio Isidori Mercatoris, vel uti nonnulli volunt Peccatoris. Huius collectionis auctor non cognoscitur. Certum est auctorem collectionem nonnullis Gregorii Magni decretalibus explevisse, uti ipse ait in praefactione; et quod pertinet ad canones conciliorum in illa collectione collectos, auctor eam explevit in secundo concilio Hispalensi anno 619, uti testantur Cardinalis Anguirre. Canones enim aliorum Conciliorum quae usque ad saeculum octavum celebrata sunt, nec non decretales Pontificum qui post Gregorium Magnum successerunt alii addiderunt. Haec collectio

---

(1) Devoti instit. 1.1.

per plura saecula S. Isidoro Hispalensi tributa fuit; cuius fama eximia erat tunc temporis, eo vel magis quod iuxta antiquam collectionem Isidorianam de qua supra dictum est cuius integra fragmenta referuntur, haec collectio facta fuit. Verum quinam fuerit auctor certe erui nequit, etiamsi probabiliter auctorem quemdam Benedictum Levitam Moguntinum nonnulli dicant propter similitudinem huius collectionis cum alia eiusdem Benedicti elucubratione. Haec collectio propter plura documenta apocrypha iam nota, continet canones apostolicos 59, epistolas decretales Pontificum a Clemente ad Melchiadem apocryphas (1) ac diversa concilia supposita etc Imo plura adsunt documenta interpolata quibus Isidorus pro lubitu addidit, vel dempsit.

Isidorus proinde usus est documentis 1°) genuinis atque sinceris uti sunt epistolae decretales ex Dionysiano codice desumptae 2°) suppositiis quae ipse fabricatus est, 3°) apocryphis ab aliis ante Isidorum procusis 4°) interpolatis quae ipse corrupit. Attamen primus qui de huius collectionis genuinitate dubitare coeperit, fuit Nicolaus Cardinalis Cusanus saeculi 15 medietate (2). Notandum tamen est 1°) in hac collectione nihil contra fidem reperiri 2°) insciis Romanis Pontificibus falsas decretales confectas fuisse 3°)

---

(1) Cf. Walter op. c. t. 1. pag. 168.

(2) In sua opera de concordantia cath. l. 3. c. 2.

Pontificis privilegia illa collectione veluti fundamento non inniti, sed ipso divino iure 4°) substantialiter hac collectione Ecclesiae disciplinam immutatam non fuisse 5°) disciplinam quae ab Isidoriana collectione praeferebatur, auctoritatem ecclesiasticae legis obtinuisse non eiusdem collectionis, sed ecclesiasticarum constitutionum. Isidori scopus duplex fuit; alter Episcoporum indemnitati consulendi, alter stabiliendi Primates quos Patriarchis exaequat (1).

61. Post Isidori collectionem aliae in Ecclesia Latina factae sunt, sed omnes nil novi continent, nisi conciliorum canones qui uniuscuiusque collectionis aetati respondent. Attamen inter has notanda est collectio Ivonis Carnutensis Episcopi in Gallia qui saeculi 12 initio floruit. Hic collectionem edidit sub nomine Panormiae; hanc autem rursus ampliavit sub Decretum nomine. Hic primus fuit inter latinos qui in sua collectione etiam leges civilis iuris nomen posuit. Quare in Occidente Nomocanonum ei tribuitur.

---

(1) Cf. Tecchiotti instit. l. 1. 567. opus fratrum Ballerini, Walter, Blascum, Philipps, Bianchi ec. ec.

Caput 2.

De legum ecclesiasticarum collectionibus quae iuris canonici corpus constituunt (ius novum)

Videbimus 1°) de collectionibus ante Gregorii IX decretales 2) de collectionibus Decretalium Gregorii IX. 3°) De collectionibus post decretales Gregorii IX.

Articulus 1.

De collectionibus ante Gregorii IX Decretales.

Summarium: 62. Collectio Gratiani. - 63. Praecipuae collectiones post Gratiani decretum.

62. Praeter recensitas alias collectiones Ecclesia latina habuit usque ad Gratiani decretum circa annum 1151. Ita v.g. apud Africanos vigebant codex Africanus, ac Breviatio canonum Fulgentii Ferrante diaconi an. 547. apud Hispanos collectio Martini Episcopi Bracarensis an 572, apud Gallos praesertim capitularia, quae in generalibus comitiis Episcoporum et Procerum lata, Ecclesiae simul et status regimen spectabant, apud Germanos collectio Reginonis Abbatis Prumensis an. 906, et praesertim volumen decretorum Burchardi Wormatiensis an. 1023; apud Italos collectio S. Paschalis Lucensis, Cardinalis Deusdedit, Bonifacii Episcopi Sutrini an. 1089. ect. ect. Tandem saeculo 12

Collectio ante XII saeculum continet jus vetus. Inde incipit jus novum, cujus prima collectio fuit Gratiani.

circa annum 1151 (1) prodiit celeberrima collectio Gratiani monachi benedictini: Gratiani scopus fuit concordare inter se canones, et decreta quae inter se dissidere videbantur. Hinc eius collectio vocata est: concordantia discordantium canonum. Communiter tamen Gratiani decretum appellari solet. Opus in tres partes dividitur (2). Prima pars complectitur distinctiones centum et unam, et quaelibet distinctio continet plures canones seu capita. In hac parte agit tum de iure ecclesiastico in genere, cuius originem, auctoritatem, divisiones querit, tum de clericorum statu et officiis. Secunda pars sex et triginta causas complectitur, quaeque causae in quaestiones subdividuntur, quaeque quaestiones plures canones continent. In hac agitur de iis quae ad ecclesiastica iudicia pertinent. Tertia pars prouti prima dividitur in distinctiones, et canones. In ea agitur de rebus et ritibus sacris; quare de consecratione inscribitur. Tractu temporis ignota manu Decreto nonnulli canones accesserunt sub Paleae inscriptione. In diversas sententias abeunt Doctores huius inscriptionis significationem explicantes. Alii enim dicunt ea capita collectioni adiecta esse a quodam Paucapalia, qui fertur primum fuis

---

(1) Trithemius l. 2. de viris illust. ord. S. Bened. collectionem Gratiani refert ad an. 1127.

(2) Cf. Vecchiotti op. cit. l. 1. c. 4. et Walter op. c. t. 1. §. 100. et seq.

se Gratiani discipulum; alii putant res levioris momenti et antiquatas illis capitibus contineri, quod falsum omnino est; alii dicunt hanc vocem transcriptorum errore a duabus vocibus efformatam nempe post alia (p. alia) quod forsitan probabilius videtur. Statim ac Gratiani collectio prodiit tanto in praetio habita est ab omnibus, ut caeterae collectiones negligerentur.

Quod magis ex temporum circumstantiis quam ex intrinseca eiusdem collectionis praestantia est repetendum: Nam 1) cum eo tempore methodus scolastica invaluevit, cumque Gratianus hac methodo usus sit, factum est ut Gratianus omnes studiosos post se traheret, prouti Petrus Lombardus eadem methodo omnes theologos: 2) cum Gratianus in suo codice plura ex iure civili Romanorum inseruisset, cumque item iis temporibus iuris civilis Romanorum studium reviviscere coepisset, Gratiani collectio studiosorum ingeniis satis faciebat; 3) praeterea illis temporibus maximam auctoritatem habebant. Universitates studiorum, inter quas Bononiensis, in qua tunc temporis maximae famae iurisconsulti florebant. Universitas Bononiensis Gratiani collectionem, super quam lectiones forsitan ab ipso Gratiano in ea Universitate tradebantur, statim recepit.

Quare huius collectionis occasione, nova facultas in Universitate Bononiensi instituta est. Eius professor Magistri, Decretorum doctores, eorumque

auditores canonistae, Decretalistae appellati sunt. Imo factae sunt de Gratiani collectione glossae interlineares, apparatus, dein absolute commentaria. Universitatis Bononiensis exemplum, et aliae Universitates imitatae sunt; hinc nil mirum si eius existimatio latissime fuerit propagata (1).

× Quoad auctoritatem intrinsecam decreti Gratiani magnam revera non esse dicendum est a) Ordo qui in certa partium dispositione consistit omnino desideratur; hinc Antonius Augustinus ait: "si apud Gratianum artem requiras et ordinem dicendi, frustra laboraveris" (2) b) Gratiani collectio multis erroribus scatet; erravit enim in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum ect., saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt Pontificum Maximorum esse dicuntur, vel quae sunt alicuius Episcopi, Romano Pontifici, aut Concilio Generali, vel provinciali tribuuntur. Attamen clarissimus Vecchiotti animadvertit omnino reprehendendam esse "Cl. Gregorovii audaciam qui (3) affirmare non erubescit librum hunc deturpasse notiones iuridicas Ecclesiae et Status, iudiciumque omnium aetatum obscurasse ea mente ut Sacerdotio ac Primatui S. Pontificis imperium in universo mundo tribueret." Gratiani collectionem non modo priva-

---

(1) Cf. Walter op. c. vol. 1.

(2) lib. 1. dialog. 1. de emend. Grat.

(3) In op. La storia di Roma nel Medio Evo t. 4. p. 734.

ti doctores, sed etiam RR. Pontificis emendare conati sunt. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. novam et castigatiorem Gratiani emendationem egressi sunt, eamque Romanis Correctoribus, ita dictis; demandaverunt. Nihil autem mirum si in opere vastae adeo molis, etiam omnino, quo par erat, studio et diligentia peracto, novi errores tractu temporis inventi sunt. Hinc Gregorius XIII permisit ut viri eruditi in expendendis Gratiani monumentis doctrinali interpretationi incumberent. Notatu dignum est opus absolutissimum clar. Bevardi cui titulus "Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti." Gratiani decretum aut nullam habet extrinsecam auctoritatem cum numquam R. Pontifices solenniter illud adprobavissent ut legis vim haberet (1) Neque hoc decretum adprobavit Eugenius III, uti nonnulli praesumunt, cum Eugenii decretum a nemine proferatur (2). Alii in medium adducunt Gregorium XIII, at ipse Pontifex in suis litteris 2. Iulii 1582. declaravit, curasse se ut Gratiani Decretum amendis expurgatum et correctum exhiberetur, sed mentionem non fecit de eius legali adprobatione. Quod et Rota Romana cor. Pegna dec. 480. declaravit (3). Neque cum aliis est adducenda consuetudo universalis, etenim ex hoc quod unus a=

---

(1) Etsi Trithemius solus contra dicat.

(2) Cf. Ant. Augustinum dial. 2. l. 1.

(3) Cf. Bened. XIV. de Syn. dioc. l. 7. c. 15. n. 6. et op. de Canoniz. § I. 4. p. 2. a. 17. n. 10.

ut alter licet spurius canon usu in legem rece=
ptus est, colligere fas haud est, alios quoque in=
discriminatim receptos fuisse. Imo de facto con=
stat quod si nonnulla consuetudine recepta sunt,
plura etiam sunt reiecta. Quare dicendum est, cum
Benedicto XIV (1) quod "quae in Gratiani collectione
continentur tantam habent auctoritatem quan=
tam haberent si etiam in Gratiani collectione
non extitissent, seu quanti valent rationes sanae
criticae quibus ea iuxta Gratiani lectionem de=
fenduntur."

63. Post Gratiani decretum usque ad Decreta=
les Gregorii IX aliae collectiones prodierunt. Sunt
collectio Bernardi Circa Papiensis Praepositi, dein
Episcopi Faventini anno 1199. In hac collectione
praesertim collecta sunt quae extra Gratiani de=
cretum vagabantur quare dicta est "Breviarium
Extravagantium." Item Gilbertus Abbas, et Alanus
Episcopus Antissiodorensis, alios canones prae=
sertim in Breviario extravagantium omissos col=
legerunt. Ex harum duarum collectionum, quae
perierunt, fragmentis Ioannes Gallensis, seu Val=
lensis aliam fecit collectionem. Item Bernardus
Compostellanus Archidiaconus Romae degens no=
vam fecit collectionem iussu Innocentii III, quam
ipse pontifex per Petrum Beneventanum correctam
vulgavit. Ita Innocentius III. aliam collectionem,
in qua praesertim canones posuit Concilii Late=

---

(1) Op. et loc. cit.

ranensis IV. fieri iussit (1). Tandem S. Pontifex Honorius III. suas decretales colligere iussit. Priores duae collectiones a R. Pontificibus vim legis non obtinuerunt. Legis vim obtinuerunt solum collectiones Innocentii III. et collectio Honorii III. Hanc edidit primus Innocentius Cironius Academiae Tolosanae cancellarius (2)

Articulus 2.

De collectione Decretalium Gregorii IX.

Summarium: 64. Collectio Gregorii IX. - 65. De auctoritate huius collectionis.

64. Hae autem collectiones in oblivionem obiere; quando sub Gregorio IX eiusdem celebris collectio prodiit. Ex supra dictis collectionibus, et ex aliis canonibus, qui extra illas collectiones vagabantur, nec non ex decretalibus Gregorii IX, collectio facta est, quae Gregorii IX decretales auditur. Hoc munus Gregorius IX. Raymundo de Pennafort commisit, viro pietate ac multiplici eruditione praestantissimo. Raymundus materiam divisit in quinque libros, libros in titulos, titulos tandem in capita quorum unumquodque vel alicuius Pontificis decretalem, vel alicuius Concilii decretum continet. Attamen neque Pontificum decretales, neque decreta conciliorum ex integro referuntur, cum Raymundus

---

(1) Hanc edidit primus Antonius Augustinus.

(2) Vecchiotti op. et l. cit.

potestate sibi facta usus sit inutilia et superflua resecandi. Qua in re fatendum est Raymundum aliquando excessisse, ita ut aliquando fragmenta adducta rite percipi nequeant, nisi in antiquis collectionibus integrum textum perlegamus.

65. Quod attinet ad auctoritatem huius collectionis dicendum est, ipsam magnam habere auctoritatem intrinsecam, plenam extrinsecam. Etenim sanctitas et doctrina auctoris eum veracem fuisse testimonium amplissimum reddunt, etsi quoad doctrinam aliquid amplius desiderari potuisset, cum aliquando documenta apocrypha cum genuinis confundat, ac etiam Pontificum documenta falsa afferat. Ceterum plenam habet extrinsecam auctoritatem. Gregorius IX eam plene adprobavit, eique vim legis tribuit. Imo sua collectione Gregorius IX vim legis ademptam voluit antiquis Decretalibus et collectionibus quae etiam ab antecessoribus probatae fuerint, ac prohibuit ne aliquis sine Sedis Ap. speciali auctoritate novam collectionem ederet.

Articulus 3.

De collectionibus post Decretales Gregorii IX.

Summarium: 66. Collectio Bonifacii VIII. Clementis V. ac Ioannis XXII. - Ex quibus collectionibus constet corpus iuris canonici.

66. Verum cum novae Pontificum decretales pro-

duissent, ac duo Lugdunensia Concilia sub Innocentio IV. ann. 1245. et Gregorio X. an. 1274. celebrata fuissent, Bonifacius 8. voluit ut alia collectio aderetur; quia ut ipse ait in epistola collectioni praefixa "in societate Ecclesiastica de nonnullis decretalibus ab ipso Gregorio IX et a subsequentibus Pontificibus editis dubitationes existunt, et quinam sint eorum auctores." Bonifacius anno 1298 collectionem commisit Guillelmo Archiepiscopo Ebrodurensi, et Berengario Episcopo Biterensi, ac Richardo De Senis S. R. E. Vice-cancellario. Hanc collectionem Bonifacius Sextum Decretalium, appellavit, cum Bonifacii mens fuisset Collectioni Gregorii IX supplementum conficere, qua collectionem 5 libris constare vidimus.

Haec collectio plenam habet auctoritatem intrinsecam ac extrinsecam, cum et a vitiis immunis sit, (etiamsi et in ipsa nonnisi fragmenta collecta sint), et eam solemniter Bonifacius VIII. adprobavit ac uti legem promulgaverit.

67. Ulterius Clemens V, tam ex canonibus Concilii Viennensis an. 1316. cui ipse praefuit, et ex constitutionibus a se editis, aliam collectionem fieri iussit iuxta ordinem Decretalium Gregorii IX. Hanc collectionem vocare septimum Decretalium proposuerat, at morte correptus est. Eius tamen collectionem vulgavit et legali auctoritate communivit Ioannes XXII. Clementis V. successor, sub nomine Clementinarum constitutionum.

68. Tandem ex decretalibus Ioannes XXII, et ex

decretalibus 25. Pontificum ab Urbano IV. ad Sixtum IV. duae collectiones factae sunt, nempe collectio "Extravagantium Ioannis XXII, et collecto" Extravagantium Communium; sunt enim decretales quae extra praecedentes collectiones vagabantur. Utraque interdum habet auctorem, neque constat an hae collectiones, qua tales, legis vim obtinuerint. Verumtamen, notat Vecchiotti, "praeter quam quod communi usu receptae fuerint, ex propria origine, videlicet a Sum. Pontificibus ex quibus singulae prodierunt, vim legalem sortitae sunt."

69. Itaque iuris canonici corpus in tres partes dividitur. Prima Gratiani decretum continet. Secunda Gregorii IX decretales. Tertia sextum Bonifacianum, Clementinas, et Extravagantes Ioannis XXII et Extravagantes communes. Gratiani decretum, nullam habet auctoritatem extrinsecam, sed tantum valet uti diximus quantum valent monumenta quae afferuntur, quae consideranda sunt prouti in collectione non extitissent. Extravagantes vero quatenus in collectione sunt auctoritatem legalem habere non constat, verum tum ex usu, tum eo quia sunt authenticae Pontificum decretales, quae etiamsi in collectione non essent per se vim legis haberent extravagantes vim legis habere non dubitatur. Decretalibus Gregorii IX. Sexto Bonifaciano, et Clementinis vim legalem Pontifices tribuerunt (*)

(*) Nota. In corpore iuris notanda sunt rubri=

Caput 3.

De legum ecclesiasticarum collectionibus quae iuris canonici corpus consecutae sunt (ius noviss).

Summarium: 70. Praecipue collectiones quae ius novissimum efformant, sive ex canonibus conciliorum, vel ex constitutionibus Romanorum Pontificum, vel ex decisionibus sacrorum Congregationum vel ex Regulis Cancellariae - 71 Aliae collectiones.

70. Post collectiones quae in iuris canonici corpore continentur, aliae usque ad nostra tempora facta sunt collectiones, tum) ex canonibus Conciliorum qui in Corpore Iuris communis non extant, tum) ex Constitutionibus Summorum Pontificum post Sixtum IV. editis, tum) ex decisionibus sacrarum Con-

---

cae, summaria, et Glossae. Rubricae sunt titulorum inscriptiones, quae si enunciatae sint per modum praecepti, vim legis habent in collectionibus quae sunt a Pontificibus uti leges adprobatae. Hoc in casu dicuntur rubricae praeceptivae; secus non praeceptivae vel declarativae. Summaria sunt breves periodi quibus summarium decretalis, aut canonis exhibetur. Maximo in praetio habenda sunt, at vim legis non habent, cum a privatis scriptoribus confecta sint. Glossae sunt Decretalium et Canonum commentaria. Exponuntur ad marginem textus in Corpore iuris. Non habent nisi auctoritatem illius Commentatoris a quo exaratae sunt ac rationum quibus innituntur.

gregationem tum) ex Regulis Cancellariae. Inprimis est notanda collectio canonum Concilii Tridentini ann. 1562. sub Pio IV. Pont. qui acta integra confirmavit Bulla = Benedictus Deus = Iam collectionem canonum Conciliorum ac Decretalium Pontificum Gregorius XIII incoepit, at morte correptus opus non absolvit. Eadem de causa Sixtus V. opus imperfectum reliquit, quod ad finem deductum fuit a Clemente VIII, qui ei titulum imposuit: septimum Decretalium Clementis VIII. Verum haec collectio "miris elucubrata laboribus et vigiliis, et Praesulum, Gymnasiorum, totiusque Ecclesiae vocibus efflagitata" (1), suppressa fuit anno 1590. Petrus Mathaeus Iurisconsultus Lugdunensis novam fecit collectionem ex decretalibus a Sixto IV. ad Sixtum V. Quae collectio septimus decretalium vocata est. At nullam auctoritatem extrinsecam, parvam etiam intrinsecam, cum pluribus vitiis scateat, habet. Item sub auspiciis Sixti V. Laërtius Cherubinus Romanus fecit collectionem constitutionum R. Pontificum. Postea novam editionem Laërtius curavit, quam, eo mortuo, perfecit eius filius Monacus Cassinensis, qui hanc collectionem sub nomine Bullarii magni edidit anno 1638. Quatuor voluminibus opus constat, quibus accessit quintum volumen opera duorum fratrum strictioris observantiae Angeli a Lantusca et Pauli a Roma. - Hieronymus Mai

(1) Cf. Fagn. in c. cum venissent.... de iud.

15. Solieri. 1901.

nardi Magnum Bullarium in quatuordecim tomos distributum edidit Romae, cuius auctor est Cellinus. Accesserunt quatuor tomi Bullas Benedicti XIV. continentes. Advocatus Andreas Barberi (1843-1855) collegit Breves, epistolas, allocutiones, Constitutiones Summorum Pontificum Clementis XIII, et Clement XIV. Pii VI. Pii VII, Leonis XII, Pii VIII. et Gregorii XVI. Item quinque voluminibus collecta sunt acta Pii IX, et edita sunt ex typographia bonorum artium an. 1854, 1858, 1866, 1871.

71. Similiter collecta sunt acta Conciliorum; inter quas collectiones est notanda collectio Martini, qui primus ante Concilium Tridentinum collectionem Parisiis duobus voluminibus edidit. Item notanda est collectio Venetiis edita curante Nicolao Colleti, cui supplementum addidit. Dominicus Mansi anno 1748; item est notanda collectio (regia) Labbaei, et Harduini, nec non quae dicitur Zatta. Tandem collectiones factae sunt decisionum sacrarum Congregationum. Notanda est collectio resolutionum Cong. Concilii quae nomine "Thesaurus" inscribitur, quaeque originem habuit ab anno 1718. Celebris est collectio Aloysii Cardellini. Anno 1882 hisce accessit collectio decretorum S. Congregat. Indulgentiarum iussu Leonis XIII. concinnata ab anno 1768. ad 1882. Ex his omnibus collectionibus auctoritatem extrinsecam ac vim legalem non habent nisi Bullarium Benedicti XIV, et collectio decretorum Congr. Indulgentiae praeter canones Concilii Tridentini

Oecumenici. Non est omittendum hodie sub praelo esse novam collectionem constitutionum Romanorum Pontificum nec non decretorum, instructionum S. Cong. de Prop. Fide, quae regiones respiciunt eidem S. Congregationi subiectas. Haec collectio inscribitur "Ius Pontificum de Propagandae Fide"(*). De Regulis cancellariae iam supra diximus. Hic notamus regularum Cancellariae primum glossatorem fuisse. Alphonsum Soto, deinde Gomez, Rebuffo, Molinaens et Riganti cuius praeclarissimum opus inscribitur "Commentaria in Regulas, Constitutiones, Ordinat. Cancell. Apost." Romae 1744.

Titulus 4

De legum ecclesiasticarum interpretatione

72. Iuris canonici scientia ab ecclesiastica iurisprudentia est bene distinguenda. Siquidem iuris canonici scientia est = legum ecclesiasticarum cognitio; iurisprudentia vero est "facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi". Etenim, ut ait Zallwein (1), cum leges sint generales impossibile est legem ferre ita claram ut ad singulos casus occurrentes applicari valeat (2). Duplex est pars iurisprudentiae: prima leges in=

---

(1) Princip. iur. eccl. t. 1. q. 2. c. 3.

(2) L. 10. 12. h. t. Cf. D. Th. 1. 2. q. 96. 6.

(*) Nunc in lucem prodiit Collectanea S. C. Prop. Fid.

terpretatur; altera leges applicat. Circa legum applicationem regulae tradi nequeunt. Legum enim applicatio, quae legum obiectiva interpretatio vocari posset, a casuum diversitate pendet. Nobis igitur est agendum de legum interpretatione proprie dicta, seu de interpretatione subiectiva, de qua praemissa definitione et divisione regulas interpretationis exhibemus, tum generice tum specifice nempe relate ad nonnullas leges.

Caput 1.

De legum ecclesiasticarum interpretationi in communi.

Videndum est a) quid sit et quomodo interpretatio dividitur et dein b) quaenam sint praecipuae regulae doctrinalis interpretationis.

Articulus 1.

De interpretationis definitione et divisione.

Summarium: 73. Interpretationis legis definitio, ac divisio.

73. Interpretatio legis definiri potest "voluntas legislatoris in re obscura diligens investigatio"(1) vel "alicuius legis obscurae vel ambiguae explanatio"(2). Interpretatio tripliciter est distinguenda: alia nem=

(1) Cf. D. Th. 2.2.120.1. ad 3.
(2) Cicer. l. 1. de div.

pe est authentica, alia usualis et alia doctrinalis. Authentica est "quae fit a legislatore qua tali, vel ab eius successore, vel superiore. Dicitur etiam interpretatio legislativa cum vim legis habeat; qui enim leges ferre potest, etiam leges solus legaliter interpretare debet (1). Attamen inferior ex speciali commissione Superius leges interpretare valet, agit enim in casu non propria sed superioris auctoritate (2). Ita Sacrae Congregationis ex Pontificis mandato ius commune aliquando interpretantur. Delegationis iure ex. gr. Sacra Concilii Congregatio (3) authentice consulto Pontifice canones Trid. interpretatur. Imo Pius IV. (4) specialiter prohibuit doctoribus privatis interpretationem sive commentariis, sive glossis, adnotationibus, scholiis in canones Tridentinos ex professo susceptam et typis editam absque Apost. Sedis consensu, Praelatis quidem sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae; aliis sub poena excommunicationis latae sententiae. Eodem iure delegato apud Romanos leges interpretabant iurisconsulti "quorum omnium sententiae et opiniones eam auctoritatem tenebant ut iudici recedere a responso eorum non liceret." (5). Usualis interpretatio ex legitima consuetudine o-

(1) Cf. leg. 12. 11. 9. Cod. de leg. cap. 31. de sent. excom.
(2) Cf. Mach. op. c. de const. §. VI.
(3) Iuxta Const. Sixti V. "Immensa".
(4) Bulla "Benedictus Deus" 16. Ian. 1564.
(5) Imp. Iust. inst. iur. civ. Rom. l. 1. t. 2. § 8.

ritur quae iuxta ius dicitur. Est enim consuetudo "optima legum interpres"(1). Ita decretum Trid. relate ad parochi adsistentiam in matrimonii celebratione (2) interpretatum est, ut alteruter parochus viri aut mulieris sufficiat. Verum prouti consuetudo est, uti diximus, iudicialis vel extraiudicialis, ita et legis interpretatio. Utraque interpretatio legalem interpretationem inducit, cum in consuetudine iuridica fundetur, quae vim legis habet. Doctrinalis interpretatio est quae a iuris doctoribus fit. Haec interpretatio non inducit nisi maiorem vel minorem probabilitatem iuxta rationes, in quibus fundamentum habet. Nihilominus plurimi facienda est, quia facillime cum ea interpretatio authentica et usualis, sive extraiudicialis, sive iudicialis coniunguntur (3). Non traduntur nec tradi possunt regulae pro interpretatione authentica, et usuali, cum ea a principis voluntate, haec immediate a facto populi, aut a decisionibus tribunalis pendeant. Res igitur de interpretatione doctrinali est, cuius regulae in praesentiarum sunt exhibendae.

Articulus 2.

De praecipuis regulis doctrinalis interpretationis.

Summarium: 74. Interpretatio doctrinalis alia est

---

(1) C. 8. de consuet. LL. 37. 38. ff. de leg. Regul. 45. iur. in 6°.
(2) Sess. 24. c. 1. de ref. mat.
(3) Cf. Suarez l. VII. Reiff. l. 1. t. 11. § 15-17.

declarativa, alia extensiva, alia restrictiva. - 75. Regulae interpretationis declarativae. - 76. Regulae interpretationis extensivae. - 77. Regulae interpretationis restrictivae. - 78. Ad regulas restrictivae interpretationis passim reducuntur regulae quae traduntur de ignorantia.

74. Doctrinalis interpretatio diversimode apud auctores divisa invenitur. Nos sequimur divisionem quam nobis praebet cl. Machat(1); qua nempe doctrinalis interpretatio alia est declarativa, alia extensiva, alia restrictiva. Lex enim obscura vel declaratur, vel extenditur, vel coarctatur; quia lex potest esse obscura tripliciter, vel in se ratione verborum, vel relate ad obiecta, dupliciter, aut quia dubium est an debeat extendi aut potius coarctari.

Itaque interpretatio declarativa est = quae verba dubia et obscura explanat. = Dicitur apud alios aut philologica quae tamen propria interpretatio non est si verba satis clara sint ac nihil novi adducat(2), aut philosophica si verborum sensum ex regulis grammaticalibus ac ex legis spiritu inquirit (3). Interpretatio extensiva est quae legem a casu expresso, vel a persona expressa ad ca-

(1) De const. § VI.

(2) Reiff. l. 1. t. 2. § 15.

(3) Vecchiotti op. cit. l. 1. de const. § 6.

sum vel personam non expressam extendit (1). Quod fieri potest dupliciter vel) pure extensive si extensio fiat ob solam paritatem vel similitudinem rationis tum ultra legis verba, tum ultra sed non contra mentem Legislatoris (2), vel) comprehensive si extensio fiat ob identitatem rationis pariter ultra verba, sed non ultra mentem legislatoris. Est extensio impropria dicta prouti probat Reiffen. (3). Restrictiva est interpretatio quae propter speciales circumstantias legem restringit, eamque in casu non obligare interpretatur. Ad hanc passim doctores et interpretationem correctivam, et Epicheiam revocant, cum interpretatio correctiva non sit nisi "verborum legis per benignam acceptionem mitigatio", epicheia vero non sit nisi "benigna legis correctio aut restrictio ex rite praesumpta mente legislatoris (4) vel correctio legis cum deficit propter universale" (5). Verum notat Cl. Sanguineti (6). Epicheia intrinsece differt ab interpretatione restrictiva, quia "qualibet interpretatio de verbis legis est sollicita dum e contrario epicheia mentem legislatoris declarat verbis etiam claris legis in aliquo peculiari

---

(1) Cap. 4. de rescr. l. 12. 13. h. t. ff.

(2) Reiff. op. et l. cit.

(3) l. c. Cfr. Suarez l. 6. de leg. c. 3. n. 9. Pirhing. l. c. t. 2. n. III. et alios.

(4) Cf. Machat op. c. l. 1. t. 2.

(5) Arist. Ethicor V. 10. Suarez l. VI.

(6) Inst. iur. can. Proleg. p. 2. sect. 2. § 4.

casu contrarium" (1). Hisce praehabitis agendum a) de regulis interpretationis declarativae b) de regulis interpretationis extensivae, et c) de regulis interpretationis restrictivae (*).

§. 1. De regulis interpretationis declarativae.

75. Cum interpretationibus declarativae sit verba obscura et dubia declarare, ita ut legislatoris mens patefiat, dupliciter uti supra monuimus procedi potest, vel per viam philologicam vel per viam philosophicam. Quocumque modo procedatur in quacumque interpretatione, maxime attendendum est tum) ad mentem legislatoris (2), tum) ad legis formulam, tum) ad adiuncta historica quibus lex circumscribitur. (3).

In his principiis fundamentum habens omnes regulae iuris, quae tum in fine Digestorum, tum Decretalium Gregorii IX tum Sexti Decretalium reperiuntur. Est tamen notandum a) regulam esse ex iure non ius ex regula b) regulam unica formula colligere ius ex pluribus casibus similibus exurgens, c) adesse casus in quibus regula adhiberi non potest d) prudentia et ordo quam maxime in regularum usu curari debent. Quibus po-

---

(1) Cf. Reiff. t. de Const. op. cit.

(2) Cf. Sanguineti op. c.

(3) l. 19. ad exhib. cap. 6. de V. S.

(*) Nota. Interpretatio correctiva et epich. in foro externo vix locum habet d'Annib. op. c. p. 180.

16. Solievi. 1901.

sitis praecipuae regulae declarativae interpretationis sunt:

1) verba satis clara non admittere interpretationem (1) nisi rei natura (2) aliter suadeat, vel aliud sensisse legislatorem sit manifestum (3) uti si secus sequatur absurdum (4).

2) verba generalia generaliter esse excipienda nisi alia lege speciali legis generalis sensus fuerit coarctatus (5).

3) ubi lex non distinguit nec nos distinguere debere (6) quod tam in favorabilibus quam in odiosis servatur (7).

4) si legis verba duplicem significationem habeant naturalem nempe quae recepta est ac iuridicam significationem non esse attendendam nisi in favorabilibus (8) dummodo ratio aliter

---

(1) Cf. Reiff. op. c. l. 1. p. 2.

(2) l. 68. de R. I.

(3) l. 67. pr. de legat. l. 15. de excusat. Tut.

(4) C. 6. §. 1. de Maior.

(5) Iuxta regulam iuris in 6.° "generi per speciem derogatur" - c. 22 de priv. c. ult. de off. vicar. in 6.° l. 9. pr. de supp. legat. - l. 65. § de viro sol. Matr. c. 4. de transl. Ep.

(6) l. 9. de postulat - l. 9. de iuris et facti ignorantia cap. 6. de maiorit.

(7) Cap. 12. de decimis.

(8) Leg. 7. de suppell. leg. cap. 7. de spons. Ita statutum est cognationem spiritualem contrahi cum baptizato eiusque patre et matre. Iam hic intelliguntur filii naturales non adoptivi.

suadeat uti in regula 1ª. quod praesertim quoad leges poenales locum habet in quibus benignior interpretatio accipitur (1).

5) Odia restringenda esse favores ampliandos, dummodo interpretatio iuris non sit corrupte-la (2). Hinc favorabiles leges sunt latae interpretationis strictae vero leges odiosae.

6) Non plus de priori lege mutatum censeri quod in posteriori expressum est.

7) Leges quae contrariae videantur si fieri possit conciliandas esse secus secundam si specialis primae generali praevalere, non vero secundam generalem speciali, aut specialem secundam primae speciali praevalere nisi de hoc expresse caveatur. Quae dicenda sunt etiamsi lex antecedens sit Concilii Oecumenici, et sequens Rom. Pontif. (3). Nam species generi derogat (4) non vero genus aut species speciei (5). Ceterum secunda lex strictae est interpretationis (6) nisi favorem contineat (7). In omni casu interpretatio eligenda est quae melius cum aliis legibus componitur (8) quaeque aequior apparet (9).

---

(1) l. 198. de RR. iuris - cap. 49. de R. Iur. in 6°.
(2) cap. 15. et 49. de reg. iur. in 6°.
(3) Cf. Sanguin. o.c. p. 75. post edix.
(4) c. 1. de const. in 6°. - c. 34. de reg. iur. in 6°.
(5) l. 26. 28. ff. de U. 1. 2. § 16. et l. 3. § 15. ff. d. V. I. E. l. ul. de con. ff.
(6) cap. 27. de elect. in 6°. - l. 27. h. t. ff.
(7) Cf. Reinff. I. II. eol. n. 309.
(8) l. 26. 27. h. t. ff.
(9) l. 91. de R. Iur. ff. fragmenta

8) Legis sensum ex toto eius contextu eruendum esse.

9) Verba cum effectu accipienda esse.

10) In re dubia verbis edicti inservire melius esse (1) ect. ect.

Ceterae regulae animadvertimus cum Machat (2) ex regulis utriusque iuris et tit. de V. significatione desumendae sunt.

§. 2. De regulis interpretationis extensio.

76. In iisdem principiis extensivae interpretationis fundamentum habent. - Quare a Doctoribus regula traditur.

1) Interpretationem mere extensivam ob aliquam rationum similitudinem non admitti. Talis enim interpretatio ultra legislatoris mentem esset qui obligare non intendit nisi ad id quod exprimit. Etiamsi rationes aliquo modo similes sint tamen differunt. Unde illud "ratio legis non est decisio legis" (3).

2) Si aliud ius deficiat iudicem posse de simile ad simile iudicare; praesumitur enim legislatorem et similem casum sua lege comprehendere voluisse (4), ita si alioquin absurdum sequeretur aut

---

(1) l. 1. §. sed si sciente 20. - De exercit. action. - D. Th. 1a 2ae 96. 6. ad 2.

(2) Op. et l. c.

(3) Clem. 1. de elect.

(4) Cf. Machat. op. c. et l. c. - l. 12. 13. ff. de LL.

iniquitas (1).

3) Interpretationem comprehensivam nempe ob identitatem vel ob perfectam similitudinem rationum admittendam esse cum ubi eadem est ratio eadem esse debeat legis dispositio, et quia de similibus idem est iudicium (2). Verum notat Reinffestuel (3) oportet similitudinem in eo puncto versari de quo agitur.

Hic autem cum Mochat (4) notamus etsi similitudo ac identitas rationis saepe inter se confundantur; tamen rigore differre. Nam similitudo in diversis rationibus accidit quarum altera alterius similis est, at identitas in eadem ratione locum habet.

4) Non esse extendendam vi interpretationis legem a commune iure exorbitantem, cum strictae sit interpretationis ideoque ad consequentias (5) neque ob identitatem rationum (6) producenda, nisi tamen de aequiparatis agatur, vel sequatur absurdum, vel ita publica utilitas exigat, aut favor animarum, causae piae vel de rationis identitate in lege expressa agatur.

5) Idem de lege poenali (7) dicendum esse nisi quo-

(1) Suarez VI. 2·7.
(2) Cap. 2. de transl. Episc.
(3) l. 1. t. 2. op. cit.
(4) Op. et l. cit.
(5) Reg. 28. iuris in 6° et reg. 78. eod.
(6) Fagnan. c. cum ad nostram n. 29. de Elect.
(7) L. 11. de poen. ff. Ex l. 10. cod. eod. t.

ad extensionem dubium non admittat (1), aut nisi de identitate aut perfecta similitudine rationis expresse agatur. - Poena autem nunquàm reo lucrosam esse debere (2), quod si ratio unica est pro expressa habetur.

6) Leges favorabiles ampliori interpretatione esse extendendas nisi ratio contra militet.

7) Si lex favorabilis ac parte odiosa sit, odium e favore separandum esse, docent Doctores, ac separabiliter interpretandum, secus videndum quaenam legislatoris intentio praevaleat. Attamen in dubio magis favor quam odium esse attendendum (3).

§. 3. De regulis interpretationis restrictivae.

77. In iisdem principiis restrictivae interpretationis regulae fundamentum habent. Praecipuae sunt.

1) Restrictivam interpretationem admittendam esse si alioquin in casu aliquo particulari lex iniqua evaderet aut illicitum praeciperet. Ubi enim dispar ratio, ibi dispar esse debet legis dispositio (4).

2) Restrictivàm interpretationem admittendam esse si id quod lege praecipitur in peculiari casu nimis arduum esset ac supra humanae legis pote-

---

(1) Cap. 49. de reg. iur. in 6° Suarez de leg. VI. 3. n. 5. 6. 7.

(2) L. 3. de dolo malo. C. de donat. inter vivos.

(3) Cfr. Reinff. op. et l. c. - Aichner op. cit. § 210. Machat ect.

(4) Cf. Suarez op. c. lib. 1.

statem (1).

3) Restrictivam interpretationem admittendam esse si in hoc vel illo casu sua lege legislatorem non voluisse obligare prudenter credi possit (2).

4) Legem irritantem restrictivam interpretationem non admittere, cum lex irritans ad rationem communem ac actuum pariformitatem attendat magis quam ad casus ac rationes particulares (3). Verum aliquando haec regula vim non habet (4).

5) Cessante aliquo in casu ratione legis adaequata legem ipsam in eo cessare necesse esse.

In exhibendis praecipuis restrictivae interpretationis regulis regulas epicheiae a regulis restrictivae interpretationis non distinximus. Nam in praxi utrumque differre non videtur.

78. Ad Epicheiam seu restrictivam interpretationem late sumptam doctores quae de ignorantia in iure statuuntur referre solent. Ignorantia consideratur quoad culpam, quoad lucra, quoad actus valorem. Quoad culpam ignorantia excusat nisi sit crassa et supina (5). Quoad lucra vel damna regula

---

(1) Schmalz. t. 1. de const. n. 49. - Suarez VI. 5. n. 3. cap. 5. de appel. cap. 12. de poenit. l. 24. h. t. ff.

(2) Benedict. XIV. de Synod. dioec. XIII. 24. 20.

(3) Schmalz. op. l. cit. n. 27.

(4) Cf. Sanguineti o. c. de Epicheia Machat o. c. et Zitelli de disp. p. 10. qui videtur contrasentire.

(5) C. 9. de cler. excom. c. 2. de const. in 6° L. 6. de iur. et facti ignorantia.

est: ignorantia facti non iuris excusat (1). Suum autem petentibus nec iuris ignorantia nocet (2) nisi de iure agatur quod ex sola civili lege competit et leges ignorans eo iure pro tempore non usus sit (3). Quoad actus valorem nulla ignorantia neque invincibilis excusat si de lege proprie dicta irritante agatur quae formam ac materiam actus praescribat (4).

Insuper iuris ignorantia seu de legis existentia non excusat, nisi de iis agatur quibus ius ignorare permissum est uti mulieres, rudes ect. (5), ac nisi quoad medicinales poenas seu censuras aut quoad poenas expresse statutas contra eos qui eas scienter ac temere violaverint, quo ultimo in casu etiam vincibilis ignorantia excusat (6) aut quoad poenas vindicativas extraordinarias aut quoad rerum suarum iacturam faciendam. Ulterius facti proprii ignorantia non admittitur nisi de re valde antiqua et quidem ad malum vitandum res sit. Ignorantia e contra facti alieni admittitur imo praesumitur si scientia ab adversario non probetur nisi de factis notoriis aut de iis quae ex officio es-

(1) cap. 13. de r. Iur. in 6°. - ll. 2. 9. de iur. et fact. ign.

(2) l. 7. 8. ff. de iur. et fact. ignor.

(3) l. 9. de iur et fact. ignor.

(4) Cf. d'Annibale op. c. p. 1. pag. 169. Zitelli de disp. ect.

(5) l. 12. Cod. de iur. et fact. ignorant. cap. 3. de cland. despons. - c. si quis vero - c. 13 de regul. iuris.

(6) Cf. auctores de censuris.

sent cognoscenda agatur (1).

Caput 2.

De legum ecclesiasticarum interpretatione in specie.

Videbimus de regulis interpretationis quoad clausulas legibus appositas quoad particulares leges, quoad rescripta, quoad concordata et quoad privilegia.

Articulus 1.

De clausulis interpretandis.

Summarium: 79. Regulae generales circa clausulas interpretandas. - 80. De nonnullis clausulis.

79. 1) Clausula numquam inutilis censenda est cum nihil otiosum in lege dicendum sit.

2) Clausula de stylo Curiae insolita documentum suspectum efficere potest, quod eo magis dicendum si plures huiusmodi clausulae in documento aliquo appareant.

3) Clausula in principio aut in fine legis posita totam legem complecti solet, in medio autem addita praecedentia complectitur sequentia vero quatenus sequentia cum praecedentibus connectuntur.

4) Iisdem regulis clausulae interpretantur quibus et leges.

80. Cl. Zitelli, de dispensat. matrimonialibus (2),

(1) c. 41. de rescr. c. 47. de Reg. Iur. in 6°. c. 10. de reg. iur.

(2) pag. 12.

postquam haec tradiderit nonnulla addit de illis clausulis quae passim in Romanorum Pontifi. Constitutionibus reperiuntur

"a) De plenitudine potestatis. Per haec verba indicatur S. Pontificem in iure ordinario non insistere, atque idcirco per eam clausulam imminui vim regulae generalis quae statuit iura iuribus concordanda esse, quare lex cui ipsa opposita sit contrarias facilius abrogat." Ita ex. gr. hac clausula validantur Romani Pontificis confirmatione in forma specifica acta puta alicuius Concilii Provincialis quae caeteroquin essent invalida (1).

b) Non obstantibus ect. "Non secus ac ea de qua mox locuti sumus ita derogat contrariis legibus ut imminuat vim regulae generalis, quae iura conciliari iubet, praesertim si iuncta sit alteri clausulae "motu proprio".")

c) "Decernentes irritum et inane a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari"... "Aliter non valeant et non observentur ect. vel nullius sit momenti ect. vel alioquin ect vel nullo modo" vel aliae similes locutiones. Quoad hanc clausulam optime notat clar. Zitelli non bene a nonnullis affirmari effectum esse irritare consuetudines futuras contrarias, etiamsi, ipse addit, hoc plusquam semel hac assertum inveniatur in foliis S. Cong. Concilii non quidem in ipsis Car-

---

(1) Decr. Greg. IX. de util. vel inutil. confirmatione cf. Santi, Reiff. ect. ect. cit. titulo.

dinalium responsis sed in expositione Causae quae fit a Secretario. Huic addi potest causae expositionem etiamsi, nomine Secretarii tamen ab eius auditore confici, ideoque nil mirum si aliquando nimis proprio ingenio quam regulis iuris in quibus praxis habet fundamentum et non e converso, hi indulserunt. Est igitur dicendum consuetudines futuras ex praevio decreto irritante difficiliores fieri tum quia difficilius legislatoris consensus adest aut praesumi potest, tum quia eas odiosas redolit, non autem absolute eas impedire. Secus vero dicendum si consuetudo futura uti iuris corruptela reprobaretur (1).

d) "Sublata cuilibet aliter iudicandi atque interpretandi facultate." Quoad hanc clausulam notat Zitelli (2) 1) vis clausulae est ut firmitati et integritati legis consulatur prohibendo interpretationem in iudiciis 2) difficiliores reddit consuetudines contrarias cum decretum irritans in se continere censeatur. Quodsi in rescriptis coniuncta sit cum clausula "quod de obreptione" idest quod non possit contra gratiam disputari de vitio obreptionis vel subreptionis, impedit inquisitionem de veritate eorum quae narrata sunt.

---

(1) Cf. Fagn. in c. ad haec n. 34. de Rel. domibus. Can. 3. et sq. dict. 8.- can. 1. et sq. dict. 11.- can. 3. 12. dict. 12. arg. c. 4. d. 10. et c. 3. 5. h. t. - L. 2. Cod. quae sit longa consuet. - L. 3. § 5. ff. de sepul. viol. l. 13. Cod. Cf. supra n. 25.

(2) op. et l. cit.

3) Quoad rescripta clausula vim non habet si etiam renunciatum fuerit ab eo qui rescriptum obtinuit, item si obreptio vel subreptio iam palam prodierit. 4) Remedium contra hanc clausulam de lege disceptandi ect. "aperitio oris" idest facultas a S. Pontifice ea de re impetrata (1).

Articulus 2.

De legibus particularibus interpretandis.

Summarium: 81. Quomodo leges particulares sint interpretandae.

81. Quoad particulares leges praeter regulas recensitas notandum est 1) neminem legibus particularibus obligari nisi qui aut omnino aut in ea re de qua agitur subditus est (2) ac in territorio reperiatur vel realiter vel fictione iuris (3) 2) etsi leges per se et ordinarie non ferantur in personas absolute sed dependenter a territorio personales nihilominus si quae sunt personae adhaerent (4). Ita praecepta quae cuipiam indicta sunt sine relatione ad locum leges sunt personales adeoque personae quocumque tandem discesserit

---

(1) Cf. Zitelli op. c., Barbosa, Marta in eorum tractationis de clausulis.

(2) c. ut animarum 2. de const. in 6.°

(3) Cf. supra n. 6.

(4) cap. 7. de Reg. Iur. in 6°.

adhaerent (1). Item legis atque consuetudines alicuius loci quae a iure communi abhorrent, localis instar privilegii habendae sunt proinde extra eiusdem loci fines prorsus cessant (2). 3) Quisquis in alieno territorio legibus alieni territorii ad extraneos pertinentibus obligatur. 4) Leges quae de rebus latae sunt in territorio legislatoris positis etiam extraneos extra territorium obligant.

Articulus 3.

De rescriptis interpretandis.

Summarium: 82. Quoad rescripta gratiae interpretanda. - 83. Quoad rescripta gratiae. - 84 Aliae regulae generales pro rescriptorum interpretatione.

82. Rescriptorum interpretandorum regulae praecipuae sunt ut 1) Si mens rescribentis dubia manet iustitiae rescripta secundum ius commune interpretanda sunt (3). 2) Rescripta iustitiae quae ordinarii iurisdictioni derogant odiosa censentur, at stricte sumenda sunt (4) 3) Rescripta iustitiae non valent per quae in certi dantur iudices quas impetrans elegerit, vel per quae futura negotia committuntur (5) 4) Si super eodem ne=

(1) Cf. Reiff. L. 1. t. 2. 4. 43.

(2) Cf. Sanchez l. 1. in Dec. c. 12. n. 39. ap. Zitel. de d. p. 20.

(3) Cf. c. 18. et cq. 4. de Rescr.

(4) C. 32. de off. legat. et c. 40. eodem.

(5) C. 10. et final. h. t.

gotio contra eundem duo rescripta impetrantur quorum posterius non facit mentionem prioris, valet primum non secundum, nisi in secundo mentio fiat de priori abroganda, item si primum communi consensu partium impetratum fuit, non valet secundum impetratum per alteram partem hoc tacito (1). 5) Valet secundum rescriptum impetratum ab adversario etsi non faciat mentionem de primo si primus impetrans intra annum dolo et negligentia rescriptio usus non est; neque ex hac descendit rescripta iustitiae per non usum post annum cessare uti nonnulli praesumunt, sunt enim et haec per se perpetua (2). 6) Rescriptum speciale derogat rescriptis antecedentibus generalibus in quibus opponitur etiamsi de prioribus nulla mentio fiat (3) 7) Qui literas post appellationem impetrat, eius mentionem facere debet (4). 8) Si quis privilegium appellando quod vel secundum ius, obtinuit iis appellare non potest pro casu quo contra ipsum datur iudex delegatus remota appellatione; quia speciale mandatum derogat generali.

83. Quod spectat rescripta gratiae 1) Rescripta ad beneficia obtinenda strictae sunt inter-

---

(1) Cap. 9. h. t.

(2) Cf. cap. 9. et c. 23. h. t.

(3) C. 14. V. quoniam.

(4) C. 12. h. t. et 44. de appell.

pretortionis, utpote ambitiosa (1), nisi literae beneficiales vel motu proprio, vel in compensationem damni concessae sint. 2) Rescriptum quod datum sit ad beneficium, de beneficio vel dignitate impetrantis mentionem non faciens non valet (2), etsi ipsum (3) non habeat beneficium sed tantum ius ad aliud. 3) Si rescripto ad benificium propter annuam pensionem renuntiavit non valent literae beneficiales per eum, hoc tacito, impetratae (4). 4) Non valent literae gratiae ad impetrandum beneficium in quibus impetrans tacuit perpetuam vicariam, nisi impetrans ignoret tempore supplicationis sibi collatum esse beneficium. Verum si beneficia sint incompatibilia unum dimittere tenetur ad normam iuris (5) 5) In rescripto ad beneficium subintelligitur si dignus esistat, vel si non obstet canonicum impedimentum (6) 6) Non valet impetratio in ecclesia numerata non facta de numero mentione si per eam frangitur numerus canonicorum; etsi non frangatur numerus praebendarum (7). 7) In literis impetra-

---

(1) cap. 1. de praebend. in 6°.
(2) c. 17. et c. 8. h. t.
(3) c. 32. h. t.
(4) c. 31. h. t.
(5) c. 7. in 6° h. t.
(6) c. 27. h. t.
(7) cap. 19. h. t.

tis ad beneficium expressa vacatione per mortem non intelligitur vacatio per renunciationem nec viceversa (1). 8) Literae super conferendo beneficio vocaturo directae ad beneficium, post datam ipsarum creatum, non extendantur (2) ect. (3). Rescripta gratiae latae sunt interpretationis nisi vergant in praeiudicium tertii (4).

84. Revocentur in genere ea quae tradita sunt de rescriptis ut eorum valor dignoscatur. Addere volumus a) in dubio rescriptum esse iustitiae praesumi. b) Verba hortatoria quae in rescriptis forte reperiantur praeceptiva habenda esse (5) c) Rescripta intelligenda esse ita ut cum supplicibus cohaereant. d) Rescripta in dubio de obreptione vel subreptione valere: Tandem huc spectant regulae quae datae sunt pro legum interpretatione.

Articulus 4.

De concordatis inter Ecclesiam et Statum interpretandis.

Summarium: 85. Notanda quoad concordatorum interpretationem.

---

(1) cap. 6. in 6° h. t.

(2) clement. ult. h. t.

(3) cf. Zalling. inst. iur. eccl. lib. 1. t. 3.

(4) c. 22. de priv. c. 16. de verb. sign. c. 18. h. t. S. Conc. in Ariminens Paroch. die 5. Sept. 1821.

(5) Cf. Zall. ad tit. de priv. et excess. priv. § 262.

85. Quoad concordata interpretanda notetur 1) concordatorum authenticam interpretationem non a Statum pertinere posse sed ad Ecclesiam, cum ad hanc pertineat iudicare quid animarum salus in casibus specialibus exigat, cumque status tandem aliquando nihil de suis iuribus Ecclesiae concedat nisi illis protectionem ad quam praestandam iam naturali ac divino iure tenebatur. Quod si aliquid concessit id fini Ecclesiae spirituali addictum est, ideoque Ecclesiae potestati subiectum. Ceterum in praxi Ecclesia cum Statu concorditer procedere praefert. 2) Hinc patet quid dicendum de praetensis articulis organicis quibus Status pro arbitrio concordata interpretare contendit. 3) Doctrinalis autem atque theoretica interpretatio doctoribus non negatur. Verum oportet ut maxime contextus, scopus, et praxis, ac materia concordatorum attendatur ne Statui concedatur quod Ecclesia vero similiter numquam concessit, quodque praesertim in animarum perniciem vergeret. In genere videretur dicendum concordata non esse latae interpretationis seu in dubio minimum concessionis esse accipiendum 1) quia etiamsi favor sit Statui concessus tamen per se loquendo in praeiudicium Ecclesiae libertatis vergit. 2) quia status nil novi Ecclesiae concedit 3) quia Ecclesia coacte ac nonnisi ad maiora mala vitanda init concordata, quapropter videtur censendum minimum quo fieri potuit concessisse.

18. Iulii. 1901.

Articulus 5.

De Privilegiis interpretandis.

Summarium: 86. Regulae praecipuae quoad privilegia interpretanda.

86. a) Privilegia quae in corpore iuris continentur, et hac de causa sunt secundum ius, item privilegia praeter ius, latissime interpretanda sunt (1) nisi in alterius vergant praeiudicium (2). b) Item dicendum est de privilegiis quae motu proprio et ex certa scientia concessa sunt (3). c) Privilegium de casu ad casum neque de persona ad personam non extendatur neque interpretatione pure extensiva, neque interpretatione extensiva comprehensiva (4) in casibus quae iis opponuntur in quibus prior et secunda regula locum habent. d) Privilegia contra ius strictae sunt interpretationis (5) dummodo non sint in bonum publicum (6) vel ex certa scientia, aut motu proprio concessa, vel alioquin essent inutilia. e) Moderatius de remissius privilegia in iis extenduntur quae ad causam piam vel ad publicum bonum concessa sunt (7). f) Privilegia remuneratoria latae

---

(1) Arg. c. 1. de fil. praesb. in 6. l. 3. de const. Princ. ff.
(2) c. 22. de priv. c. 16. eod.
(3) c. 23. 24. de praeb. in 6º.
(4) l. 1. §. ult. de const. Princ. c. 9. de priv. in 6º.
(5) c. 1. 2. de fil. presbyt.
(6) c. 30. de priv.
(7) l. 44. ff. de relig.

sunt interpretationis, onerosa vero strictae interpretationis (1) nisi forte et remunerationis causam habeant. g) In dubiis Sedes Apostolicae consulenda est (2). h) Si duo privilegiati contraria habeant privilegia ille potior est qui fuit laesus (3) vel ratio aetati habenda erit (4) vel possessioni (5). i) Privilegia generaliter uti neque extensivam (6) ita neque regulariter restrictivam interpretationem admittunt (7), sed declarativam tantum (8) k) Extra concedentis territorium privilegia non valent (9).

Articulus 6°.
De dispensationibus interpretandis.

Summarium: 87. Facultas dispensandi latae est interpretationis - Ipsa dispensatio strictae interpretationis.- Quid si inferior dispensat sine iusta causa.

87. In genere tenendum est a) facultatem dispensandi utpote favorem latae esse interpreta=

---

(1) Arg. cap. 6. de donat.

(2) Clem X. constit. "superna" 21. Iun. 1670.- Cf. Zitelli de disp. matr.

(3) L. 12. 35. de minor. ff.

(4) l. 13. de minor.

(5) l. 13. eodem.

(6) l. 1. §. ult. de const. Princ. c. 9. de priv. in 6°.

(7) c. 16. de verb. sign. Cf D'Annib. Sum. de privil.

(8) cap. 7. de priv.

(9) Cf. Suarez l. 8. cap. 26.

tionis (1) nisi in tertii praeiudicium vergat. b) Actus e contra dispensationis cum legis vulnus sit ideoque aliquid odiosum strictae est interpretationis (2) c) Superior etiam iniusta de causa valide dispensat, e contra inferior qui delegata aut ordinaria potestate sine iusta causa a legibus Superioris invalide (3). Haec sufficiant de di=dispensationis interpretatione in genere: in specie dein de singulis dispensationum speciebus uti v.gr. de dispensationibus matrimonialibus in particularibus tractatibus agendum est (*).

Finis

A. M. D. G.




(1) Fagnan, cap. dilectus 15. de temp. ord. n. 20.

(2) Fagnan. cap. Mandato de sin. n. 39.

(3) Cf. Pirrum Corradum de dispens. mat. L. 1. c. 1. n. 12.

(*) Nota. - Quoad regulas Cancellariae interpretandas Cf. DD. praesertim opus praeclariss. Riganti.

INDEX



In Ius Ecclesiasticum

Commune ac Fidei Propagandae

Praelectionum Summa
quas
in Scholis Pont. Collegi Urbani
Propagandae Fidei

F. Solieri Professor

Tradebat
Anno 1900 – 1901.



Pars 2.ª

De Iure Privato Ecclesiastico

De Declaratione Benedictina "Matrimonia"
De S. Pauli Privilegio I. Corinth. VII.
De vi Sinodalium Constitutionum quoad clandestinitatis impedimentum.

93

1. Solieri.

De declaratione Benedicti XIV. 1420 = Matrimonia = 4 Nov. 1741.

Seu de matrimoniis haereticorum aut mixtis initis non servata forma Tridentina.

In hac Benedictina declaratione ita edicitur = Matrimonia quae in locis foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis iniri solent, sive inter haereticos ex utraque parte sive inter haereticum ex una parte virum et catholicam feminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a sacro Tridentino Concilio praescripta, utrum valida habenda sint nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum ac sententiis in diversa distractis... Negotio mature perpenso, et omnibus rationum momentis hinc inde sedulo libratis (sanctitas sua) declaravit statuitque matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obset canonicum impedimentum, pro valida habenda esse. =

Quod vero attinet ad matrimonia quae in iisdem foederatis Belgii provinciis contrahuntur a catholicis cum haereticis quaeque mixta dicuntur Benedictus XIV. ait "Declarat Sanctitas Sua matrimonium huiusmodi alio non concurren-

te canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex coniugibus donec alter eorum supervixerit ullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae, novum matrimonium inire."

Haec igitur declaratio non spectat ad catholicos illarum regionum prouti aperte declarat ipse Benedictus XIV. in epistola decretali 17. Sept. 1746. ad Paulum Simonem a S. Ioseph in Hollandia Missionarium, quaeque refertur in suo opere De Synodo Dioeces. lib. 6. cap. 7. (collect. 1390). Hanc declarationem Romani Pontifices ad alias regiones extenderunt in quibus publicatum fuerat Decr. Trid. de Clandestinitate matr. Quarum regionum cathalogus apud auctores invenitur.

Hisce praehabitis quaestio institui potest = Benedictinae declarationis causa ne fuit quia matrimonia sive haereticorum, sive mixta in praedictis regionibus valida erant eo quia haeretici qua tales ad clandestinitatis impedimentum non tenentur? Vel Benedictina declarationis causa ne fuit specialis harum regionum conditio? Quaestio magni momenti est - Nam si primum) admittatur consequeretur quod in omnibus locis in quibus etiam publicatum est decretum Tridentinum de clandestinitate haereticoram matrimonia, vel matrimonia mixta valida essent. = Si secundum) consequeretur quod locis exceptis in quibus viget Benedictina declaratio, matrimonia haereticorum clandestina, vel matrimonia

clandestina mixta ubi decretum Tridentina promulgatum est sunt invalida = Et revera hoc secundum tenendum est = Etenim 1) lex Tridentina lata est in omnes christianos seu in omnes qui subiacent Ecclesiae iurisdictioni, ergo etiam in haereticos utpote qui Ecclesia iurisdictioni subiaceant.

Ceterum certum est haereticos utpote Ecclesiae filios, etsi rebelles, eiusdem Ecclesiae legibus subiici ut solemniter docuit Pius VII. - litt. Etsi fraternitas - ad Archiep. Moguntinum 8. Oct. 1805. Neque hic distinctio invocanda est inter haereticos qui in haeresi nati sunt, et qui mala voluntate haeresim amplexi sunt. = Etenim a) obstat contraria voluntas Ecclesiae quae ab impedimentis matr. dirimentibus haereticos eximere noluit b) imp. dirimentia sunt in bonum publicae moralitatis quae et haereticos tangit. =

2) iuxta plerosque theologos invalida sunt matrimonia mixta, sine sacerdote celebrata in illis regionibus in quibus viget Decretum Tridentinum: porro nulla alia de causa irrita censentur, nisi quia haeretici Decreto illo obstringuntur: secus enim ab individuitatem contractus, valida forent in ipse Benedict. XIV. de Synod. lib. 12. cap. 5. n. 6. ait quod si unus inter contrahentes exemptus est in loco quo vivit a lege clandestinitatis, hoc privilegium communicatur alteri qui esset subiectus. 3) Ex allata Bened. XIV. declaratione valida sunt in Hollandia et Belgio, ergo invalida

iuxta Bened. XIV. in aliis regionibus. Exceptio enim firmat regulam. 4) Benedict. XIV. ponit clausulam nisi obstet aliud imp. ergo si tenerentur aliis, tenerentur etiam imped. clandest. 5) S.C.S. Officii 19. Iulii 1818 declaravit declarat. Benedict. XIV. respicere solum Hollandiam non alia loca absque alia et speciali S. Sedis declaratione = 6) Praefata declaratio extensa est postea ad aliquas alias regiones, in quibus haeretici dominantur, licet ibi Decr. Trid. publicatum fuerit; ergo sine tali extensione matrimonia invalida essent, alioquin extensio fuisset inutilis. 7) Quod confirmatur etiam innumeris decisionibus sacrarum Congregationum prouti videre est apud P. Perrone de matrimonio christiano tom. 2. l. 2. sect. 1. c. 6. et apud Analecta iuris Pont. t. 3. p. 1066.

Neque dicatur quod Declaratio Benedictina induxit exemptionem a iure communi pro omnibus haereticis. - Etenim exemptio a iure communi in casu non est personalis, sed localis. Et quamvis quilibet exemptione alibi gaudeant tamen generatim in materia contractuum (quos inter accensetur matrimonium quamvis ad sacramenti dignitatem evectum) quoad eorum solemnitatem tenentur omnes contrahere iuxta legem et consuetudinem loci in quo contrahunt, quum etiam peregrini, si dotis contractum excipias, sortiuntur forum in loco contractus; ita ut si aliter ibi contrahant, contractus non subsistat, cum substantialis deficiat

praescripta forma. - Non igitur ex personali exemptione sed ex locali vim habet declaratio Benedictina, quatenus ob speciales harum regionum conditiones ita Benedictus XIV. decrevit.

Rationes huiusmodi describuntur in relatione cardinalis de Alsatia Archiepiscopis Mechliniensis. - Praecipua autem est ratio quia ex conditionibus illarum regionum dubitari poterat utrum revera publicatum fuisset concil. Trid. in illis regionibus.

Alii enim affirmabant, alii negabant - Certe decretum non observabatur. Rebus bene perpensis Benedictus XIV. ad vitanda mala quae ex matrimoniis dubiis et incertis derivabant praefatum declarationum emisit. - Verum doctores instituunt quaestionem de haereticis coalescentibus in societatem publicam et recognitam a civili Gubernio, quae in aliquo loco vel coexistat cum societate catholica vel subintraverit in locum praeexistentis catholicae societatis.

In utraque hypothesi valida sunt argumenta quae videntur eximere haereticos observantia legis Tridentinae. Cum enim Tridentinum Concilium voluerit ut suum decretum publicaretur in parochiis catholicis, satis indicasse videtur legem suam obligare societatem fidelium in qua publicatio fieret, non vero alias societates in quibus non publicaretur decretum. Tamen societas haeretica quae ex perversione catholi-

societatis efformatur videtur clandestinitatis impedimento iam promulgato teneri. Ceterum hac in re, ut ait Santi. Praelectiones iur. canonici, potius prudens consilium est de hac quaestione expectare, si quid fuerit, ipsius Ecclesiae iudicium.

Ex his omnibus consequitur.

Matrimonia sive haereticorum inter se sive mixta, non coram parocho ac testibus celebrata valida esse.

a) In locis ubi Tridentinum decretum non fuit promulgatum, aut numquam observatum tamquam eiusdem Concilii decretum, aut dein temporis intervallo in desuetudinem abiit.

b) vel in locis comprehensis a Benedictina Declaratione idest in Hollandia et Belgio, et in aliis locis ad quae Sancta Sedes eam extendit.

c) vel in locis pro quibus Apostolica Sedes derogavit praedicto Tridentini Decreto.=



DE PRIVILEGIO S. PAULI

circa matrimonium infidelium quorum unus convertitur ad fidem.

Matrimonium in infidelitate iuxta naturae ac divini positivi iuris leges contractum etiamsi fuerit consummatum in favorem fidei solvi potest, cum nempe alteruter coniux infidelis ad fidem convertitur, alter vero nec) converti vult, nec) converso pacifice habitare - Quam doctrinam promulgat Paulus Apostolus 1. Cor. VII. teste Innocentio III. cap. Quanto de divortiis.

Circa hoc Pauli privilegium in bonum fidei, videndum est 1°) quando conversus ad fidem coniux ad privilegium ius habeat 2) an sit necessaria et qualis interpellatio coniugis infidelis 3) quando privilegium vim suam obtineat.

I. Quando coniux conversus ad fidem ad privilegium ius habeat.

Coniux ad fidem conversus hoc privilegio S. Pauli uti potest a) in locis ubi cohabitatio fidelis cum infideli prohibita non est aa) cum infidelis omnino renuit converti ad fidem et habitare cum infideli coniuge ad fidem converso at discedere vult in odium fidei, vel bb) cum infidelis vult quidem cohabitare sed non sine contumelia creatoris vel periculo perversionis. Ita

R. Solieri. 1901.

Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana l. 6. c. 4. n. 3. Decr. Innocentii III. c. quanto 7. de divortiis - Sanchez de matr. lib. 7. disp. 74. n. 12 = b) In locis vero ubi cohabitatio fidelium cum infidelibus prohibita est coniux ad fidem conversus ius ad privilegium Paulinum habet si infidelis ad fidem converti nollit. - Hoc enim in casu pars infidelis per discessionem moralem a parte fideli in odium fidei discedere videtur. - Ita Sanchez l. 7. disp. 73. n. 12. et Benedictus XIV. De Synodo l. 13. cap. 21. n. 1.

Ex his consequitur.

a) quod pars fidelis privilegio uti non potest si infideli praebuerit iustam et rationabilem causam discedendi: secus si infidelis facta promissione pacifica cohabitationis in odium fidei postea discedat. Ita decretum S. O. diei 1. Aug. 1759. appr. a Clemente XIII.

b) pars fidelis non gaudet privilegio S. Pauli si infidelis adulterii causa discedat quod a parte fideli patratum fuit post conversionem et susceptum baptisma: secus si adulteraverit antequam veram fidem amplecteretur; tunc enim adulterii macula per baptismum ablata est et pars infidelis irrationabiliter discederet. Ita S. C. S. Off. d. 1. Aug. 1759. et 17. Ianu. 1797.

c) pars fidelis non gaudet privilegio si adulterium commissum fuerit a parte infideli, quae simul pacifice cohabitare consentiat sine contumelia Creatoris.

d) pars fidelis uti non potest privilegio si obtenta dispensatione super cultus disparitate infidelem ducat qui spondeat quidem pacificam cohabitationem sed deinceps promissa non servet. Ita dicatur si neophytus, obtenta dispensatione super cultus disparitate, unam retinuerit ex uxoribus non tamen primam, et cum ea renovato consensu contrahat matrimonium. - Nam tale matrimonium non est contractum in infidelitate, in qua nonnisi matrimonium cum primo contractum validum fuit = Ita S. C. O. 1. Aug. 1753. et ann. 1854. in quo Synodi Sutchuensis doctrinam sua sanctione munivit.

II. An sit necessaria et qualis interpellatio coniugis infidelis.

Cum privilegio transeundi ad alias nuptias coniux conversus uti non possit nisi infidelis vel) converti nollit, vel) saltem cohabitare sine contumelia Creatoris, patet hac de re coniugem infidelem interpellandum esse. S. C. C. d. 23. Ianuarii 1603, nisi a Summo Pontifice ab interpellationibus dispensatum fuerit. = In locis, prouti discimus, ubi fidelium cum infidelibus cohabitatio est permissa duplex fit interpellatio 1°) an infidelis converti vellit aut 2°) saltem cohabitare sine contumelia Creatoris aut periculo perversionis coniugis fidelis. - In locis ubi fidelium cum infidelibus cohabitatio est prohibita unica fit interpellatio nempe) an infidelis converti vellit ad fidem. =

Ex hoc sequitur.

a) Quod interpellatio non est necessaria quando aliunde per sufficientem probationem moraliter constat de infidelis obstinatione. Sanchez l. 7. disp. 74. - Quod constare debet per processum saltem summarium uti exigit. Greg. XIII. in Brevi 25. Januari 1585.

b) interpellatio non est necessaria si constat de invaliditate matrimonii cum infideli qui esset interpellandus. Ita docet Instr. S. Off. 19. Julii 1848 a Pio IX adprobata et una cum facultatibus a S. C. de Prop. Fide ad Vicarium Ap. Honam in regno Sinarum missa pro quadam particulari casu ab eodem Vicario proposito.

c) interpellatio non est necessaria si cum fidelis conversus plures habeat uxores in infidelitate, ex eis una convertitur ad fidem. Cum ea enim potest contrahere matrimonium etiamsi prima uxor non fuerit. Ita Pius V. in Const. - Romani Pontifices. - Quod valet solum pro Indis nisi ad alias regiones extendatur.

d) Hisce exceptis ab interpellatione facienda non eximit loci distantia, difficultas, aut praesumptio cum constare debeat de voluntate infidelis.

e) interpellationis loco esse non potest solemnis uxoris expulsio a marito facta per libellum repudii.

f) qui plures in infidelitate habuit uxores interpellare tenetur duntaxat primam cum qua

valide contraxit matrimonium

g) Inspecto iure divino interpellatio quomodolibet facta esset sufficiens at ex Ecclesiae praecepto oportet ut sit iudicialis interveniente Ordinario ut etiam in foro externo constet de interpellatione facta - Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 21. n. 4.

h) Verum si ob graves difficultates interpellatio fieri nequit, Summus Pontifex solus potest, uti infallibilis divini iuris interpres, ab ea facienda vel in toto vel in parte dispensare. Quae tamen dispensatio neque ob rationis identitatem ad alias regiones, aut casus extendi potest. - Causae dispensationis esse possunt 1) si interpellatio fieri nequeat vel quia pars infidelis degit in hostilibus provinciis. 2) vel quia ignoratur in quas regiones migraverit 3) vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem 4) vel quia periculum ne facta interpellatione persecutio oriatur contra christianos 5) vel quia neophytus plures habuit uxores et prima non cognoscitur 6) vel quia serio dubitatur an eius matrimonia fuerint valida vel contubernia: attamen in dubio standum est pro validitate matrimonii nisi agatur praesertim de dubio facti an nempe matrimonium fuerit vel non contractum. Quaestio est inter Doctores an S. Pontifex habeat potestatem non solum dispensandi ob interpellationibus sed solvendi matrimonium infidelium etiam in.

infidelitate consummatum. - Etenim omnes admit. quod S. Pont. potest solvere matrimonium sive fidelium sive inf. ratum non potest solvere mat. fidelium consum. - At hic quaestio fit de matr. infidelium consummatum in infidelitate, et ratum post susceptum baptisma. = In praxi certe dispensatio petitur ob interpellationibus, at graves auctores censent R. Pont. in casu quo fieri interpellatio nequeat, ex apostolicae auct. plenitudine solvere vinculum matrimonii in infidelitate contracti et consummati Ita Palmieri S. J. de matr. th. 26. Gury Ball. de matr. 1. 2. n. 759. et cl. Ios. Mansella. De imp. m. dir. art. 111. Contrarium sentiunt Pontius, Ben. XIV. de Synodo l. c. cap. 4. n. 3. et l. 13. cap. 21. n. 3-4. Clar. Zitelli de disp. matr. anceps haeret.

Quidquid sit de hac quaestione certe huius disp. ut ait Ben. XIV. non extant exempla, et in praxi parvam utilitatem habere videtur.

III. Quando hoc privilegium vim suam obtineat.

Hoc privilegium vim suam non habet antequam pars ad fidem conversa divino utens privilegio, novas non contrahit nuptias. Ita constat ex cap. Gaudemus de divort. et ex decreto Clem. XIII. per decr. S. O. die 1. Aug. 1759 editum. Ben. XIV. q. can. 546. n. 6. hanc sententiam vocat communissimam inter theologos et canonistas.

Ex hoc sequitur

a) Si coniux prius conversus iam contraxerit nuptias, infidelis si postea convertatur ad fidem et ipse novum inire potest matr. cum prioris vinculum omnino sit solutum.

b) Si coniux prius conversus non contraxerit novas nuptias, et postea infidelis convertatur amittit ius ad privileguum ita ut infidelem coniugem ad fidem conversum recipere pacifice teneatur.

c) Si coniux prius conversus vota solemnia sit professus in religione adprobata, vel sacros suscepit ordines ex probabiliori sententia, primum matrimonium cum infideli contractum dissolutum non fuit, ita ut neque infidelis postea conversus novas nuptias inire possit, neque fidelem ad se vocare. Cum ex una parte in iure certum sit resolvi matr. ratum per profess. solemnem inter fideles, non vero inter infideles, et ex altera fidelis facta interpellatione usus sit iure suo. - Verum nonnulli uti Maschat inst. iur. can. S. Bonaventura et Sanchez l. 7. disp. 76. et cl. Mansella contrarium sentiant quoad professionem solemnem religiosam.

De vi Synodalium Constitutionum quoad clandestinitatis impedimentum.

De vi Synodalium const. quoad imped. clandestinitatis diserte agit Ben. XIV. De Syn. dioecesano

Bened. XIV. in lib. 12. cap. 5. n. 1. De Syn. dioec. 1) docet Episcopos neque in Synodo dioec. aut provinciali decernere posse ut nulla sint sponsalia quae coram parocho ac duobus testibus non contrahantur. Siquidem Tridentinum in decreto clandestinitatis nihil innovavit circa sponsalia, eaque reliquit sub dispositione Iuris communis, iuxta quod, etiam remotis testibus, valide contrahuntur. - Ita S. Congr. C. respondit ad Archiep. in Dioec. Valentina. lib. 1. dec. p. 99. et p. 126.

2) Sub numero 2. eiusdem libri, et capitis eiusdem operis Ben. XIV. refert quod quidem Archiep. ad eliminandum abusum nimium in dies in sua dioecesi inolescentem, ut matr. contracturi, nulla praemissa istius denunciatione, infirmitatis praetextu, Parochum arcesserent et coram eo licet invito, et reluctante ac duobus testibus matr. inirent, Constitutionem promulgavit, qua, nulla atque irrita declaravit matrimonia quae non praemissis denunciationibus, contraherentur. - Sed re delata ad S. Congr. Conc., haec teste Cardinali de Lugo Resp. moral. h. l. dub. 45. - Archiep. mandavit ut quanto eius suam revocaret Constitutionem. Etenim ait Ben. XIV. neque in Episcopi potestate est, novum statuere impedimentum dirimens quod a solo Sum. Pontifice

potest induci.

3) Ulterius ad indicandum de conciliaris legis vigore in unoquoque loco; praemittenda videretur probatio publicationis decreti in Eccl. parochiali ipsius loci pridem expletae. At, ait Bened. XIV. hoc pro regula habetur ut ibi facta praesumatur eiusdem decreti publicatio ubicumque constet iam usu receptum esse, ut matrimonia coram parocho et duobus vel tribus testibus, tamquam in executionem decreti Trid. celebrentur. Uti resolvit S. Cong. Conc. 26. Sept. 1602. quae refertur in lib. 10. decretorum p. 47. = Quod accidit ex. gr. in Bulgaria, Volachia praesertim in civitate Bukarest, Transilvania.

4) Si Episc. aut Synodus dioec. aut provincialis promulgat decretum Trid. de clandest. nomine proprio; nihil in iure agunt, et matrimonia clandestina etiam post habito decreto celebrata sunt valida.

5) Attamen si decretum synodale de clandestinitate adprobatum fuerit a Pontifice in forma specifica (non in forma communi) decretum synodale ex hoc Pont. adprobatione vim irritandi acquirit.

Confirmatio communiter definitur "Iuris prius habiti seu quaesiti per legitimum superiorem facta corroboratio.

Duplex solet distingui confirmatio: alia) nempe fieri dicitur in forma communi, alia) in for. specifica.

Confirmatio in forma communi fit quando superior absque praevio aliquo formali examine causae, sed habita solum generica cognitione rei, sta-

tutum, vel decretum. Inferioris confirmat in eo statu in quo antea fuit. Unde plene instructus non praesumitur superior de vero verum statu. - Ideoque confirmatio huiusmodi inclusam habet conditionem = Si actus vel contractus vel decretum antea voluerit. - Arg. cap. 1. et 2. de conf. Decr. Gre. IX.

Neque talis confirmatio omnino inutilis dici potest, quia decretis iam per se validis magnam extrinsecam auctoritatem addit.

Confirmatio in forma specifica, quae etiam dicitur ex certa scientia fit cum perfecta notitia negotii et cognitione causae. Quare confirmatio in forma specifica decretis novum ius addit, eaque firmat si fuerint invalida. - Quod autem confirmatio sit in forma specifica deducitur vel) si princeps declarat se procedere ex certa scientia, vel) de plenitudine potestatis, vel) dicat se per confirmationem supplere quoscumque defectus sive iuris sive facti, si) dicat valere suam confirmationem non obstante quacumque lege vel consuetudine in contrarium, et) demum si ipsa decreta quae confirmantur in ipsis litteris confirmationis inserantur.

In Synodo Maronitarum Libanensi an. 1736. hoc decretum latum fuit = Nullum est matrimonium clandestinum, idest quod aliter contrahitur, quam praesente parocho vel sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus. = Hoc decretum quando editum fuit nullam vim habebat, at cum illius Synodi decreta fuerint ab Apost. Sede per Const. Ben XIV "Singularis" et quidem in for=

ma specifica prouti illam legenti patebit, confirmata hinc et nobilissima Maronitarum Ecclesia et ipsa Apost. Sedes tenent nulla atque irrita esse connubia quae a fidelibus Syro-maronitici ritus aliter celebrarentur quam praesente parocho et duobus vel tribus testibus.

6) At caeteras quod attinet Ecclesias Orientales ubi publicatum non est Trid. Decretum certum est ius orientale, uti scribit Papp-Szilagii non agnoscere nisi clandestinitatem veteris iuris videlicet prohibitionis contrahendi matrimonium absque publicis coeremoniis ab Ecclesia pro eiusdem celebratione praescriptis. Utrum vero benedicto aut coronatio necessaria sit ad validitatem definitum ab Ecclesia non fuit. Communior sententia ac probabilior negat. Certe, uti ait Mansella de impedimentibus dirimentibus, hoc nunquam Ecclesia orientalis asseruit neque ante neque post schisma. Nisi accipiatur Novella 89 Leonis Imperatoris qui lege sancivit "Ut sacrae benedictionis testimonia confirmarentur, videant si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitae illa consuetudine matrimonii iure potiri debeant."

Verum Princeps saecularis nullam potestatem, prouti vidimus, habet in matrimonium sacramentum; ideoque constitutio Imp. Leonis nullius valoris dicenda est.

Neque ad probanda invalida matrimonia

apud Orientales contracta sine benedictione iuvat recurrere ad consuetudinem. Nam, uti ait Mansella l. cit. quamvis consuetudine legitime inducta atque praescripta nova constitui possint dirimentia ecclesiastici iuris impedimenta, tamen in casu per ineluctabilia argumenta probandum foret, quod legitima consuetudo apud Orientales catholici ritus, nedum illicita, sed etiam invalida habet clandestina coniugia. - Quod adhuc probatum non est. - Constat quod ex consuetudine talia matrimonia sunt prohibita an autem sub illiceitate, vel invaliditate adhuc disceptatur. - Ceterum uti diximus, sententia communior retinet apud Orientales in locis ubi Conc. Trid. de clandestinitate non est promulgatum matrimonia clandestina, esse illicita non vero invalida.



In Ius Ecclesiasticum
Commune ac Fidei Propagandæ

Praelectionum Summa

quas

in Scholis Pont. Collegi Urbani

Propagandae Fidei

F. Solieri Professor

Tradebat

Anno 1900 — 1901.

Pars 2.ª

De Iure Privato Ecclesiastico
De Vicariis Apostolicis

1.

De Vicariis Apostolicis.

Videndum est 1°) De Pot. Vic. Apostolici 2°) De Obligationibus V. Ap. 3) De Privilegiis Vicar. Ap.

Titulus 1.
De Potestate Vic. Apostolici.

Videbimus 1°) De natura iurisdictionis Vicarior. Apostolic. 2°) Quomodo iurisdictionem acquirant. 3°) De extensione eorum iurisdictionis.

Caput 1.
De natura iurisdictionis Vicariorum Apostolicorum.

Iurisdictio V. Apostolici delegata est, etiamsi charactere episcopali donati sint. Quare rescriptum fuit (1) quod Vicarii Apostolici non gaudent ea iurisdictione quae canonum dispositione pertinet ad Episcopos Ordinarios neque ea qua Episcopi Ordinarii gaudent uti delegati Apostolicae Sedis. Hinc negantur Vicariis Apostolicis facultates quae pertinent ad Episcopos uti delegatos Apostolicae Sedis in Regulares. Imo declaratum est quod in proprio Vicariatu Vicarii Apostolici uti non possint nisi facultatibus quae illis concessae sunt a Sede Apostolica. Quaeritur an vocari possint Ordinarii Benedictus XIV. Vica-

(1) Collectanea Decr. S.C.P. Fid. n. 50.

rium Apostolicum Constantinopolitanum vocaverat Ordinarium (1): verum videndum est an Bened. XIV. Ordinarium illum vocaverit quia locum tenet Patriarchae Latini Constantinopolitani ab Innocentio III constituti, vel propter speciales rationes favore Vicarii Apostolici Constantinop. In primo casu omnes V. Apostolici essent vocandi Ordinarii qui in Sedibus iam erectis successerunt: in secundo casu esset privilegium illius Vicarii Apostolici. Ceterum Vicarii Apostolici Ordinari vocari possent, non quia habent potestatem ordinariam, sed quia delegatione in genere ea fere omnia agere possunt quae potest Episcopus Ordinarius, vel etiam quia non modo extraordinario sed modo ordinario iurisdictionem in Vicariatu exercent. Et sane, in Litteris Encyclicis Sacrae Congreg. Sancti Officii die 20 Feb. 1888 (2) refertur quod Romanus Pontifex sanxit dispensationes matrimoniales committendas esse oratorum Ordinario vel Ordinario loci et appellatione Ordinarii intelligit Episcopos, Administratores, Vicarios Apostolicos, Praefectos etc.

Caput II.

De modo quo acquirunt V. Apostolici Iurisdictionem.

In locis in quibus missiones concreditae sunt

(1) Cf. Zitelli op. h. t.

(2) Collect. n. 1472.

Ordinarii sunt qui habent jurisdictionem ordinariam
" exercent " modo ordinario et
non extraordinario.

Ordinibus Regularibus vel institutis Ecclesiasticis. Superior Ordinis vel Instituti candidatos proponit Sedi Apostolicae cuius est inter presentatos eligere: secus electio Vicarii Apostolici fit immediate a Romano Pontifice praevia consultatione Sacrae Congregationis Prop. Fidei: quod si agatur de Vicariatu noviter instituendo, adest instructio Sacrae Cong. Prop. Fidei circa modum servandum in informatione quae eidem sacrae Congregationi exhibenda est(1). Notandum est quod Benedictus XIV. in Constitutione "Gravissimum" die 10. Ian. 1757. constituit ut Romae coram eius auditore processus conficeretur super qualitatem personae quae in Vicar. Apost. esset eligenda.

Caput III.

De Extensione Iuris. Vic. Apostolici.

Tribus principiis determinari potest potestas V. Apostolici: 1º) V. Apostolicus deputatus "cum facultatibus necessariis et opportunis" aequiparatur Episcopis Ordinariis ideoque gaudet potestate legifera, iudiciali et coactiva.

2) Vicarius Apostolicus quia potestatem ordinariam non habet, nec est Episcopus Dioecesanus, iurisdictionem in pluribus limitatam habet.

3) V. Apostolicus uti Delegatus Apostolicae Sedis

(1) Collect. n. 15.

specialibus facultatibus insignitur sive ex Rescriptis Sacrar. Congregationum sive ex facultatibus Formularum.

Ex 1º principio consequitur: α) quod V. Apostolicus non potest exercere iurisdictionem nisi intra limites proprii territorii in quibus tamen ipse exclusive iurisdictionem exercet 1). Hinc ut aliquis teneatur legibus V. Apostolici, oportet quod sit de territorio et in territorio vel realiter vel fictione iuris. β) V. Apostolicus suis subditis etiam in alieno Vicariatu sacramenta administrat.(*) γ) V. Apostolicus visitat iudicialiter Ecclesias et Oratoria ac occasione sacrae visitationis potest Decreta ferre (2) δ) Ut Vicarius Apostolicus iurisdictionem exercere possit, oportet quod sit in territorio vel realiter vel fictione iuris: quare si profugus sit iurisdictionem nihilominus in suo Vicariatu exercet si cum Vicariatu posset communicare (3) ε) V. Apostolicus potest mutare stationes missionariorum (4) ζ) V. Apostolicus potest sibi constituere Notarios Apostolicos (5) η) eligit Administratores Ecclesiarum (6) θ) publicat Constitutiones Apostolicas et Mandata S. Congreg. Prop. Fid. (7) ι)

---

(1) Collectanea n. 58-72. (*) juxta jus solummodo jurisdictio voluntaria, et non [illegible] cum potestate ordinis, nec exercita [illegible] per solemni [illegible] propria dioecesani sed hoc non semper tenetur in praxi.
(2) Collect. n. 53 § 4.
(3) Collect. n. 57.
(4) Collect. n. 62.
(5) Collect. n. 53 § 5.
(6) Collect. n. 56. § 10.
(7) Collect. n. 53. § 7.

Beneficia uniuntur duo: 1) unione aeque principali
2) unione minus [principali]
3) unione extinctiva tituli: habetur quando destruuntur duo priora beneficia et conficitur tertium beneficium:

Delegat Praedicatores ac modum praedicandi moderatur k) Sunt Ordinarii Collatores Beneficiorum λ) Sunt naturales Inquisitores μ) De Consensu alterius Episcopi vel Vicarii Apostolici pontificalia in alieno vicariatu celebrant.

Ex 2° principio consequitur: 1°) V. Apostolicus non potest dare Indulgentias quas possunt Episcopi Dioecesani. 2°) non fit eorum mentio in Canone Missae (1). 3°) non competit V. Apostolicus Oratio quae dicitur Collecta et quae a presbyteris recitatur die Anniversarii Consecrationis Episcoporum Dioecesanorum (2) 4°) V. Apostolicus non potest erigere thronum (3) 5°) V. Apostolicus non potest deferre Cappam Magnam (4) 6) Ante Vic. Apostolicum Crux non defertur (5). 7°) Nequeunt uti opera missionariorum aliorum Vicariatuum, nisi habeant licentiam Sac. Congr. Prop. Fidei (6). 8°) V. Apostolicus tenetur sibi eligere Vicarium Generalem, si coadjutorem (*) non habeat cum iure futurae successionis. Hic autem V. Generalis non est confundendus cum V. Generali Episcopi Dioecesani ut videmus. Hoc statuit Benedict XIV. in Constit. "Ex sublimi" num. 161. ad Vic. Apostolicus Indiarum Orien-

---

(1) Collect. nn. 120-122-126-127-131-139.

(2) Collect. n. 127

(3) Collect. n. 126.

(4) Collect. n. 131.

(5) Collect. n. 139.

(6) Collect. n. 52-72.

(*) coadiutores sunt { temporanei { eligitur ad aliquam specialem causam; perpetui { i.e. cum jure successionis. et nominatur ab R. Pontifice. Accipit officium et nominationem simul sed non percipit fructus ante mortem occupantis beneficium.

2 = unione minus principali: in quo duae parochiae uniuntur tali modo ut jura majoris parochiae et minoris manent solummodo quando consistere non possunt et deinde jura minoris cadunt.

lium et Occidentalium. Postea vero constitutione "quam ex sublimi" ad omnes vicarios apostolicos id extendit(1). Imo V. Apostolicus potest duos V. Generales sibi eligere(2). Ex hisce patet quaenam sit differentia inter V. Gen. Vicarii Apostolici et V. Generalem Episcopi Dioecesani. Differunt α) quia V. Generalis Vicarii Apostolici, ut dictum est, iuris necessitate eligendus est; β) Vic. Generalis Vicarii Apostolici habet iurisdictionem delegatam; γ) V. Generalis Vicarii Apostolici ita etiam constitui potest ut in parte Vicariatus iurisdictionem exerceat ε) eius iurisdictio a V. Apostolico pro arbitrio limitari potest. ζ) Ab eius sententia ad V. Apostolicum appellatur quia cum V. Apostolico non constituit unum tribunal neque eandem iuridicam personam. η) Morte Vicarii Apostolici, non cessat iurisdictio eius Vicarii Generalis ad quem pertinet gubernare Vicariatum illis facultatibus quae ad Vicarium Apost. pertinebant, exceptis omnino personalibus. 9) Vicarius Apostolicus non gaudet iuribus quae ad Episcopum pertinent ratione legis Dioecesanae. 10) Recolendum pariter est quod Constitutiones Pontif. non respiciunt Orientales nisi expresse de Orientalibus mentio fiat aut agatur de legibus dogmaticis aut ius naturale declaretur.

<u>Ex 3º principio</u>: Oportet in primis videre quae

---

(1) Collect. n. 71.
(2) Collect. n. 165-164-166.

Potest eligere plures V. Gen. Episcopus si illi in tota diocesa auctoritatem exerceant.

nam sint praecipue facultates Vicariorum Apostolicorum ex Rescriptis SS. Congregationum: secundo quid sint facultates Formularum et quid de his in iure sit constitutum. Rescripta alia respiciunt Episcopos indigenos, alia missionarios saeculares, alia missionarios Regulares.

I. Quoad Episcopos Indigenos: Petitione V. Apostoli Tunchinensis a S. Congreg. Prop. Fidei rescriptum est: (1) 1°) quod Episcopi indigenae nequeunt clericos ad sacros ordines promovere nisi in scriptis approbationem illius Vicarii Apostolici obtinuerint. 2°) Episcopi Indigenae nequeunt approbare presbyteros missionarios ad confessiones recipiendas aut ad praedicationem nisi missionarii etiam Regulares litteras patentales Vicario Apostolico Europeo exhibuerint. 3) Ius fabbricandi processus de miraculis et martyribus, disponendi circa observantiam festorum et sacrorum rituum, publicandi Litteras Apostolicas, Iubilaeum, Decreta SS. Congregationum Vicario Apostolico reservatur. 4°) Facultates quae a Sacra Inquisitione conceduntur, Vicario Apostolico reservantur, qui tamen potest Episcopos indigenos delegare. 5) In dubio circa interpretandas litteras Apostolicas sententia V. Apostolici sequenda est, donec responsum obtineatur a Sede Apostolica. 6°) Vic. Ap. Episcopos indigenos cogere potest

---

(1) Collect. n. 55.

2. Solieri. 1901.

Episcopus non pp. eligere coadiutorem perpetuum quia in jure Episcopus non pp. eligere in beneficio non-vacante.

ut Synodo Dioecesanae interveniant, saltem per Procuratorem. 1º) V. Apostolicus potest titulo missionis et absque dimissoriis ordinariorum clericos ad sacros ordines promovere in eius seminariis degentes, qui tamen consuetum iuramentum emiserint.

II. Quoad Missionarios Saeculares - 1º) Missionarii tenentur exhibere literas patentales Vicariis Apostolicis, vel istis absentibus, eorum pro-Vicariis et ab iis petere licentiam pro facultatibus exercendis (1). 2) Missionarii saeculares clerici qui a Sede Apostolica datis literis ad missiones destinantur Vicariorum Apostolicorum iurisdictioni, visitationi et correctioni omnimode omnes et singuli subsunt (2). 3) Missionarii nequeunt discedere a missione sine licentia Vicarii Apostolici (3). 4º) Vicarius Apostolicus ius habet post 6. menses ab adventu novi missionarii eum subiciendi examini super peritiam linguae illius loci: si in examine deficiat post alios 6. menses rursus missionarius examinatur et tandem si incorrigibilis sit, V. Apostolicus Sacram Congr. commonere facere debet (4) 5º) Vicarius Apostolicus ius habet ut a missionariis ratio ei

---

(1) Collect. n. 272-280-281-311.

(2) Collect. n. 292.

(3) Collect. n. 295.

(4) Collect. n. 312-315-327.-328.

Ad ordinationem debet habere (1) Episcopus originis: Episcopus originis est loci in quo clericus natus est: ratione domicilii quem [illegible] habebat in loco.

(2) Episcopus domicilii. Episcopus dom. est qui est in illo loco in quo clericus nunc est

(3) Episcopus beneficii quando clericus habet beneficium sufficiens

(4) [illegible] familiaris per tres annos

reddatur de acceptis et expensis (1) 6°) Vicarii Apostolici possunt removere missionarios a missionibus in casu urgentis necessitatis; tamen postea statim Sacram Congreg. Prop. Fidei certiorem facere debent (2)

Quoad Missionarios Regulares: 1°) Regulares quoad missionem accipi nequeunt sine Superiorum permissione, neque a missionibus removeri possunt, inconsulta S. Cong. Prop. Fide (3). 2) Non potest Vicarius Apostolicus Ecclesias a Regularibus eripere: tamen ex legitima causa aliquem missionarium Regularem removere potest, dummodo novus substituatur eiusdem ordinis deputandus a Superiore Regulari cum approbatione Vicarii Apostolici 3°) Non possunt Regulares catechistas voto obedientiae erga seipsos privative quoad Vicarios Apostolicos obstringere (4) 4°) Regulares Missionarii duplici subiectione ligantur i.e. Vicario Apostolico et Superiori Regulari: in conflictu prima praevalet; excepta interna disciplina regulari, regulares missionarii quoad omnia negotia et directionem missionum subsunt Vicariis Apostolicis (5). Quare Regulares Missionarii qui in subsidium Episcoporum

---

(1) Collect. n. 310.

(2) Collect. n. 303-317-320.

(3) Collect. n. 388-389-390.

(4) Collect. n. 391.

(5) Collect. n. 69.

dati sunt, uti nequeunt facultatibus habitis a Sede Apostolica nisi sub dependentia et beneplacito Ordinarii (1) 5°) Notanda est etiam Constitutio "firmandis" Benedicti XIV. de iurisdictione Episcoporum quoad Ecclesias parochiales Regularium et personas curam animarum subditorum saecularium in eis exercentes (2). Summus Pontifex instaurat praescriptiones Concilii Tridentini (3). Constitutio duas habet partes: in prima declaratur quando Regulares Episcopis subiiciantur in casu; in secunda quinam eximantur. Quoad 1um 1°) Bened XIV. ait: "quod Greg. XV. constitutione "inscrutabili" an. 1622 iam declaraverat quod iurisdictioni Episcoporum subsunt etiam Regulares quocumque modo curam animarum exercent vel sacramenta administrant, etiamsi de facto absque ulla auctoritate sese ingerant in iis quae concernunt eiusmodi curam atque administrationem". 2°) Bened. XIV. confirmat decisionem S. Congr. Episcoporum et Regularium qua dicitur quod Regulares parochi seu curati teneantur excipere et adiuvare missionarios quos mittat Episcopus ante eius visitationem ad populum docendum. 3) Confirmat decisionem Sacrae Congregationis EE. RR. qua declaratur posse Episcopum in Ecclesiis Regularium

---

(1) Collect. n. 285.
(2) Collect. n. 408.
(3) Sess. 25. Cap. 2.

sive parochialis sive non sacramentum confirmationis administrare. 4°) Enumerat Summus Pontifex quid visitet Episcopus in Ecclesiis parochialibus Regularium i.e. altare in quo servatur Eucaristiae, fontem baptismalem si adsit, pulpitum, sacrarium, cemeterium, turrim campanarum et omnia vasa sacra ac sacram supellectilem. 5°) quoad Parochi Regularis personam non inquirit an servet disciplinam regularem vel non, sed de eius vita et moribus quoad officium parochiale, an servet residentiam etc. 6°) Ad Episcopum ac ad Superiorem Regularem pertinet curare etiam poenis opportunis ut parochus regularis officia parochialia adimpleat: in conflictu praevalet Episcopus. 7°) In parochianos inquirere pertinet exclusive ad Episcopum.

In parte 2ª Constitutionis dicitur quinam eximuntur a iurisdictione Episcoporum. Eximuntur 1°) Abbates nullius et quasi nullius quoad monasteria et loca in quibus abbates vel regularium superiores iurisdictionem Episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent, salvis iuribus quae ex altera causa ad Episcopos pertinent. 2°) Excipiuntur monasteria quae curam animarum exercent in quibus Superior Regularis et Generalis ordinariam et principalem sedem habet: parochiae tamen ab eo dependentes subiiciuntur visitationi Episcoporum. Item in parochianos iurisdictio

nem exercet Episcopus. Imo Episcopi consensus requiritur ut Superior Regularis valeat deputare parochum Regularem aut Saecularem. E contra Episcopus instare potest, implorata si opus sit etiam auctoritate Apostolicae Sedis ut parochus seu curatus removeatur. Declarat autem S. Pontifex quod monasteria in quibus Abbas-Generalis seu Caput Ordinis sedem ordinariam habet, sunt vel quae uti talia recognoscuntur ordinis constitutionibus vel inveterata consuetudine, etiamsi actu Superior Generalis ibi non resideat: vel quae ab initio generalatus Generalis pro sua stabili residentia et officialium elegerit. Neque monasterium semel electum mutare iuvat. Notanda est etiam instructio Sacrae Congr. Prop. Fidei an. 1848. die 30 Sept. de dependentia Missionariorum Regularium a Vicariis Apostolicis aliisque missionum superioribus (1). In hac instructione S. Congregatio 1°) monet missionarios debere literas patentales Vicario Apostolico ostendere, secus Vicarius Apostolicus eos prohibere potest ab exercitio ministerii. 2°) Etiamsi missionarii petere debeant licentiam exercendi facultates, tamen V. Apostolicus licentiam sine gravi causa non delegat. 3°) Clero saeculari deficiente, Regulares curam animarum exercere tenentur eosque V. Apostolicus cogere potest. 4°) Missionarii Vicario Apostolico rationem reddunt de executione piorum

---

(1) Collect. n. 417.

legatorum, si eorumdem executores electi fuerint
5°) Quoad curam animarum exercendam ac parochiales functiones V. Apostolico subiiciuntur Superiores Regulares nequeunt Regulares removere a missionibus sine consensu Vicarii Apostolici.
6°) Declarat Sacra Congregatio quod Missionarii Regulares, non exclusis Patribus Soc. Jesu, tenentur ad obedientiam et subiectionem Vicariis Apostolicis quoad omnia negotia et directionem missionis. Concludit S. Congregatio quod Regulares. Omnes cuiuslibet Instituti, cuiuslibet societatis inter quos. Regulares nominatim a Sac. Congregatione etiam Patres Societatis Jesu comprehenduntur, excepta sola interna disciplina Regulari, sub iurisdictione Vicariorum Apostolicorum esse in iis quae missionem respiciunt. Et etiamsi teneantur vinculo obedientiae erga Superiores Regulares, tamen fortiori vinculo erga Vicarium Apostolicum uti Delegatum Ap. Sedis obligantur.

Tandem memoranda est Constitutio Leonis XIII. quae lata fuit die 8. Maii an. 1881. "Romanos Pontifices". Constitutio nonnullae dirimit controversias inter Episcopos et Missionarios Regulares Angliae et Scotiae, sed haec constituto ad alias missiones extensa est. Constitutio (1) tres habet partes: in prima parte S. Pontifex loquitur de exemptione familiarum Religiosarum in locis missionum a iurisdictione Episcoporum: in secun-

(1) Collect. n. 422.

da parte loquitur de ministeriis a missionariis Regularibus exercendis: in tertia parte de bonis temporalibus et de usu in quem illa converti oporteat.

Quoad 1.um: R. Pontifex declarat familiae religiosae in locis missionum exemptas esse a iurisdictione Episcoporum et Vicariorum Apostolicorum, etiamsi in privatis domibus commorentur. Nec quoad numerum serventur conditiones quae exiguntur ex Decreto Urban. VIII. et Innocentii X. Ea tamen excipiuntur in quibus Regulares iuris dispositione Episcopis subiiciuntur speciatim quoad curam animarum. Quaesitum est an Missionarii Religiosi teneantur interesse collationibus seu conferentiis. Responsum est Rectores missionum ad collationes interesse tenentur quia uti parochi habentur: eorum Vicarii per se non tenerentur, ait S. Pontifex Leo XIII constituit ut collationibus interesse debeant non solum Rectores missionum sed etiam eorum Vicarii: imo omnes religiosi missionarii consuetis facultatibus instructi qui hospitia et parvas domus missionum incolunt. Quoad obligationem conveniendi ad Synodum Dioecesanam declarat R. Pontifex Decreta Concilii Tridentini servanda esse. A Decretis Episcoporum quoad curam animarum, quoad Sacrament. administrationem Regulares appellant ad Romanum Pontificem in devolutivo tantummodo. Quoad decreta quae de iure communi sive ordinario

sive delegato Regulares deficiunt. Item in devolutivo appellant ab interpretatione Episcopi circa Decreta Synodalia. Quoad alia Decreta appellatio datur in suspensivo.

In secunda parte in primis quaeritur an Episcop. in dismembrandis parochiis debeat servare solemnitates ab Alexandro III et a Concilio Tridentino constitutas (sess. 25. c. II. de Reformatione) Summus Pontifex ait distinguendum esse inter veras parochias et missiones: in 1º casu forma Tridentini servanda est; in 2º casu serventur prescriptiones Concilii I. Provincialis Vestimonasteriensis nempe quod liceat Episcopo de Consilio Capituli intra limites missionis novas Ecclesias condere, si necessitas vel utilitas populi fidelis id requirat, non obstante Deputatione Rectoris missionariorum; tamen subdit Summus Pontifex ut Consilium etiam Rectoris exquiratur, vel si missio Regularibus concredita sit Prefectus Ordinis audiatur salvo iure appellandi a Decreto ad Sedem Apostolicam in devolutivo. Quaesitum est secundo quinam in parochum novae parochiae nominandus sit, an Regularis vel saecularis? Summus Pontifex ait distinguendum esse: si quod noviter erigitur vera parochia sit, Regularis non est numerandus seu eligendus in parochum: secus autem etiam Regularis missioni praefici potest. Monet Romanus Pontifex quod Episcopus habeat potestatem visitandi Cemeteria,

excepto Cemeterio particulari Religiosorum: item visitandi scholas pauperum in missionibus et parochiis sive Regularium sive Saecularium. Excipiuntur scholae et collegia in quibus Regulares iuvenes instituuntur secundum statutum proprii ordinis. Insuper Regulares sine licentia Episcopi nequeunt novas Ecclesias erigere, neque scholas, neque collegia: neque scholas erectas immutare, neque de loco ad locum transferre.

In tertia parte i.e. quoad bona temporalia Romanus Pontifex distinguit: vel bona, quae a fidelibus largiuntur, donantur intuitu missionis, vel intuitu missionarii. In 1º casu debent Religiosi qui bona recipiunt rationem reddere Episcopo accepti et expensi: hinc an. 1868. S. Congreg. Prop. Fidei constituit ut bona missionum diligenter describerentur, secernendo ea quae sunt propria missionis ab iis quae ad sodalitia et ad singulas sodales pertinent. In praxi, ait Rom. Pont., attendendum esse ad voluntatem largitoris, in dubio autem praesumitur quod collatio parocho facta sit. Consuetudine inductum est, ut oblationes quae in Ecclesia ad altare fiunt vel pro administratione sacramentorum vel pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus ad parochum pertineant: reliqua vero ad Ecclesiam. Tandem potestas Vicariorum Apostolicorum ex Facultati-

bus Formularum dignoscitur.

Facultates Formularum:- De his videndum est 1°) De Concessione Facultatum. 2°) De Renovatione Facultatum. 3°) De Usu Facultatum. 4°) De Cessatione Facultatum.

I. De Concessione Facultatum:- Notandum est primo quod initium temporis constituti e.g. quinquennii quod facultates conceduntur non a die datae, sed a die receptionis computatur (1). Quod si agatur de missionariis qui mittuntur ad missiones, facultates incipiunt a die quo perveniunt ad loca missionis (2). Quaeritur an facultates formularum ita concedantur Vicariis Apostolicis ut suis coadiutoribus aut pro-Vicariis subdelegari possint. Responsum est affirmative, illis exceptis quae exigunt characterem Episcopalem. Imo subdelegatis coadiutoribus et Vicariis competit ius communicandi subdelegatas facultates ceteris missionariis (3). Oportunum est autem ut missionariis in scriptis facultates communicentur (4). Imo rescriptum est quod hae facultates communicari possunt etiam missionariis qui tempus constitutum suae missionis expleverint, dummodo maneant in missione (5).

---

(1) Collect. n. 176-166.
(2) Collect. n. 271.
(3) Collect. n. 153-155.
(4) Collect. n. 157.
(5) Collect. n. 147.

II. De Renovatione Facultatum: - Rescriptum est 1°) quod non renovantur facultates nisi exhibitis novissimis Decretis earumdem concessionis (1). Aliquando tamen ipso iure renovantur facultates, quoties scilicet absque culpa missionarii qui tempore opportuno renovationem petiit, antiquae facultates cessaverunt e.g. ob lapsum temporis quin novae obtentae sint. Hoc enim in casu facultates confirmatae intelliguntur (2). Imo expresse declaratum est quod posteaquam petitio renovationis facta est, facultates renovatae intelliguntur. Haec renovatio intelligenda est, tum quoad facultates ordinarias, tum quoad extraordinarias. Insuper renovatio intelligitur facta pro eodem numero casuum (3).

III. De Usu Facultatum Formularum: Si in Formulis Facultatum positum sit ut nullo modo uti possit extra fines suae Dioecesis, hoc est ita intelligendum ut facultates exerceri possint cum subditis in dioecesi existentibus actu quo conceditur gratia. Haec clausula non sub intelligitur nisi expressa sit vel aliter constet de mente Summi Pontificis vel nisi subiecta materia illam exigat (4). Nec obstat quod Episcopus actu quo dispensat sit extra dioecesim, dummodo in dioe-

---

(1) Collect. n. 144.

(2) Collect. n. 148.

(3) Collect. n. 154.

(4) Collect. n. 176.

cesi adsint subditi qui dispensantur (1). Cum missionarii in genere missiones proprias versus iter agunt vel revertuntur, possunt in locis per quos transeunt sacramenta administrare parochi licentia, quin requiratur approbatio ex parte Episcopi illius territorii. Imo neque parochi licentia necessaria est in casu gravis necessitatis. Missionarii in exilio facultates exercere possunt, habita licentia Ordinarii, nisi difficilis sit accessus ad Ordinarium vel Ordinarius deficiat (2). Mortuo Episcopo vel V. Apostolico eaedem facultates exercentur ab eius coadiutore, vel V. Generali, Capitulari vel Gubernatore aut Administratore (3).

IV. De Facultatum Cessatione:- Si Facultates concessae sint ad beneplacitum Sanctitatis Suae 1) cessant morte Romani Pontificis (4) 2) cessant Facultates adveniente tempore etiamsi adhuc casus maneat, vel expletis casibus, etiamsi tempus non advenerit, nisi tamen adveniente tempore novae facultates petitae sint 3) cessant si datae sunt personaliter, ita ut industria personae electa sit.

---

(1) Collect. n. 158.
(2) Collect. n. 151.
(3) Collect. n. 143-146.
(4) Collect. n. 149.

Titulus 2.us

De Obligationibus Vicarior. Apostolicor.

Relate ad residentiam, V. Apostolicus potest residere quocumque loco ubi adsunt eius missionarii. Non potest venire Romam nisi habeat licentiam Propagandae Fidei, et relate ad visitationem ad limina potest eligere Procuratorem in Urbe Roma: debet instituere consilium missionariorum relate ad alienationem bonorum ecclesiasticorum: omnia quae dicta sunt de Episcopis in hac re, iterum dicenda sunt relate ad Vicarium Apostolicum. Unde obligationes V. Apost. possunt reduci ad praedicationem residentiam, visitationem Vicariatus et SS. Liminum est Vicarii Apostolici lege residentiae tenentur sicut omnes animarum rectores. Imo, ut ait S. Congregatio Prop. Fidei si ubique locorum Pastores animarum pro officii sui ratione continenter in medio gregis vivere oportet ad id potiori etiam titulo illi tenentur quibus animarum cura demandata est in locis Missionum. Hinc S. Congregatio in generalibus comitiis diei 21. Ianuari anni 1861 expedire censuit in memoriam revocarentur praedictorum Praesulum canonicae sanctiones circa Pastorum residentiam nec non decreta quae

---

(1) Trid. Synod. Sess. VI. c. 1. de Ref. et sess. 23. de Ref. c. 1. Ben. dict. XIV. const. ad Univ. Christianae Reipublicae statum die 3. Sept. 1746.

circa eiusdem obligationem edita sunt pro locis Missionum, ne quis videlicet imposterum dioecesim aut districtum cui praeest vel ad tempus relinquat absque praevia licentia eiusdem S. Congregationis"(1). Quae tamen intelligenda sunt non absolute sed de omnibus casibus in quibus nulla sit causa canonica discedendi ut declaravit S.C. Prop. Fidei anno 1861 (2). Vicarii Apostolici Vicariatum vel per se vel per delegatum visitare tenentur - S. Congregatio Prop. Fide anno 1669 petitionibus Vicarii Apost. Tunchini rescripsit: che giudizialmente possono visitare tutti gli oratori, cappelle, chiese, ed altri luoghi pii e provvedere a quello che giudicheranno necessario per servizio di Dio, con dare poi parte a questa S.C." Vicarii Apostolici uti in generalibus Comitiis anno 1876. Sacr. Congr. Prop. Fidei decrevit, sacra Limina visitare tenentur non vi Constitutionis Sixti V., sed ratione offici. Quae tamen Sacrorum Liminum visitatio etiam per procuratorem in urbe degentem saltem quolibet decennio (3) fieri debet (4) specialiter singulis vicibus visitationis faciendae constituendum. Vicarii enim Apostolici neque praetextu vi-

(1) Collect. Prop. Fid. n. 103.
(2) Collect. Prop. Fid. n. 105.
(3) Collect. n. 101.
(4) Collect. n. 110 - et nn. 82 - 96 - 99 - 109

sitandi sacra Limina, S. Sede inconsulta, creditas Missiones per se relinquere pollent. Vicarii Apostolici habita ratione temporis a Sixto V. pro Episcopis Statuti, vel frequentius relationes de statu suarum missionum ad S. Congregationem P. Fidei transmittere tenentur. Iam anno 1759. S. Congr. duos proposuit libellos quibus datis certis interrogationibus unusquisque qui de officio tenebatur adamussim responderet. At cum haec S. Congregationis praescriptio diligenter non servaretur an. 1838. S. Congr. Prop. Fidei decretum emisit quo antiquam obligationem confirmavit (2). Quod etiam an 1843, et 1844 et 1849. confirmatum est et declaratum ut saltem quolibet quinquennio Vic. Apost. de statu suorum missionum relationem transmittere tenentur. An. vero 1861 et 1877. S. Congr. P. Fidei instructionem dedit qua quaestiones proponuntur quibus Vic. Apost. in relatione ad S. Congr. transmittenda respondere debent (3).

Attamen Vicarii Apostolici quolibet anno ad S. Congregationem Prop. Fidei catalogum conversorum, baptizatorum et sacramentorum quae quisque in sua Missione administraverit mittere debet (4), et in genere quolibet anno S. Congre-

---

(1) Collect. n. 97. - Cf. n.

(2) Collect. nn. 98-99-101-105.

(3) Collect. n. 104 et 109.

(4) Collect. n. 88.

gationem certiorem facere de iis quae notatu digna in Vicariatu evenerint (1).

Ulterius iam anno 1764. S. Cong. Prop. Fidei decrevit ut Synodi sive congressus ecclesiasticae disciplinae servandae apprime utiles quam frequentissime haberentur, ibique dubia et caeterae spirituales necessitates expendantur. Imo S. Congregatio declaravit nulli umquam dubio responsuram quae sibi privatim fieret a quocumque missionario neque ante ad Synodos vel congressus de quibus agitur fuerit allata vel saltem scripto adprobata vicariorum apostolicorum sive etiam Coadiutorum ubi synodi praedictae aliquo intercedente obstaculo habere non poterant (2). Haec convocandi Synodus obligatio anno 1845. et anno 1869 confirmata fuit. (3).

Insuper ut studium doctrinae moralis foveatur, ac opinionum difformitas quantum possibile est amoveatur optimum erit consilium, ait S. Congregatio, ut collectiones ad casus morales discutiendos ac absolvendos constituantur (4).

Vicarii apostolici missam pro populo celebrare non tenentur neque ex iustitia neque ex charitate tamen ex charitate decet ut, id faciant ut declaravit S. Congr. Prop. Fidei anno 1803 (5) et anno

(1) Collect. n. 88.

(2) Collect. n. 91.

(3) Collect. n. 100. et 108.

(4) Collect. n. 108

(5) Collect. n. 93

4. Solieri. 1901.

1866. quo responsum est vitandam esse locutionem teneri ex charitate, dicendum vero esse decere ex charitate (1).

Vicarii Apostolici praeterea ex antiquioribus et prudentioribus inter missionarios ad eorum sententiam in difficilioribus audiendam consilium sibi constituunt; curare debent ut ex christianis indigenis probati clerici instituantur ac sacerdotio initientur, diligenter curare debent ut scholae ubique erigantur ac impedire ne catholici tradant acatholicis filios suos erudiendos (2). De scholis praesertim notanda est instructio quam S. Congr. Prop. Fidei dedit anno 1868. circa scholas et collegia mixta quaeque in collectanea sub n. 479. refertur Vicarii Apostolici utpote administratores bonorum sive mobilium sive immobilium ad Missiones pertinentium a singulis Missionariis exigere debent ut ratio eis reddatur oblationum ac bonorum omnium quae intra fines Vicariatus oblata fuerint, nec non piorum operum executione quae iisdem fuerint adnexa (3).

Quoad autem munus praedicandi quae de Episcopis dioecesanis iure vigeat, recolantur.

Tandem si Vic. Apostolicus neque coadiutorem cum futura successione habeat, neque Vic. Gener. Vic. ex Clero sive saeculari sive regulari sibi constituere

---

(1) Collect. n. 205. Cf. n. 323. et 325.

(2) Zitelli Apparat. iur. ecc. h. l. Col. n. 467-474-476-480-469-471-476-478-479-480-481-482.

(3) Cf. Zitelli op. et l. c. et pas. in Collect.

debet, qui post Vicarii Apostolici obitum utpote delegatus Ap. Sedis Vicariatus regimen assumat. Ad ipsum non modo potestas propria Capitularis Vicarii competit, sed ea etiam qua Vicarius Apostolicus pollebat iis exceptis quae caracterem Episcopalem exigunt, at necessitate urgente et calices et patenas, et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consacrare potest (1). Imo S. Pont. Pius VI. die 23. ian. 1786. pro Sinis et Indis tulit decretum quo Vic. Ap. facultatem concessit non unum tantum sed duos (2) pro-Vicarios eligendi qui defuncto aut absente Vic. Apostolico omnimodam iurisdictionem habeant. Decedente uno ex hisce pro-Vicariis plena iurisdictio in altero consolidatur. - Quod si unus fuerit electus Vicarius, hic moriturus alterum in suum locum deputare et substituere potest quoties per S. Sedem Vicariatui non fuerit provisum. - Ceterum quando duo Pro-Vicarii deputati fuerint non simul et cumulative iurisdictionem exercere possunt sed prius qui prior fuerit nominatus, et in eius defectum alter. - Quod si contingat neminem V. Apostolicum (qui Coadiutore caret) nominasse, vel nominatos decessisse senior Missionarius Europeus, videlicet qui prior ex Europa in provinciam ingressus est ac longiori tempore animarum ministerio fuerit mancipatus ipso iure tamquam Apostolicae Sedis delegatus Vicariatus administrationem suscipiat (3) Quod

---

(1) Ben. XIV. in concl. Ex sublimi Coll. n. 161-162.

(2) Coll. n. 163.

(3) Coll. n. 164-166-165. Cf. n. 168.

si contestatio sit super iuribus plurium Missionariorum ad administrandum Vicariatum Apostolicum vacantem, vel si persecutio contra Pro-Vicarium saevirit, vel ad eumdem accedere sit periculosum Vic. Apostolico viciniori facultates necessariae conceduntur quin tamen delegati apost. nomen assumat (1). Caeterum bene monet cl. Zitelli tota Vicarii Ap. obligatio in suo munere exercendo continetur et absolvitur duplici hoc officio efficiendi nimirum 1) ut catholicam fidem ubi radices egit conservent et fidelium quos invenerint curam gerant 2) ut infidelibus Christum annuntient, haereticos vero et schismaticos ab erroribus suis ad gremium catholicae Ecclesiae revocent.

Titulus 3.

De privilegiis Vicariorum Apostolicorum.

Nonnulla tantummodo delibabimus - Vicariis Ap. competit 1) Privilegium altaris viatici 2) privilegium celebrandi vel indicendi cappellanis suis ut in domestico sacello sacrum faciant pro suo vel familiae commodo ante auroram vel post meridiem 3) privilegium sibi eligendi Confessarium ect. ect. In genere Vic. Apostolicis ea competunt privilegia quibus Episcopi titulares etiam ornantur.

Finis.

---

(1) Collect. n. 167.

In Ius Ecclesiasticum
Commune ac Fidei Propagandæ

Praelectionum Summa

quas

in Scholis Pont. Collegi Urbani

Propagandae Fidei

F. Solieri Professor

Tradebat

Anno 1900—1901.

Pars 2.a

De Iure Privato Ecclesiastico

De Dispensationibus Matrimonialibus

1. Solieri.

De Dispensationibus Matrimonialibus

Quod ad dispensationes matrimoniales pertinet, tribus capitibus absolvi posse videtur = In 1) capite de dispensationum matrimonialium petitione agitur; in 2°) de dispensationum matrimonialium concessione et executione; in 3°) tandem de dispensationum matrimonialium cessatione sermo erit = Sit igitur.

Caput 1^m
De dispensationum matrimonialium petitione.

Distinctis articulis videbimus 1) Cuinam petatur dispensatio matrimonialis 2) Quomodo matrimonialis dispensatio petatur. 3) A quibus impedimentis et quibus de causis matrimonialis dispensatio petatur.

Articulus 1us
Cuinam petatur matrimonialis dispensatio.

Principium evidens est = ei dispensatio petitur qui potestatem dispensandi habet - Videndum est igitur quinam habeant potestatem dispensandi. Cum dispensare non sit nisi individuos a legis subiectione subtrahere, ille tantummodo dispensandi potestatem habet,

qui vel) legis causa est efficiens, vel) supremus in societate legislator. - Cum autem impedimenta ecclesiastica matrimonii impedientia aut dirimentia statuere sibi reservaverint exclusive Summi Pontifices aut per se aut in Concilio Oecumenico, ordinario dispensatio Romanis Pontificibus dumtaxat postulanda est. - Episcopus profecto iuxta de causa matrimonium interdicere solet sub pena illiceitatis tamen non invaliditatis, at eius interdictum vim legis non habet sed praecepti cum ferri nequeat nisi in casibus particularibus.

Verum etsi Summus Pontifex dumtaxat iure proprio facultatem habeat dispensandi, suam tamen auctoritatem aliquando Episcopis aut Praelatis quasi-episcopis etiam quoad matrimoniales dispensationes delegat; qui proinde dispensare valeant delegatione vel expressa, vel tacita vel praesumpta. - Imo in casu dispensatio ipsis Episcopis peti potest. - Et quia Capitulum, sede vacante, non electo Vicario Capitulari, et deinceps Vicarius Capitularis in Episcopi ordinariam iurisdictionem succedit, intra iuris limites et Capitulum et Vicarius Capitularis dispensare possunt in iis casibus in quibus Episcopo potest delegatione tacita vel praesumpta; in aliud si habeat aequalem delegationem. Quare distinctis paragraphis dicendum est 1) de auctoritate

dispensandi Summi Pontificis 2) de auctoritate dispensandi Episcoporum vel Praelatorum iurisdictionem quasi episcopalem habentium 3) de auctoritate dispensandi Capituli aut Vicarii Capitularis.

§ 1.

De auctoritate dispensandi S. Pontif.cis

Summus Pontifex suam dispensandi in matrimonialibus impedimentis potestatem per Sacras Romanas congregationes exercet.

1°) per Datariam Apostolicam cum de impedimentis publicis agatur, vel mox futuris publicis, vel natura sua publicis prouti sunt impedimenta consanguinitatis, affinitatis ex copula licita, cognatio spiritualis, et publica honestas etc. - Consequitur quod dispensationis documentum publicum est in casu; et expeditur per S. Cancellariam Apostolicam.

2°) per Sacram Poenitentiariam tum in foro interno, tum in foro externo. - In foro interno Sacra Poenitentiaria dispensationes concedit quoties de impedimentis occultis agatur = Occultum vero dicitur impedimentum vel) quia omnino non cognoscitur, vel quia cognoscitur tantummodo a paucis viris prudentibus ita ut periculum publicitatis non urgeat. - In foro externo Sacra Poenitentiaria facultatem a Pontifice habet dispensandi si de impedimentis publicis dispensatio ab oratoribus pau=

peribus petatur.

Attamen extraordinaria de causa ad S. Poenitentiariam recurri potest tum si oratores non sint pauperes, pro imped. publicis; tum pro dispensatione in foro externo si imped. sit occultum; attamen Ordinarius causam extraordinariam S. Congregationi expendere debet v. gr. si licet impedimentum sit occultum tamen necessaria sit dispensatio etiam pro foro externo ad scandala vitanda quando impedimentum in populi notitiam veniat. At firma manent iura S. Datariae Ap. ita ut ordinarius exponere debeat propriam oratorum conditionem et quantum expendere valeant, quod in Dataria capsa remittitur.

Quod si de duobus impedimentis res sit quorum unum sit publicum, aliud occultum, a S. Dataria dispensatio impetratur de publico, et deinceps dispensatio de occulto S. Poenitentiariae petitur facta mentione de dispensatione a S. Dataria de publico obtenta.

Verum quoad dispensationes quae per S. Poenitentiariam in forma pauperum conceduntur quaestio a canonistis institui solet: quid sit dicendum de dispensatione in forma pauperum concessa cum revera oratores non fuisse pauperes constat? valetne dispensatio? Iuxta ea quae de rescriptorum valore dictum est, certe nullius est valoris dispensatio quoties obreptio, et subreptio ex

fraude ac dolo oratorum originem habet. = De hoc nulla inter doctores instituitur quaestio. At si error ex ignorantia aut ingenuitate dimanaverit doctores in diversam habeunt sententiam.

Qui affirmant valere etiam in casu dispensationem ita argumentant. = Iuxta doctrinam canonicam de rescriptis, quoties error ex ignorantia in causam impulsivam cadit, rescriptum valet, eo quia firma manet voluntas concedentis; atqui paupertas non est causa motiva sed impulsiva qua conceditur dispensatio; ergo dispensatio valet. = Etenim paupertas non est nisi ratio specialem formam dispensationis adhibendi quae dicitur = in forma pauperum. = Qui autem negant valere dispensationem in casu proposito respondent quod allatum argumentum fundatur in hipothesi quod S. Poenitentiaria dispenset in casu iure proprio, non iure delegato = Nam delegatus eam potestatem habet quae ei delegata est, et si delegationem excedat nihil in iure agit. - Atqui Poenitentiaria facultatem habet dispensandi delegatam solum si oratores sint pauperes. Hac proinde conditione quacumque de causa deficiente, qualibet facultate dispensandi S. Poenitentiaria destituitur.

Quae sententia praeterquamquod probabilior est praxi etiam S. Poenitentiariae omni

no consona apparet. = Etenim in ordine ad cognitionem de existentia paupertatis triplex tempus est distinguendum. Vel error cognoscitur a) ante concessionem dispensationis vel b) a dispensatione concessa usque ad executionem c) vel post executionem. = In 1° casu S. Poenitentiaria petitionem ad Sacr. Datariam remittit, vel si error sit dubius si casus urgeat dispensationem sub conditione concedit. = dummodo oratores vere pauperes sint. = Ordinario competit de paupertatis veritate inquirere = In 2° casu S. Poenitentiaria vel negotium remittit ad S. Datariam, vel speciales exposcit facultates. = In 3° casu S. Poenitentiaria a Summo Pontifice defectus sanationem in remedium conscientiae obtinet. Proposito dubio S. C. die 28. Iun. 1873. respondit: Nihil esse innovandum. =

3) Summus Pontifex dispensationem concedit per S. Congr. S. Officii si agatur de impedimentis quae ex publico delicto orta sunt, et de impedimentis disparitatis cultus ac mixtae religionis.

4°) Per sacram Congregationem Propagandae Fidei in locis quae eidem Sacra Congregationi sunt subiecta.

5°) Supremis autem principibus per Brevium Secretariam et in gravioribus negotiis per Sacrum Consilium ecclesiasticis negotiis extraordinariis praepositum. Notandum est sub poe-

na nullitatis esse vetitum post aditam unam Congr. aliam adire. Negatae tamen dispensationis mentio non requiritur si ea ab eodem superiore fuerit negata.

§ 2.

De delegata potestate dispensandi Episcopi vel Praelatorum qui iurisdictione quasi Episcopali pollent.

Episcopus aut Praelatus dispensare possunt ex delegatione vel expressa, vel tacita, vel praesumpta.

Delegatione expressa ex lege communi Episcopi dispensare valent a bannis seu proclamationibus matrimonialibus faciendis ex cap. 1. Sess. 24. Concil. Trid. de Reform. matr. Iuxta Decret. S. Inquisitionis sub die 20. Febr. 1888 approbatione Leonis XIII. locorum Ordinarii dispensare valent, sive per se sive per ecclesiasticam personam, sibi benevisam aegrotus in gravissimo mortis periculo constitutus quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super imped. etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro praesbiteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Si tamen dispensaverint in tali necessitate ab impedimentis Ordinis diaconatus vel subdiaconatus, vel quam solemnem profess. emiserit, et postea convaluerint Ordinarius de impertita dispensatione S.C. Inq. certiorem faciat, et interim curet ut scandalum removeatur tum inducen-

ac eosdem coniuges ut in locum se conferant ubi coniugis ecclesiastica conditio ignoratur, vel saltem dent operam spiritualibus exercitiis et poenitentiis. - Hanc facultatem Episcopi parrochis subdelegare valent si tempus ad Episcopos recurrendi deest et periculum sit in mora. S. U. I. 9. Ianuari 1889. Nomine parocho non intelliguntur nisi parochi titulares ac Vicarii perpetui et temporanei, excluduntur viceparochi et capellani. S. U. I. 23 Apr. 1890.

Similiter Episcopos ex speciali mandato dispensant, si specialem habuerint ab Apostolica Sede delegationem Romanus vero Pontifex vel delegat Ordinarium v. gr. Florentinum, vel N. Episcopum Florentinum. - In 2°. casu Vicarius Generalis ac Capitularis illis facultatibus uti non possunt nisi expresse subdelegationem ab Episcopo acceperint, secus vero in primo casu. - Ceterum etiamsi delegatus a Pontifice possit subdelegare, tamen et ei hoc prohibitum est si eviolenter eius specialis industria electa fuerit.

Episcopus facultates acceptas nonnisi in suos subditos exercet, at sufficit ut unus ex oratoribus si de impedimentis correlativis agatur subditus sit Indultarii aut habentis delegationem dispensandi sicuti S. Poenitentiaria die 4. Sept. anno 1839 declaravit. - Episcopus in concedenda dispensatione oratores absolvere valet a censuris ad effectum dispensationis obtinendae et prolem iam natam

legitimare excepta adulterina ut S. Poenitentiaria die 1. Iulii anno 1859 declaravit.

A) Episcopus dispensare potest ab imp. matr. delegatione expressa - Haec expressa delegatio ad dispensandum Episcopis a Summo Pontifice conceditur vel) in aliquo particulari casu inter determinatas personas, vel) in determinatis impedimentis, ac determinatis gradibus, aut) pro casibus numero definitis - Haec delegatio expressa pro foro externo a S. Congregatione Prop. Fidei Episcopis et Vicariis Apostolicis eidem Sacrae Congregationi subiectis conceditur amplior vel strictior iuxta quod Episcopi aut Vicarii Apostolici in regionibus remotionibus aut vicinioribus degunt. - Solent etiam alias facultates S. Poenitentiaria Episcopis et Vicariis Apostolicis concedere pro foro interno vel ad annum vel ad triennium, vel ad brevius tempus si facultates sint extraordinariae.

Pro recta huius delegatae facultatis interpretatione haec tenenda sunt

a) Episcopus cum solis suis dioecesanis dispensandi facultate pollet, idest cum iis qui habent in sua dioecesi domicilium vel quasi-domicilium, et cum vagis. Et si in formula S. Congr. de Prop. Fide clausula ponatur "nec illis uti possit extra suae dioecesis fines". Episcopus facultatem exercere nequit nisi erga subditos qui tempore quo dispensandi sunt in eius

diocesi commorantur quamvis ipse extra illam degat.

b) Si cum impedimento in quo Episcopus dispensare potest, aliud concurrat quod ad Apostolicam Sedem sit deferendum, in utroque Apostolicae Sedis dispensatio requiritur.

c) Indultum generale dispensandi a certis impedimentis quamlibet personam et mandatum dispensandi nominatas personas, subdelegari nequit, iuxta tamen ea quae supra dicta sunt.

d) Facultas dispensandi ab imped. matrimonii est latae interpretationis: quare e.g. delegatio ad dispensandum ab impedimento 3.i gradus consanguinitatis valet pro 4°. indultum relaxandi impedimentum affinitatis aliqua limitatione concessum extenditur ad affinitatem ex copula licita vel illicita; ita etiam facultas dispensandi ab impedimento affinitatis ex copula licita, extenditur ad impedimentum publicae honestatis quod illam comitatur; etiam facultas delegata dispensandi quoad aliquem gradum consanguinitatis seu affinitatis, ad gradum eumdem duplicatum nempe ab utroque parente provenientem extenditur = ita facultas concessa dispensandi super gradu superiore, concessa censetur etiam super inferiore; facultas dispensandi ab impedimentis cognationis intelligitur concessa ab impedimentis triplicis cognationis natura-

lis, legalis, spiritualis.

e) Facultas dispensandi est strictae interpretationis quoties contra dispensationis concessionem ratio militat, vel dispensatio esset potius dissipatio. Ita facultas dispensandi super impedimento publicae honestatis ex sponsalibus non extenditur ad impedimentum publicae honestatis ex matrimonio rato; ita a gradibus simplicibus, non fit extensio ad gradus mixtos, ita si praeiudicium tertii sequeretur.

f) Dispensatio ipsa vel mandatum dispensandi pro determinatis oratoribus est strictae interpretationis, neque militat argumentum a maiori ad minus nisi cum minus in maiori includitur. In genere standum est ad casus, personas, gradus, prouti in litteris delegationis indigitatur, nisi de eo agatur quod inseparabiliter in expressis casibus, gradibus, aut personis comprehenditur. Facultas dispensandi a pluribus impedimentis eadem impedimenta simul unita non comprehendit nisi hoc exprimatur S. V. I. 18. Maii 1869. - Facultas dispensandi pro foro interno, vel pro pauperibus, vel pro haereticis non comprehendit facultatem dispensandi pro foro etiam externo, pro divitibus, pro catholicis - Pius IX Const. "Multis gravissimis" 26. Apr. 1873. - Ceterum dispensatio danda est in scriptis mentione facta de delegatione habita ab Apostolica Sede.

B) Episcopus dispensare potest ex delega-

tione tacita. = Episcopus ex delegatione tacita ex consuetudine dispensat 1º) in impedimentis impedientibus R. Pontifici non reservatis. Impedimenta impedientia Romano Pontifici reservata sunt; α) impedimentum impediens sponsalium β) impedimentum impediens cultus disparitatis mixtae religionis γ) impedimentum castitatis perpetuae δ) impedimentum voti ingrediendi religionem cum votis solemnibus ε) imped. interdicti Pontificis ζ) imped. ex haeresi η) imped. ex defectu legalis probationis status liberi nupturientium θ) impedimentum ex prohibitione solemnitatum nuptiarum tempore feriato. - Quare Episcopus dispensare potest a votis simplicibus R. P. non reservatis prouti a) a voto temporaneo castitatis b) a voto perpetuo castitatis conditionale vel poenale c) a voto non nubendi d) a voto suscipiendi ordines. Excipitur tum votum simplex castitatis alumnorum societatis Jesu ac votum castitatis emissum ab uxore, qua consentiente, vir ad ordines sacros promotus est. = Haec vota aequiparantur votis solemnibus et perpetuis. = Caeterum facultas dispensandi quoad vota reservata concessa non intelligitur nisi de ea expressa mentio fiat. = Item Episcopus delegatione tacita dispensat ab impedimento dubio non iuris sed facti, et dispensat pro utroque foro etiamsi postea impedimentum certum appareat.

2) Fit quaestio apud doctores an Episcopus tacita delegatione ius acquirere possit dispensandi ab impedimentis dirimentibus legitimae consuetudinis causa. = Etiamsi sit dicendum quod neque ex consuetudine Episcopus dispensare possit iure proprio et ordinario ab impedimentis dirimentibus, quia de consuetudine agitur, uti ait Benedictus XIV. de Synodo dioeces. l. 9. cap. 2. 4. 6. quae nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpit, tamen non videretur, per se loquendo, invalida dispensatio quae ex centenaria consuetudine concedatur ab Episcopis sciente et non contradicente Pontifice. Hoc enim in casu Episcopus non iure proprio, sed tacita delegatione dispensaret. Ceterum in praxi R. Pont. has dispensationes sibi reservant.

C) Episcopus dispensare potest ex delegatione praesumpta. = Hac delegatione Episcopi dispensare valent in impedimentis dirimentibus pro foro conscientiae [internus of occultis] in casu urgentissimae necessitatis tum si agatur de matrimonio contrahendo, tum si de matrimonio iam contracto. = Attamen si de matrimonio contrahendo agatur requiritur 1) ut impedimentum sit occultum aut publicari nequeat sine contrahentium infamia 2) ut adsit causa gravis 3) ut periculum sit in mora ita ut matrimonium differri nequeat 4) Dispensatio facile obtineri nequeat a Sede Apostolica, vel eius delegato. - Quod si sermo sit de matrimonio iam contra=

cto et nullo ob impedimentum dirimens necesse est 1°) ut matrimonium sit contractum servatis omnibus Ecclesiae solemnitatibus 2°) ut sit contractum saltem ab uno ex contrahentibus bona fide 3) ut sit consummatum 4) ut impedimentum sit occultum, 5) neque facile adiri possit Apostolicae Sedes 6) ut coniuges separari nequeant sine scandalo 7) dispensatio facile et brevi tempore obtineri nequeat a Sede Apostolica. Haec delegatio praesumpta valet pro foro interno dumtaxat, cum in necessitate fundamentum habeat animarum saluti consulendi. — Proinde si impedimentum fiat publicum nova indiget dispensatione Summi Pontificis.

§. 3.

De delegata potestate Capituli aut Vicarii Capitularis dispensandi in impedimentis matrimonii.

Iurisdictio sede vacante habitualiter residet in Capitulo Ecclesiae Cathedralis, in actu vero ex dispositione iuris in Vicario Capitulari qui intra 8 dies a Capitulo eligendus est. Capitulum autem ac Vicarius Capitularis censentur Episcopo succedere tamquam totius Dioeceseos ordinario pastori, negotiis exceptis, quae expresse denegata in iure deprehenduntur. Quare quod attinet ad dispensationes matrimoniales 1) Capitulum et Vicarius Capitularis non succedunt Episcopo quoad facultatem dispensandi ex

delegatione expressa, etsi et ipsi et delegationem expressam obtinere possint. Attamen si Ordinarius qua talis delegatus fuerit, huiusmodi delegatio ad Vicarium Capitularem transmittitur.
2) Capitulum et Vicarius Capitularis dispensare possunt ex delegatione tacita, vel praesumpta, quia haec ad Episcopum pertinent tanquam ad ordinarium.

Notetur quod quando dispensatio in foro externo fuit concessa ab Episcopo vel Vicario Capitulari recurri potest pro dispensatione in foro conscientia sive ad Episcopum, sive ad Poenitentiariam. Non vero recurri potest ad Episcopum vel Vicarium Cap. in foro interno si dispensatio in foro externo concessa fuit ab Ap. Sede.

Articulus 2us
Quomodo petatur dispensatio.

Matrimonii dispensationes nemini conceduntur nisi supplex libellus quacumque forma exaratus, munitus exhibeatur testimonio ordinarii quo ea exprimantur quae de iure, vel) de consuetudine, vel) stylo Curiae exprimi debent ita ut si horum aliquid etiam ignoranter omittatur dispensatio sua vi destituitur.

Quare exprimi debet

a) Nomen et cognomen oratorum utrumque distincte ac nitide et sine ulla litterarum abbreviatione scribendum. Error in nomine et cognomine de iure rescriptum non vitiaret si

persona cui refertur sit aliis circumstantiis satis determinata, at ex praxi inductum est ut hic error rescriptum vitiare dicatur. Levis tamen error ex. gr. in mutatione alicuius literae aut syllabae non attenditur. Verum cum dispensatio in impedimento occulto postulanda est, vel ficta nomina adhibentur, vel oratorum nomina sub litera N. reticentur.

b) Exprimi debet nomen Diocesis originis vel actualis domicilii, non autem necesse est exprimere locum originis vel domicilii, aut aetatem nisi dispensatio petatur ob angustiam loci vel locorum, aut ob aetatem. Si oratores domicilium habeant extra dioecesim originis, possunt pro lubito petere ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis in qua habitant. Si oratores sunt diversorum dioecesium, utriusque nomen exprimi debet = Error in nomine dioeceseos invalidat dispensationem eo quia nullus Ordinarius exequi literas possit.

c) Praeter dispensationis causas debet exprimi species etiam infima impedimenti; si enim unum pro altero ponatur non valet dispensatio, etsi bona fide id fuerit factum. Exprimi debet gradus, numerus, et variae circumstantiae impedimentorum. Quare in impedimento consanguinitatis exprimi debet 1) gradus et linea quae si omittatur semper intelligitur transversalis. Si remotior gradus exprimatur pro propinquiori dispensatio vitia-

tur non vero si contrarium contingit.

2) exprimendum est an consanguinitatis vinculum sit simplex aut multiplex tam ex parte patris, tam ex parte matris. Si oratores in gradu inequali a stipite distant, uterque gradus est exprimendus, et si gradus primus reticeatur etiam bona fide, nulla est dispensatio; si gradus reticitus est infra primum dispensatio executioni demandari nequit nisi obtentis litteris declaratoriis. - In impedimento affinitatis exquiri debent 1) praecisus gradus 2) linea vel recta vel obliqua 3) an affinitas sit ex copula licita vel illicita quod ad valorem dispensationum exigitur si agatur de 1° aut 2° gradu affinitatis 4) an copula habita sit cum pluribus consanguineis eiusdem sponsi vel sponsae 5) si affinitas oriatur ex copula illicita in primo simplici, aut primo cum secundo gradu, erit quoque notanda provenientia. 6) si inter ipsos sponsos intercesserit copula et an cum intentione facilius impetrandi dispensationem.

In impedimento publicae honestatis exprimi debet a) an oriatur ex sponsalibus aut matrimonio rato saltem in primo gradu b) linea c) si oriatur ex matr: rato exprimantur gradus d) multiplicitas. - Et si agatur de publica honestate ex sponsalibus Batavi ae exprimi debet an soluta sint sponsalia et quomodo.

In cognatione spirituali exprimuntur 1) utrum paternitas vel maternitas an compaterni=

tas et commaternitas 2) an ex baptismo, aut confirmatione quod ad validitatem dispensationis non requiritur 3) cognationis multiplicitas. Verum multiplicitas non habetur ubi quis plures eiusdem personae filius e sacro fonte aut in confirmatione parentum loco suscipit, quia agitur de eodem sacramento et de iisdem personis.

In impedimento criminis exprimatur 1) genus et species impedimenti 2) si alius nuptiali impedimento dispensationem obtinuerit.

In impedimento raptus exquiri debet omne id quo hoc impedimentum constituitur.

d) Exquiri debet etiam an matrimonium contractum initum fuerit bona fide saltem ex parte unius, vel non, an praemissis denunciationibus, an forma Tridentina, an consummatum.

Tandem notetur quod hodie SS. D. N. Leo Pap. XIII. decreto Sup. Univ. Inq. edito die 25. Iunii 1885 revocavit decretum S. Inq. et S. Poenitentiariae quo edicebatur aperiendam esse sub pena invaliditatis in supplici libello copulam incestuosam a sponsis ante dispensationis executionem habitam, etsi occultum, nec non intentionem facilius consequendi dispensationem qua eamdem copulam forte patrassent. Quare post diem 25 Iunii 1885 etiam in supplici libello reticeatur copula incestuosa inter sponsos, nec

non intentio qua eamdem copulam forte patrassent, facilius consequendi dispensationem, dispensatio est valida.

Articulus 3us.
A quibus impedimentis et quibus de causis petatur dispensatio.

Duo quaeruntur 1º) a quibus impedimentis dirimentibus vel impedientibus petatur dispensatio 2º) quibus de causis ab impedimentis impedientibus et dirimentibus dispensatio petatur

§ 1^a.

A quibus impedimentis dirimentibus et impedimentibus petatur dispensatio.

Impedimenta dirimentia quadrupliciter distinguuntur alia) sunt in quibus dispensari non potest, alia) sunt in quibus non dispensatur, alia) sunt in quibus dispensari solet, alia) in quibus passim dispensatur.

a) Impedimenta in quibus dispensari non potest neque a Romano Pontifice sunt impedimenta quae a iure naturae, vel a iure divino positivo originem habent. Tale est impedimentum aetatis rationis usu destitutae, impedimentum impotentiae antecedentis et perpetuae, impedimentum consanguinitatis lineae rectae in 1º gradu saltem et generatim omnia im-

pedimenta quae matrimonii essentiae adversantur uti vis, error, ligamen. - Attamen quod impedimentum ligaminis divino iure inductum, ipsum divinum ius exceptionem statuit circa matrimonia rata et non consummata fidelium, quae vel) invito altero coniuge tum solemni professione religiosa, tum Summi Pontificis auctoritate ob causam gravem sive publicam sive privatam aliquando dissolvuntur. - Idem contingit in matrimoniis infidelium consummatis quorum alter ad fidem convertitur, alter vero nec converti vult nec pacifice et sine contumelia creatoris cum converso habitare.

b) Impedimenta a quibus non dispensatur sunt de quibus controvertitur an sint de iure divino vel humano, uti 1) impedimentum consanguinitatis in 1º gradu lineae transversae. 2) et primus affinitatis gradus lineae rectae ex connubiali copula. Quare ab hoc impedimento affinitatis neque dispensare possunt Missionarii quibus per Indultum conceditur facultas dispensandi in gradibus consanguinitatis iure divino non prohibitis.

c) Impedimenta a quibus dispensari non solet sunt 1) impedimentum clandestinitatis saltem cum agatur de matrimonio contrahendo, impedimentum criminis utroque vel alterutro machinante 2) si machinatio sit occulta nonnisi ex necessitate dispensatur 3) raro etiam di-

spensatur in impedimento publico primi gradus affinitatis lineae rectae ex copula illicita. Quod si detur, hoc in casu dispensatio hac conditione datur ut sponsa nata sit antequam sponsus cum matre sponsae rem habuerit. Quod si coniunctio illicita, ex qua orta est affinitas, putatur legitima, adiicitur conditio ut ante executionem dispensationis caveatur nec in vulgo oriatur opinio erronea dispensatum fuisse in impedimento primi gradus lineae rectae ex legitima coniunctione. 4) Raro dispensatur ab impedimento disparitatis cultus in regionibus catholicis, facilius inter infideles. Nonnisi ex gravissima et publica causa dispensatur ab impedimento ordinis sacri, vel professionis solemnis.

d) Impedimenta in quibus passim dispensatur sunt impedimenta ex remotioribus gradib. consanguinitatis, affinitatis, publicae honestatis, cognationis spiritualis aut legalis.

A quibus impedimentis impedientibus petitur dispensatio? Ab omnibus impedimentis impedientibus peti potest dispensatio habita ratione tamen ad impedimenta impedientia Romano Pontifici reservata vel non. Vidimus in articulo primo huius capitis quaenam sint impedientia impedimenta Romano Pontifici reservata.

§ 2.

Quibus de causis dispensatio petatur ab impedimentis impedientibus.

In genere cum dispensatio prouti legis vulnus iure merito habeatur nonnisi ex rationabili causa dispensatio ab impedimentis etiam tantummodo impedientibus peti potest. In specie autem quod attinet ad impedimenta impedientia Romano Pontifici reservata haec sunt notanda.

a) Relate ad impedimentum ex vinculo sponsalium 1) durante actione iudiciali super validitate sponsalium, oratores non audiuntur pro dispensatione obtinenda 2) oratores de dispensatione pariter non audiuntur nisi prius ecclesiastica auctoritas hortationes ac minas adhibuerit erga reluctantem fidem servare, et monita interposuerit quoad aliam partem, ut iuri suo propter graviora damna sequutura renunciet. Quae hortationes ac minae ad iuris tramites faciendae sunt; hinc prius monendus reluctans, dein compellendus etiam per censuras a quibus tamen abstinendum si graviora praevideantur mala 3) dispensatio a vinculo sponsalium peti non potest nisi si ex gravissimis circumstantiis praevideatur matrimonium contrahendum infaustum et graviorum malorum causam exiturum.

b) Relate ad vota Romano Pontifici reservata 1) maior causa requiritur ad petendam dispensationem quando agitur de mera dispensatione, quam cum agitur de commutatione, uti gravior causa exigitur in commutatione dispensationi admixta, quam in simplici commutatione 2) Item si simul concurrunt vincula voti et iuramenti maior causa exigitur ad dispensandum super utroque quam super alterutro. Secus si agatur de commutatione per hanc enim neutrum vinculum tollitur. In praxi dispensationem conceditur nisi mixta cum commutatione = 2) Ceterum causae sufficientes ad petendam dispensationem a votis reservatis sunt si ob mutationem materiae dubitatur an votum evaserit inutile, vel malum, si vovens dubitet an vovendo animum habuerit sese obligandi, si votum ex levitate animi emissum fuit, vel ex metu aut dolo extortum, si sit incontinentiae periculum, aut magna difficultas illud implendi ex fragilitate, si proponatur compositio pecuniaria ad causas pias.

c) Relate ad matrimonia mixta inter baptizatos dispensatio peti non debet nisi gravissimae rationes id suadeant uti si periculum adsit quominus matrimonium ut dicitur civile dumtaxat contrahatur. Facilius dispensatur inter principes ob maiorem difficultatem inveniendi coniugem.

d) Relate ad impedimentum ex defectu le=

galis probationis de statu libero peti non potest ut iuramento nupturienti delato huic defectui suppleatur nisi in casibus necessitatis, et si agatur de viduis quae probationem de obitu coniugis nequeunt exhibere, nonnisi in casu conceditur quo accedente publica fama aliisque indiciis, de coniugis obitu probabilis praesumptio habeatur.

§. 3.

Quibus de causis dispensatio petatur ab impedimentis dirimentibus.

Hic pariter principium recolendum est iam supra relatum quod nempe dispensatio peti non potest nisi ex gravi et rationabili causa, et quidem tanto gravior causa requiritur, quanto gravius est impedimentum.

Ceterum notetur 1) Una causa seorsim insufficiens, altera accedente, sufficiens fieri potest. 2) Etsi superior sine iusta causa possit dispensare non praesumitur tamen ita agere 3) Inferior sine iuxta causa invalide dispensat. Causae praecipuae quae in iure uti sufficientes ad petendam dispensationem sunt 1) Angustia loci sive absoluta, sive relativa uti si cognatio foeminae in loco originis vel domicilii ita sit propagata ut alium paris conditionis invenire nequeat nisi consanguineum vel affinem. Angusta loca censentur quorum inhabitantes non sunt ultra 1500, uti declaravit

Pius IX in ep. ad Card. Spinola Pro-datarium 1847. 2) Aetas foeminae superadultae 3) Defectus aut incongruentia dotis. 4) Paupertas viduae 5) Bonum pacis 6) nimia suspecta periculosa familiaritas vel cohabitatio sub eodem tecto 7) copula cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante praehabita, et magis si consecuta sit praegnatio et ita fiat necessaria legitimatio prolis 8) Infamia mulieris ex suspicione orta quod ipsa cognita sit a consanguineo, licet suspicio sit falsa 9) Revalidatio matrimonii quod bona fide, publice servata forma Tridentina contractum sit, et tamen nullum fuit ob aliquod impedimentum dirimens. Difficilius conceditur dispensatio si contrahentes erant in mala fide. 10) Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro 11) Periculum incestuosi concubinatus. 12) Periculum matrimonii civilis 13) Remotio gravium scandalorum, aut publici concubinatus. 14) Excellentia meritorum oratoris ect. ect. ect. ect. = Possunt igitur et aliae allegari causae vel motiva ut ex. gr. Deformitas, infirmitas, paupertas etc. etc.

Caput 2.^m

De dispensationum matrimonialium concessione et executione.

Duo hoc in capite videnda sunt 1) quomodo dispensationes matrimoniales concedantur,

2) quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur = Sit igitur

Articulus 1us
Quomodo dispensationes matrimoniales concedantur

Dispensationes matrimoniales quoad eas concedendi modum differre possunt vel) forma, vel foro, vel conditione aut clausula eis apposita. – Quoad formam a) dispensatio matrimonialis conceditur vel) in forma gratiosa, vel in forma commissoria. Si in forma gratiosa ille cui dispensatio committitur non est nisi dispensationis iam a Pontifice concessae executor, secus si in forma commissoria.

b) Dispensationes a Dataria Apostolica expediuntur vel) in forma nobilium, vel) in forma communi seu ordinaria, vel) in forma pauperum. Dispensationem in forma pauperum illi consequuntur solum qui pauperes sunt. Pauperes dicuntur qui ex suis laboribus vivunt, qui in Italia possident bona quae 300 scutatorum romanorum, extra Italiam 525 scutatorum summam non excedunt, deducto aere alieno et expensis pro bonorum administratione atque operibus. Cfr. Giovine de dispensationibus matr. II. § 18. n. 8. – Quod si bona parum hanc summam excedant dicuntur fere pauperes. Qui autem sunt fere pauperes, praeter taxam consuetam pro pauperibus, aliam componendam titulo eleemosy-

nae solvere tenentur.

Quoad forum dispensationes dantur pro) foro interno, vel) pro foro externo vel) pro utroque foro. = S. Poenitentiaria vero proti monuimus non concedit dispensationes matrimoniales nisi pro foro interno, et pro foro externo pro pauperibus.

Quoad clausulas quae dispensationibus apponuntur aliquando induunt naturam conditionis; aliquando praecepti = In 1° casu si conditiones non serventur dispensatio invalidatur; in 2° casu dispensatio fit solum illicita. = Clausulae 1°) quae per particulas exprimuntur si, dummodo, postquam, vel) quae ablativo absoluto afferuntur conditiones esse generatim censentur, 2) quae item id exprimunt quod ex ipsa rei, de quo agitur, natura vel ex iure sit servandum, conditionis naturam induunt vel praecepti iuxta ius aut rei naturam a qua exiguntur. = Hisce positis nonnullae clausulae dispensationibus apponi solent a Sacra Dataria, alia a Sacra Poenitentiaria.

Praecipuae clausulae Datariae Apostolicae hae sunt:

1°) Nos igitur eosdem.... et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat praesentium consequendum horum serie absolventes ecl....

De rescriptis vidimus quod excommunicati et censura irretiti sunt incapaces rescriptorum; hic ut valeat dispensatio matrimonialis praemittitur absolutio a censuris solum tamen ad hunc effectum consequendum, ita ut quoad alia oratores maneant censura vel poena innodati. = Ab huius clausulae beneficio excipiuntur excommunicati nominatim denunciati, et publice excommunicati

2) Certam de praemissis notitiam non habentes.... discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam habemus, mandamus = Per hanc clausulam exprimitur forma expeditionis quae est commissoria ita ut delegatus dispensationis executio subdelegare nequit cum electa sit industria delegantis.

3) Volumus autem quod si tu, spreta monitione nostra huiusmodi aliquid muneris aut praemii occasione praemissorum exigere aut oblatum recipere temere praesumpseris excommunicationem latae sententiae poenam incurras.

Delegatus seu executor occasione dispensationum matrimonialium non debet aliquid accipere ratione muneris, seu praemii. Alioquin subiicitur excommunicationi latae sententiae reservatae = Post executionem dispensationis si aliquid gratis offeratur accipi potest.

4) De praemissis te diligenter informes et si per informationem eamdem preces veritate

nihi reperesis, super quo conscientiam tuam o=
neramus.

Executor sive per se sive per alium inquirit si vera sint exposita in petitione ab oratoribus. Et si quaestio oriatur, per iudicium dirimenda est controversia, alioquin sufficit extraiudicialis infor=
matio. = Informatio atque explanatio per hanc clausulam est conditio sine qua dispensatio esset invalida; Ceterum ad validitatem sufficit ut sal=
tem una causa motiva verificata sit. = A iudicio inquisitoriis non appellatur nisi ad R. Pont. vel ad Cardinalem Prodatarium, vel ad Congr. Prop. Fidei.

5) Et quatenus contra ipsas causa super prae=
missis in iudicium quoquo modo deducta fuerit, posito iudicato.

Ponitur haec clausula quando dispensatio pe=
titur ab oratoribus incestuosis sive) ad contra=
hendum sive) ad revalidandum coniugium inva=
lide initum. Si enim saltem unus ex oratoribus ante executionem dispensationis deductus foret vel accusatus ad forum contentiosum ecclesiasti=
cum vel laicum, plectendus poenis incestuosorum absolvi nequit in foro interno, neque in externo ei suffragaretur, neque dispensatio valida esset.

Itaque hac clausula delegatus oratores a rea=
tu incestus et poenis absolvere et ab impedimen=
to dispensare non prius potest quam reipsa pervenerint sententiae latae vel ferendae a foro ad quod eorum crimen deductum est. alioquin

dispensatio esset invalida, quia delegatus priva=tur iurisdictione. Quod si oratores ad nullum delati sint forum, aut sententiae paruerint de=legatus eos absolvere et dispensare potest ita ut amplius in foro externo de incesto puniri possint.

6) Et recepto ab eis iuramento quod sub spe facilius habendae dispensationis huiusmodi, incestum hunc non commiserint.

Si oratores hoc iuramentum non praestant, vel si falsa iuraverint dispensatio est invalida; In secundo casu a S. Poenitentiaria petitur dispen=sationis instauratio. = Non sunt indigni dispen=satione tamen qui incestum commiserunt sub spe obtinendi dispensationem non vero facilius obtinendi. - Attamen recolantur quae de his supra diximus.

Quando dispensatio data est in forma pau=perum inseruntur clausulae circa necessitatem ut delegato constet de paupertate, de absentia cuiuslibet impedimenti, de scandalo non orituro, an dispensatio aliis damnum inferat. Quoad paupertatem duplex instituitur examen tum antequam dispensatio impetretur, tum in e=ius executione. Si oratores non sint pauperes cum dispensatio detur a S. Dataria quae con=stituit tribunal ipsius Pontificis ita ut non agat potestate delegata dispensatio est illicita, sed valida tamen delegatus dispensare licite non potest.

Praecipuae clausulae Sacrae Poeniten=tiariae sunt. -

Aliae) respiciunt forum externum, aliae) vero forum internum.

Clausulae praecipuae quoad forum externum sunt:

1°) Erogata ab eis aliqua eleemosyna indicio ipsius Ordinarii taxanda et definienda = Ordinarius non solum eleemosynam taxare debet sed etiam statuere in quale opus sit eroganda, si finis in rescripto non indigitatur. = Haec clausula continet conditionem sine qua non dispensatio est invalida. = Solet apponi in rescriptis quando locum habuit incestus.

2) Praevia absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa quovis modo incursis et ob incestus reatibus usque ad praesentium executionem forsan iteratis cum gravi poenitentia salutari. = Quae clausula opponi solet quando inter sponsos incestus intervenit. Quatuor sunt clausulae partes, absolutio a censuris, absolutio ab aliis poenis ecclesiasticis, absolutio ab incestus reatibus, impositio gravis poenitentiae salutaris.

3) Denique et aliae opponuntur clausulae quae si adnexae non sint subintelligi debeant a) dummodo inter eos aliud canonicum non existat impedimentum b) dummodo ad Apostolicam Datariam pro eadem dispensatione recursus factus non fuerit. -

Quoad clausulas Sacrae Poenitentiariae in foro interno. Notetur quod litterae dispensato=

5. Sotrieri. 1901.

viae a Maiori Poenitentiario vel oratorum Confessarium dirigi vel) cum inscriptione discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario, vel) discreto viro N. Confessorio vel alia simili ratione, vel) discreto viro Confessori magistro in theologia vel Decretorum doctori ex approbatis ab Ordinario. Per citata verba designatur qualitas illius qui deputatur executioni. - Si cui litterae reddantur postquam litteras aperuerit videat se aliquo ex requisitis carere, vel nolit electionem acceptare, non opus est novarum litterarum petitione sed primae tradi possunt per oratorem alteri confessario quem oratores elegerint.

1) Praecipua clausula quae numquam deest est. = Si ita est = qua committitur onus indagandi veritatem precum. Quare executor monere debet eum qui dispensationem petiit, ut nihil a veritate alienum proferat. Deinde opus est ut diligenter investiget utrum revera probentur omnia quae ille testatus fuerit. = Non tamen alii testes inquirendi sunt, sed illum examinari solum fas est qui dispensationem impetravit. - Si haec amittantur irrita est dispensatio nisi aliunde executor rei veritatem cognoverit.

2) Quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam. = Haec clausula non est iniuncta uti in dispensationibus pro foro externo verbo = erogata = ac proinde non constituit conditionem pro valore. =

3) Dummodo impedimentum occultum vel o=

mnium occultum sit. = Notetur quod in litteris S. Poenitentiariae impedimentum dicitur occultum licet aliquibus sit notum puta 4. vel 5 in oppido, dummodo nullum probabile periculum sit quod publicetur. = Quare in praxi non non solum consideratur numerus personarum quibus impedimentum notum est, sed magis eorum qualitas.

Dicitur autem omnino occultum impedimentum quod ita occultum est quod ne probari quidem ulla ratione posset; quod pluraque accidit cum impedimentum criminis dispensandum proponitur.

Si crimen ad forum contentiosum deductum fuerit, censetur occultum si accusatus absolutus fuit ut innocens, vel dimissus quia culpabilis probatus non fuit - Censetur publicum si reus non obtinuit sententiam definitivam sed tantum libertati redditus fuit interposita cautione de se repraesentando.

Si impedimentum publicum sit in alio loco, occultum vero ubi oratores degunt, et de hoc mentio facta non fuit in petitione dispensationis rursus ad Sacram Poenitentiariam recurrendum est.

Si impedimentum aliquando fuit publicum, et a decennio est occultum, in iure pro occulto habetur, quod etiam verificatur si factum est publicum at non cognoscitur uti criminosum.

4) Dummodo aliud non obstet canonicum

impedimentum.

Haec clausula valet etiamsi ab alio impedimento dispensatio obtenta fuerit a Dataria in foro externo, de qua tamen dispensatione facta non sit mentio in petitione ad S. Poenitentiariam. = Consulantur = Del Giovine - de dispensationibus matrimonialibus - Zitelli - de disp. matr.

Articulus 2.

A quo et quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.

Videndum est 1) a quo 2) quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.

§1.

A quo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.

Certum in iure est quod executio Litterarum Apostolicarum ab alio facta, quam ab eo cui ab Apostolica Sede dispensandi potestas fuerat commissa, prorsus irrita haberi debet.

Non solet autem in mandatis ad dispensandum exprimi proprium executoris nomen ne dispensatio videatur commissa industriae personae, qua ante illius executionem defuncta dispensatio sine executione maneret, sed exprimi solent personae dignitas vel officium quo fit ut si haec persona ante executionem moriatur, vel ab officio et dignitate excidat eius successor exequi dispensationem possit.

Summus Pontifex Leo XIII probavit die 11. Aug. 1887. hoc S. Inquis. decretum a) dispensationes matrimoniales omnes in posterum committenda sunt vel Oratorum Ordinario vel Ordinario loci b) Appellatione Ordinarii veniunt Episcopi, Administratores seu Vicarii Apostolici, Praelati seu Praefectus habentes iurisdictionem cum territorio separato eorumque officiales seu Vicarii in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarius Capitularis vel legitimus administrator c) Vicarius Capitularis seu Administrator eos quoque dispensationes ap. exequi potest quae remissae fuerant Episcopo aut Vicario Generali vel Officiali nondum executioni mandatae, seu hi illos exequi ceperint, sive non; et vicissim potest Episc. vel eius Vicar. Generalis spiritualibus exequi dispensationes Vicario Capitulari commissas sive hic illas exequi coeperit sive non. d) dispensationes matrim. Ordinario oratorum commissae ab illo Ordinario exequi debent qui dedit literas testimoniales, vel preces transmisit ad Sedem Ap. sive ut sit ordinarius originis, sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum, etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erat dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expediens indicaverit, Ordinario loci in quo matrimonium est contrahendum. e) Ordinario praedicto fas est, si ita expediat, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, loci praesertim ubi sponsi actu degunt.

Quoad Vicar. Gener. notetur 1) quod potest exequi

dispensationem quamvis Episcopus nondum sit consecratus sed solum confirmatus imo etiam si Episcopus excommunicatus aut suspensus existat (1) 2) Si Episc. plures habeat dioeceses et plures Vicar. Gener. tunc si unus ex his ab altero non dependeat, ille intelligitur delegatus, ad cuius diocesim oratores pertinent. = Quoad si unus ex Vicariis sit principalior ac ipsi reservatae sint omnes causae matrimoniales, is est dispensationum executor = 3) Si iurisdictio Vicarii Generalis iam expiravit, dummodo hoc communiter ignoretur valide ab eo dispensatur secus si esset in officio intrusus absque titulo.

Quinam exequi debeat dispensationes pro foro conscientiae a Maior. Poenit. expeditas iam vidimus.

Executor tunc solum obtinet facultatem dispensandi cum accipit exemplar originale Apost. Litterarum, etiamsi cognoscat litteras in curia esse expeditus. - S. C. Con. 12. Ian. 1606. Si executor reperiatur extra diocesim potest exequi litteras Ap. sibi commissas dummodo alteri idoneo viro commoranti in diocesi subdeleget auctoritatem capiendi informationes, audiendi testes, et conficiendi processus si opus sit.

§ 2.

Quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.

Si de dispensationibus in foro externo sermo sit exe=

---

(1) Quoad executionem dispensationis ob impedimento impediente vinculi ex sponsalibus executio Episc. mandatur, qui nequit Vic. Gen. delegare in iis quae respiciunt nudum ministerium.

cutor ante omnia ut plurimum de precum veritate examen instituere debet ne forte si preces veritate non vitantur dispensatio sit invalida; secus si nulla ratio dubitandi subsit.

Quare verificare debet nomen et cognomen oratorum, et si error sit substantialis dispensatio exequi non debet, sed iterum ad Ap. Datariam est recurrendum = Verificare debet an error contigerit circa impedimenta in litteris expressa qua in re in primis audiantur contrahentes, qui veritatem aperire tenentur nisi obset impedimentum occultum a quo iam obtinuerunt dispensationem, secus si hoc impedimentum evaserit publicum quia tunc indiget vera dispensatione. Postea alii testes praesertim parentes et vicini audiuntur. = Dein executor verificat 1) an error contigerit in expressione impedimentorum connubialium quae in narrativa apostolici mandati leguntur 2) an aliud obstet quod veticitum fuit in prioribus vel postea contractum. Si error fuit in gradibus et dispensatio impetrata fuit super propinquiori pro remotiori, valida erit dispensatio, secus si error fuit circa genus impedimenti, aut circa impedimentorum numerum.

Quibus peractis delegatus conficit decretum executionis inscriptis non tamen sub poena invaliditatis, dummodo nihil in decreto omittatur ex iis quae necessario exprimenda sunt.

Huius decreti transumptum partibus tradendum est.

At dispensatio pro foro tantum conscientiae

in confessione viva voce facienda est. Ipse debet in confessione poenitentem examinare, inspicere an) preces veritate nitantur et an) aliud lateat impedimentum, an) sine scandalo fieri possit separatio. Differtur dispensatio donec auferatur causa proxima peccandi.

Confessarius autem non poterit litteram originale exemplar asservare, sed illud destruere tenetur. - Si impedimentum sit solum ex una parte uti votum castitatis vel si est ex utraque parte contrahentium unius tantum culpam habet coniunctam, in hanc solum executio fiat, quae alteri manifestari debet si impedimentum cognoscat, secus si uterque contrahentium culpabilis sit.

Verum unusquisque contrahentium potest eligere pro lubito confessarium ad eas litteras exequendas. Tunc autem prior confessarius post dispensationem uni ad formam litterarum concessam, debet literas S. Poenit. poenitenti restituere, ut per illum alteri parti tradantur quae similiter easdem litteras secum exequi faciat per alium Confessarium, cuius erit in huiusmodi casu, confecto negotio, literas lacerare. Hoc iuxta mentem S. Poen. est cum impedimentum plerumque iam pro uno sublatum, etiam pro alio non existat, quare hac praescribitur non ad validitatem dispensationis sed ut utrique coniugum solutiones poenitentiae imponantur.

Hodie tamen praedicta dispositio locum non habet et in fine rescripti addi solet = facta tibi potestate his litteris utendi etiam cum altera parte si ad te pro absolutione accesserit. =

Caput 3.

De dispensationum matrimonialium cessatione.

Generaliter dispensationes matrimoniales cessant eo modo quo cessant rescripta nempe vel ab intrinseco vel ab extrinseco.

Ab intrinseco dispensatio matrimonialis cessat vel potius nullam vim habet usque ab initio si in petitione vel error irrepserit, vel relicta est veritas ex dolo et malitia = Quod si obreptio vel subreptio fuerit ex ignorantia, et ingenuitate videndum an error fuerit dumtaxat accidentalis seu ut dicitur in causa impulsiva, vel) fuerit essentialis seu in causa motiva, quo in secundo casu dispensatio nulla esset.- Ceterum recolantur quae supra diximus de dispensationum executione - de clausulis, de petitione ect. Quare 1) nullam vim habet dispensatio si concedatur ab iis qui potestatem dispensandi in eo casu non habent.- Et ita nulla videtur dispensatio a S. Poenitentiaria concessa in forma pauperum si oratores non sint paperes, prouti supra retulimus. Item nulla est dispensatio quae ab Episcopo concedatur vel in impedimentis dirimentibus, vel in impedimentibus reservatis iuris exceptionibus servatis, vel quod non suos subditos. Item nulla dispensatio in casibus ad quos extendi nequit - 2) nulla est dispensatio si in petitione omissa sunt quae necessaria sunt ad dispensationis validitatem iuxta superius dicta in art. 2°. cap. 1.

6. Solieri. 1901.

de petitione disp. 3) Nulla esset dispensatio si ex hypothesi data fuerit ab impedimentis iuris naturae, aut iuris divini nisi excipiatur dispensatio ab imp. ligaminis quoad matr. ratum, et dispensatio ab interpellationibus coniugis infidelis - iuxta art. 3. cap. 1. 4) Nulla est dispensatio si non observatae sint clausulae quibus concessa est, quaeque induunt naturam conditionum ad validitatem iuxta art. 1. cap. 2. - 5) Nulla est dispensatio quae ab eo executioni mandatur qui executionis potestatem non habet iuxta art. 2. cap. 2. - 6) Item nulla esset dispensatio si vera non est causa motiva ob quam data fuit dispensatio in forma commissoria; sufficit tamen quod vera sit tempore quo delegatus dispensat. - Et si agatur de dispensatione in forma gratiosa sufficit ut si vera tempore quo a Pontifice conceditur.

Ab extrinseco cessant dispensationes 1) per mortem concedentis 2) per mortem executoris 3) per renunciationem indultarii 4) per revocationem.

1º) Per mortem concedentis. - Distinguendum est inter dispensationes concessas a S. Poenitentiaria, et dispensationes quae a Dataria conceduntur. - Morte Pontificis non cessant dispensationes pro foro interno quae a S. Poenitentiaria conceduntur quamvis res sit adhuc integra, vel Maius Poenitentiarius summunus dimiserit. - Cessant vero dispensationes quae datae sunt a Dataria, vel a S. Poenitentiaria pro foro externo. Excipiuntur dispensationes iam concessae in forma gratiosa, et dispensationes in forma commissoria quarum tamen res non est adhuc integra

quia iudicium a quo semel ceptum est. finiri debet. Item morte Pontificis non cessat auctoritas dispensandi quae generatim et indeterminatim quoad personas dispensandas concessa est Episcopis, vel Vicariis Apostolicis ad dispensandum a determinatis impedimentis seu gradibus ad quinquennium vel triennium.

2) Per mortem executoris. = Cessat potestas exequendi dispensationem si executio commissa est industriae personae, non vero dignitati vel officio eiusdem, quo in casu eius successori facultas dispensandi transmittitur.

3) Renunciatione indultarii. = Cessat renunciatione indultarii si renunciatio fiat penes ipsum concedentem, non vero penes delegatum vel si ad longum tempus dissimulat. Ceterum renunciatio esse potest vel explicita, vel etiam implicita ut si ex. gr. obtenta dispensatione ab impedimento consanguinitatis, cum hoc consanguineo, orator novam dispensationem petat penes Sum. Pontificem ut contrahat cum alio consanguineo. Quae renunciatio tacita vel implicita non habetur si contrahentes qui obtinuerunt dispensationem contrahant novum matrimonium quod non indiget dispensatione. = Si enim ex hypothesi solvatur eorum matrimonium morte alterius coniugis possunt adhuc inter se contrahere vi obtentae dispensationis.

4) Revocatione concedentis. Verum R. Pon-

tifices non solent revocare dispensationem sine gravi causa. - Revocatio autem quae a Romano Pontifice fiat ante matr. celebrationem etiam sine iuxta causa etsi illicita est tamen valida. = Quod si revocatio fiat a iudice inferiore quod dispensationem quam ipse ex delegatione concessit, si sine iuxta causa non modo revocatio esset illicita sed et invalida.

Notatur a) iuxta responsionem S. Poenit. die 27. Iunii 1885 appr. Leonis XIII. Ordinarius exequi potest dispensationem, etiamsi ex errore partes ante eius executionem contraxerint matr. forma Tridentini servata. - At necesse est ut rursus coram Parocho et testibus renovato consensu parte consistunt.

b) Si delegatus in foro externo servata vi mandati forma, ex errore censuit non esse dispensandum, cognito errore nequit decretum retractare, excipitur si mandati sui formam non servavit quia tunc sua non usus est iurisdictione. - Secus dicendum de Ordinario aut de delegato in foro interno.

Appendix

De dispensatione ab impedimentis dirimentibus matrimonium per Sanationem in radice.

Sanatio in radice nihil aliud est = quam dispensatio qua abrogatur lex irritans matrimonium.

in casu speciali quoad matrimonium contractum ita ut simul tollantur effectus qui ex illa lege irritante secuti sunt.

Quare haec dispensatio quae dicitur sanatio in radice ab aliis distinguitur in forma communi concessis ut nempe dispensationes in forma communi a momento quo applicantur incipiant vires suas exercere, et per consequens respiciant futurum, sanatio autem in radice retrotrahitur ad momentum celebrati contractus matrimonii = Agitur enim de lege quae respicit inhabilitatem quae ad actus praeteritos referri potest quatenus validi et legitimi declarentur actus et effectus qui ob legem irritantem invalidi fuerunt = De quibus iam diximus agentes de legibus. =

Qua de causa per sanationem in radice, uti ait Benedictus XIV. Const. "Etsi matrimonialis." 27. Sept. 1755. non fit ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.

Requisita ut sanatio in radice concedatur sunt.

1°) ut omnia requisita iure naturae habeantur quibus possit matrimonium reviviscere et sunt 2) ut quando contractum fuerit matr. ad fuerit verus et naturalis consensus signis exter-

nis sufficienter expressus b) ut status matrimonialis inductus vi prioris consensus perseveret.

2) ut impedimentum sit iuris Ecclesiastici super quo Ecclesia possit et soleat dispensare - alioquin uti non potest in forma communi dispensare ita neque per sanationem in radice.

3) ut unio inter virum et mulierem figuram habeat matrimonii etsi matr. fuerit nullum ob impedimentum dirimens; quare unio concubinatus non potest in radicem sanari, sed sanatur matr. clandest., et etiam ex gravi causa matrimonium civile ubi promulgatum est decretum Trid. de clandestinitate.

4°) ut urgeat causa gravis uti si plures matrimonia irrita contraxerunt quae sine scandalo revalidari nequeunt per iterationem consensus communi ratione faciendum 1) si prolis sit legitimanda 2) si impedimentum sit alterutri coniugi ignotum et timeatur ne ille certior factus de impedimento novum dare recuset, 3) vel a matrimonio resiliat, 4) si uterque coniux est in bona fide et urgens sit motivum eos non monendi de nullitate matrimonii.

Effectus sanationis in radice sunt a) validitas matrimonii b) legitimatio prolis. - Sanatio in radice obtineri potest etiam coniugibus praesumptis praemortuis ad legitimandam prolem.

Sanatio in radice executioni mandatur eo modo quo aliae dispensationes, servatis litterarum dispensationis clausulas. - At si data fuerit

in matrimonio non inito in forma Tridentina, in foro interno, matr. inscribitur inter matrimonia secreta.

Ex his apparet quomodo sanatio in radice differat ab aliis modis quibus revalidatur matrimonium nullum.


Etenim matrimonium invalidum esse potest 1) ob defectum consensus substantialis 2) ob defectum formae praescriptae vel 3) ob inhabilitatem partium.

In 1°) casu sanatio in radice concedi non potest nempe dispensatio uti vidimus sed matrimonium revalidatur per simplicem ipsius consensus renovationem.

In 2°) casu si matr. est nullum ob defectum formae Tridentinae sanatio in radice conceditur: cum nullum scandalum timetur atque una pars renuit consensum renovare et vitium clandestinitatis OCCULTUM est. - Aliis in casibus, nisi dispensatio obtineatur ab Apostolica Sede, matrimonium revalidatur illud rursus contrahendo coram Parocho et testibus vel publice vel occulte prouti nullitas matrimonii publica vel occulta sit.

In 3°) casu vel conceditur sanatio in radice, vel dispensatio simplex ob impedimentis quo in ultimo casu tria sunt notanda 1) si matrimonium est initum impedimento iuris divini, si quando validari potest, per novam utriusque partis consensum post cognitam

nullitatem convalidari debet. – Uti infidelis conversus ad fidem si prima uxor recusat amplecti fidem et pacifice cohabitare, poterit quamlibet ex aliis uxoribus retinere, dummodo fidelis fiat; sed in hoc casu novus utriusque consensus requiritur. 2) si impedimentum est iuris civilis consensum renovare debet pars quae imped. cognovit. 3) si imped. est publicum, dispensatio est irrita, nisi matrim. publice iteretur servata forma Tridentina etiamsi et antea servata fuisset; si imped. sit occultum et servata est forma Tridentina, haec forma renovari non debet renovato tamen secreto consensu.



IN IUS CANONICUM
COMMUNE AC FIDEI PROPAGANDAE


Praelectionum Summarium

quas

IN SCHOLIS S. CONGR. PROP. FIDEI

tradebat

FRANCISCUS SOLIERI



DE PERSONIS

1.

Monitum

Haec scripta sunt ut discipulorum utilitati tantummodo inserviant, minime vero ut in pu=blicum prodeant.

DE IURE PRIVATO ECCLESIASTICO
seu
DE IURE CANONICO

1. Postquam in tractatu de iure publico Ecclesiastico vidimus Ecclesiam potestate gubernatoria seu iurisdictionis pollere, quibusque limitibus haec iurisdictionis potestas contineatur, ac in Ecclesia fuerit divino ac humano iure organizata, oportet ut de eiusdem iurisdictionis exercitio disseramus. Quod ad ius ecclesiasticum privatum seu ius canonicum pertinet.

2. Universam iuris canonici tractationem in quinque libros dividimus quorum in 1.º de personis agimus, in 2.º de rebus, in 3.º de iudiciis civilibus, in 4.º de delictis et poenis et tandem in 5.º de iudiciis criminalibus sermonem habemus.

LIBER I
De Personis.

3. Suprema personarum divisio in Ecclesia est ut alii sint clerici, alii sint laici: illi Ecclesiae gubernio praesunt, hi illorum potestati su-

biiciuntur (Nota) - κλῆρος enim graece significat sortem quasi clerici in sortem domini electi sint, et λαός significat populum (1). Inter clericos autem et laicos medium tenent locum monachi, religiosi aut regulares; et enim clerici appellantur regulares tantummodo quia de clericorum privilegiis participant. - Hisce positis cum in tractatu de personis praecipue de iis agendum sit qui iurisdictionis subiectum sunt, cumque clerici tantummodo iurisdictionis ecclesiasticae sint capaces, de clericis et dein de regularibus ac de laicis nobis dicendum est.

---

(1) Can. 7. caus. 12. q. 1. - Cfr. can. 5. caus. 12. q. 1. Cf. Isidorum Ispalensem lib. VII. Originum cap. 12. et. 14.

Nota. - Clerici nomen in iure lato, stricto ac strictissimo sensu sumitur. - Lato sensu clerici nomine persona intelligitur servitio et cultui divino legitima auctoritate mancipata. - Can. Clericus 1 et 7. - C. XII. q. 1. Thomass. ant. et nov. discip. t. 2. lib. 1. - Stricto sensu clerici dicuntur qui saltem per primam tonsuram ad divina officia obeunda deputantur. - Ferraris. Bibl. v. Clericus art. 1. - Strictissimo sensu in odiosis clerici intelliguntur saeculares Episcopi inferiores et omni dignitate ac praelatura carentes. - Latissimo sensu tandem clerici etiam utriusque sensu Regulares appellantur.

PARS 1ª

De Clericis.

4. De clericis agentes quorum est ecclesiasticam iurisdictionem exercere oportet ut in primis quasi prolegomenorum ratione de statu clericali seu de iuribus, privilegiis ac obligationibus clericorum agamus et deinceps de modis quibus ecclesiastica iurisdictio acquiratur vel amittatur dicamus

Prolegomena

Titulus 1ᵘˢ

De iuribus privilegiis ac obligationibus clericorum

Sicuti in titulo innuitur distinctis capitibus nobis agendum est 1) de iuribus ac clericorum privilegiis ac 2) de eorumdem clericorum obligationibus.

Caput 1ᵘᵐ

De Clericorum iuribus ac privilegiis.

Summarium - 5) Communia clericorum iura - 6) Clericorum privilegia - 7) in quo consistat canonis privilegium - 8) cuinam competat canonis privilegium - 9) quaenam poena communis statuta sit contra clericorum percussores - 10) quod de mandan=

tibus, rem prohibentibus, ratum habentibus. - 11) poenae speciales - 12) quinam ab excommunicatione absolvere possit - 13) quando hoc privilegium canonis amittatur - 14) S. Congr. Prop. Fid. decisio - 15) S. C. Immunitatis decisio - 16) An privilegium fori sit ex iure divino vel humano - 17-18 - quinam clerici fori privilegio gaudeant - 19. Exceptiones - quid de iis qui clericos ad tribunal laicum vocant - 20. Ratio servanda ut contra clericum in foro laico agi possit - 21-22. SS. CC. decisiones - 23. Privilegium exemptionis - 24 Competentiae privilegium - huius privilegi origo - 25. Conditiones ut clerici hoc privilegio gaudeant - 26. Privilegium immunitatis.

5. Communia clericorum iura sunt 1) divina officia celebrare sacrasque functiones peragere (1). Attamen tum ex dispensatione tum ex consuetudine nonnulla sacra ministeria obire laicis permittitur veluti Ecclesiae ianuas claudere ac aperire, sacras litteras legere ect. 2) Clericorum est iurisdictionem ecclesiasticam exercere 3) beneficia ecclesiastica possidere ac ecclesiastica stipendia consequi quae propter sacrum officium largiuntur (2), adeo ut nulla beneficii impetratio censeatur quoties in literis clericatus mentio reticita fue-

---

(1). Cap. 1. Tit. 28. lib. V. decret.
(2) Cap. 2. Tit. 6. lib. 3.

rit (1). 4) Clericorum est honores ac praecedentias iuxta iuris principia habere (2).

6. Praecipua autem clericorum privilegia sunt privilegium canonis, fori, exemptionis, ac competentiae, ac immunitatis.

Ad privilegium canonis quod attinet dicendum est quod a Concilio Lateranensi secundo originem habet quo in concilio sub Innocentio 2.° anno 1139. celebrato in canone 15 relato a Gratiano in can. 29. caus. 17. q. 4. dicitur. Si quis suadente diabulo huius sacrilegi reatum incurrerit quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit anathematis vinculo subiaceat et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere nisi mortis urgente periculo donec Apostolico conspectui praesentetur, et eius mandatum suscipiat.

Exinde hoc privilegium canonis appellatum est. Hoc privilegium in Constitutione Pii IX Apostolicae Sedis confirmatum est (3).

7. De hoc privilegio videndum nobis est 1) quaenam sit personae violatio quae in canone punitur 2) cuinam hoc privilegium competat 3) quaenam sit poena eiusmodi violationibus inflicta 4) et tandem quomodo hoc privilegium a clericis amittatur. Et quoad primum actio

---

(1) Cap. 17. Tit. 3. lib. 1. Cf. cap. 2. tit. 6. lib. 3.

(2) Cf. Decret lib. 1. tit. 33. de maior et obed.

(3) Collect. S. C. Prop. fid. n. 1002.

Privilegium canonis vocatur quia statuto est in canone Concilii Lateranensi

quae punitur "est iniectio manuum violenta et iniuriosa." Violentas manus iniiscere autem intelligimus quoties non verbis sed re graviter iniuria fiat in personam nempe vel in corpus ut ecce si veneno clericum sustuleris, vel in libertatem veluti si clericus in carcerem vel alterum privatum locum detrudatur vel in dignitatem veluti si pileum vel baculum Episcopo detraxeris, vel canem in eum irritaveris et momorderit. Dicimus re; proinde non sufficit verbis in personam facta iniuria, veluti si minis illum terrueris; item huiusmodi canon iniuriam non respicit quae etiamsi re tamen non in personam facta est, veluti si aliquid clerico clam subripias. Ulterius oportet ut iniectio sit revera iniuriosa, ac saltem ad mortale peccatum constituendum sufficiat. Iniuriosa est autem si fiat a volente, ac in irrationabiliter imitum. Quare lex casum haud respicit quo quis ioco ad correctionem vel subita ira clericum percutiat.

8. Quoad secundum nempe quinam canonis privilegio gaudeat animadvertendum est hanc legem quoad clericos quam maxime favorabilem esse ideoque latae interpretationis. Qua de re hoc privilegium illis omnibus competit qui in iure latissima significatione clerici appellantur adeo ut hoc privilegium etiam ad religiosos conversos, ad moniales, ad novi=

violenta iniectio manuum stf. fieri sufficiter
a) in damnum enorme = si membra trahuntur quae non possunt restitui e.g. oculus.
b) .. .. grave vel mediocrum = si membra trahuntur sine quibus clericus stf. peragere sacra functiones e.g. dentes
c) .. .. leve. = si solum est percussio ex quo nullum manet vestigium.

tios (1), ad eos qui in aliquam religionem licet nondum canonice adprobatam ingressi sunt, ad tertiarios, et etiam ad eremitas qui auctoritate superioris ecclesiastici tales sunt quoties collegialiter vivant (2) vel alicui Ecclesiae de Episcopi mandato inserviant. Hoc privilegio etiam clerici uxorati gaudent si nupserint uni et virgini ac habitum deferant et tonsuram ac de mandato Episcopi, alicui Ecclesiae inserviant (3). Hoc privilegio pariter et clerici irregulares, suspensi interdicti atque excommunicati gaudent.

9. Quoad tertium nempe quaenam sit poena eiusmodi violationibus inflicta. Poena quae contra clericorum percussores statuta est, alia est communis, alia particularis pro dignitate personarum quae laesae sunt. Poena communis est excommunicatio maior latae sententiae et quidem R. Pontifici simpliciter reservata iuxta ea quae habentur in Constitutione Apostolicae Sedis quae excommunicationi R. P. simpliciter reservatae subiacere voluit: violentas manus, suadente diabolo iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus iure, vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alios ab-

---

(1) Cap. 21. tit. XI. lib. V. decret.

(2) Fagnan. in cap. 2. de for. compet. n. 59 et sqq.

(3) Conc. Trid. cap. 5. sess. 23. de Ref.

2.

Haec tria incurrunt poenam excommunicationis. Sed levis pt. absolvi ab Episcopo: et enormem et grave in casu occulto. Sanctimoniales etiam in damno enormo et gravi pt. absolvi ab Episcopo quia peregrinatio ad Romam putatur periculosa pro mulieribus

solvat (1). Quae poena excommunicatum vitandum constituit etiam nulla in eum lata fuerit nominatim sententia (2).

10. Excommunicationem autem non incurrunt mandantes, non prohibentes, ac ratum habentes violationem immunitatis clericorum, est enim lex poenalis odiosa ideoque strictae interpretationis, etiamsi quatenus clericorum privilegium importat sit favorabilis. Ex altera parte Constitutionis Apostolicae Sedis auctor cum voluit censura et mandantes, non prohibentes, ac ratum habentes inodare hoc expressit. Ita in n. 5. eiusdem constitutionis Apostolicae Sedis excommunicationi R. Pontifici speciali modo reservatae subiiciuntur "omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel fortiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios: aut eos a suis diocaesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium vel favorem." Ex his patet quod Pius IX. RR.PP. Alexandri III, Innocentii III, Bonifacii VIII constitutiones hac in re abolevit qui etiam mandantes ac ratum habentes excommunicationem

---

(1) Collect. S. C. Pr. F. n. 1002.

(2) Martinus V. Constit. ad evitanda. Reinffestuel. de sent. excom. n. 135.

Incursores clericorum etiamsi non sint nominati tamen sunt excommunicati vitandi.

inodaverunt.

In hanc excommunicationis poenam non incidunt impuberes; in rebus enim odiosis principium valet quod id quod legislator voluit expressit.

11. Poenae autem speciales contra clericorum percussores sunt sequentes. Qui Episcopi personam violaverit incurrit officiorum ac beneficiorum sive spiritualium sive temporalium privationem quae a reo ac ab eius cooperatoribus habeantur in Ecclesia cui Episcopus laesus praeest; eius filii fiunt inhabiles ad beneficia ecclesiastica obtinenda in eadem Ecclesia et Diocesi usque ad secundam generationem. Insuper interdictum ponitur in percussorum terris, et si Civitas proprium Episcopum occiderit, Cathedra Episcopalis ab ea removetur (1). Quod si Cardinalis persona violata sit poenae speciales et gravissimae in Capite Felicis 5 de poenis in 6°. scriptae sunt, quibus addenda est constitutio Pii V (2) qui eaedem poenae ad eos extendit qui scienter non revelaverint eiusmodi crimina eorumque machinationes. Fatendum tamen est quod poenae de quibus in praedicto capite "Felicis" agitur praesertim propter immutatos mores saltem maxima ex parte in desuetudinem abierunt.

---

(1) Cf. Thesaur. de poen. par. 2. verb. iniuria

(2) Infelicis 19. dec. 1569.

aetas iuris canonici: 1) infantia — scil. qui non possunt loqui ad duos annos; 2) impuberes — ad 14 pro masculis, ad 12 pro feminis; 3) puberes — [illegible]

ad 25 sunt minores, post 25 sunt maiores.

12. Ab excommunicationis poena R. Pontifici simpliciter reservata quae contra clericorum percussores latae est etiam Episcopus vel eius delegatus aut Vicarius Generalis ex Sanctae Sedis commissione ut plurimum absolvere valent, imo Episcopus in casibus occultis absolvere potest nisi ea excommunicationis poena excipiatur quae contra Cardinalium ac Episcoporum percussores statuta est quaeque Apostolicae Sedis constitutione Romano Pontifici speciali modo est reservata. Similiter Confessarius in casibus notoriis absolvere valet clericorum percussores si hi legitimo detineantur impedimento quominus ad Sedem Apostolicam eiusque legatum sistere valeant, dummodo tamen poenitens promittat se quantocius Sedem Apostolicam cessante impedimento aditurum. Quae pariter conditio requiritur si sacerdos in mortis periculo clericorum percussores absolvat.

13. Clericus multipliciter canonis privilegium amittere potest. Siquidem 1) per degradationem qua clericus Curiae saeculari traditur 2) si clericus in minoribus constitutus deposito habitu et tonsura statum clericalem derelinquat (1), 3) si clericus non obstante trina Episcopi monitione artem ludricam exerceat 4) si matrimonium ineat non servata triplici condi-

(1) Ita Pius IX. 20. sept. 1860.

tione quae a Bonifacio VIII statuta est quod nempe a) deferat clericalem habitum ac tonsuram b) ad secundas nuptias non convolaverit c) imo virginem ducat (1) 5) Si clericus in maioribus matrimonium contraxerit vel delictis ac actibus ignominiosis se immisceat.(2).

14. Ex collectanea S. Congregationis Propagandae Fidei quod pertinet ad canonis privilegium haec notanda sunt 1) Anno 1624 ad petitionem Archiepiscopi Chiovensis S. Congregatio declaravit sacerdotes et clericos ruthenos unitos eisdem privilegiis canonis videlicet fori immunitatis gaudere quibus sacerdotes et clerici latini gaudent et potiuntur, iussitque scribi Poloniae Nuntio eos in praedictorum privilegiorum usum restitui vel in eo manuteneri, nisi aliquid quod obstat rescribere ad Congregationem habeat (3). Ex qua responsione licitum est deducere principium quod etiam ad clericos omnes orientales privilegia canonis et fori competunt.

15. Sacra autem Congregatio Immunitatis anno 1860. declaravit quod si clericus nondum maiores suscepit Ordines sive sit coniugatus sive non, cum, quoad ea quae S. Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 6. De reformat disposuit diligenter non

---

(1) Cap. unic. in VI. III.

(2) D'Annibale Sum. I. 100.

(3) Collect. n. 216.

observaverit, privilegium fori amittit habendus est uti destitutus atque ipso iure et ipso facto destituitur omnibus clericorum privilegiis ita ut haberi tractarique debeat tamquam persona vere laica etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales quin ulla nunc et deinceps triplex admonitio, sive peculiaris declaratio incidentiae in hanc poenam sit necessaria (1). In predicta autem sessione cap. 6. Concilium Tridentinum declaraverat quod clerici coniugati non gaudent clericalibus privilegiis nisi Bonifacii VIII conditiones non servaverint, non coniugati vero in minoribus constituti nequeant beneficium obtinere ante annum aetatis 14, ac nisi habeant beneficium, aut clericalem habitum ac tonsuram deferentes alicui Ecclesiae ex Episcopi mandato inserviant, vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur.

Fori

16. Clerici fori privilegii etiam gaudent. Quaestio inter doctores agitatur an fori privilegium ex iure divino sit vel humano. Sunt qui primum affirmant ac cap. 4. De censibus in VI. et 3.° de iureiur adducunt in quibus expresse dicitur personas ecclesiasticas etiam divino iure a potestate laica immunes esse. Insuper in can. duo

---

(1) Collect. S. C. Pr. Fid. n 232.

Privilegium fori est quod clericus sive in criminalibus sive in spiritualibus non pt. agi coram laico judice. Causae sunt { Ecclesiastica { Civilis, Criminalis; Civilis }

sunt genera caus 12. q. 1. in decreto dicitur duplicem esse potestatum genus ecclesiasticam et civilem, quarum prior tanto secundae praestat quanto spiritualia temporalibus, atqui potestas ecclesiastica quae utpote superior inferiori non subiicitur ex iure divino est, ergo etiam fori privilegium. - Alii dicunt fori privilegium ex iure humano esse imo ex laicae potestatis concessione originem habere; quod probare conantur ex cap. ult. de rebus Ecclesiae non alienandis in quo dicitur libertatem Ecclesiae munitam fuisse privilegiis principum saecularium. Quare in Cod. Iustinianeo de Episcopis per modum legis fori privilegium clericis conceditur. Nos dicimus fori privilegium ab Ecclesia inductum fuisse, a civili potestate recognitum ac in iure divino fundamentum habere. Quod sane in Concilio Tridentino (1) traditur hoc privilegium constitutum fuisse divina ordinatione et ecclesiasticis sanctionibus. Qua de re etiamsi praeceptum ex iure ecclesiastico sit, tamen intentio ex divino iure repetenda est. Huius privilegi vestigium in ipsis sacris literis invenitur veluti in epist. 1ª. Pauli ad Timotheum cap. 5. v. 19. ubi dicitur "adversus praesbiterum accusationem noli accipere nisi sub duobus vel tribus testibus". Ceterum legibus ecclesiasticis hoc privilegium diversimode

---

(1) Cap. 20. sess. 25. de reform.

Causa Eccª civilis est qua agitur de juris controversiis, de damno restituendo.

Causa Eccª criminalis est qua agitur de delictis criminalis

immutatum est, adeo ut dici possit quod in sua iuridica forma ab Ecclesiae legibus pendet.

Omnes gaudent privilegio fori qui privilegio canonis gaudent.

17. Itaque fori privilegium ad clericos pertinet qui huius privilegi gratia ad saeculare tribunal trahi non possunt. Ex Ecclesiae dispositione fori privilegio gaudent 1) clerici maiores 2) clerici minores (1) etiamsi sola tonsura sint insigniti dummodo a) habitum clericalem ac tonsuram deferant b) alicui Ecclesiae inserviant ex Episcopi saltem praesumpto mandato, vel Episcopi consensu in aliqua studiorum universitate versentur. Quod si de clericis in minoribus ac coniugatis agatur tertia additur conditio c) dummodo nupserit uni et virgini (2).

18. Nomine autem clericorum in casu non modo clerici saeculares veniunt sed et regulares ac novitii nec non moniales, ac conversae, imo et heremitae qui habitum ab Episcopo susceperint et ab eius iurisdictione dependeant.

19. Si contractus initus fuerit vel delictum patratum vel in genere factum positum fuerit a clerico antequam clericali militiae esset adscriptus clericus privilegio gaudere non potest quoties 1) res amplius integra non sit quia ea de re iam vidit iudex laicus, attamen sententiae executio ad Episcopum pertinet 2) vel clericus in legis fraudem ad laicale iudicium

(1) Ex Conc. Trid. cap. 6. sess. 23. de reform.

(2) Cap. un. de cler. coniug. in VI.°

vitandum clericalem habitum susceperit, sed etiam hoc in casu sententiae executio in clerici personam ad Episcopum pertinet (1). Ad rem notanda est responsio S. Congregationis Inquisitionis lata die 23 Ianuari anno 1886 qua declaratur excommunicationem in Const. Apostolicae Sedis latam ac speciali modo R. Pontifici reservatam contra trahentes ad saeculare tribunal clericos non tangere nisi legislatores qui suis legibus Ecclesiae privilegio detrahunt. Actores autem etiamsi peccent tamen excommunicationem non incurrunt (2). 3) Similiter clericus hoc privilegio haud gaudet quoties a laico legitimae conveniatur (3). Ex dictis sequitur etiam laicum fori privilegio gaudere qui in causis civilibus simul cum clerico conveniatur (*) dummodo causa sit individua (4).

20. Postremo notamus quod cum hodiernae civiles societates clericorum privilegia non recognoscant ut quis apud iudicem laicum contra clericum agere valeat oportet ut prius a proprio clericorum Ordinario veniam petat, quam licentiam Ordinarii numquam denegabunt praesertim cum ipsi controversiam conci-

---

(1) Reinffestuel de foro comp. 267. Bened. XIV. de Synod. dioec. lib. 12. cap. 2.

(2) Collect. S. C. Pr. Fid. n. 240.

(3) Reinffestuel, de mutuis petitionibus § 2.

(4) Schmalzgrueber Tit. de foro comp. n. 141.

3. e.g. si clericus petat laicum coram laico iudice ad solvendum debitum, si clericus debet aliquid eidem laico, laicus potest petare clericum eodem tempore ad suam defensionem.

(*) reconventio est citatio defendendi se, contra eum accusantem. in causa reconventionis clericus non habet ius fori. Quia reconventio est maxima inter defensiones et cuiquis ex iure naturali fas se defendere.

-ziare non valuerit. Episcopus autem apud laicum iudicem absque Apostolicae Sedis licentia conveniri non licet. Qui contra agere ausi fuerint ab ipsis Ordinariis poenis ac censuris ferendae sententiae puniri possunt(1).

21. Ad rem S. Congregatio Prop. Fidei die 17. Maii 1886 proposito dubio quinam modus tenendus it cum sacerdotibus qui recurrunt ad civilia tribunalia EE. PP. responderunt "declarat S. Congregatio numquam fore admissuram recursum vel appellationem sacerdotum qui ad iudices laicos trahere ausi fuerint vel clericum sine venia Ordinarii vel Episcopum sine venia Apostolicae Sedis sive in causa ecclesiastica sive non nisi prius recursum ad civile tribunal deseruerint. Episcopi vero iuxta declarationem capitis "Cogentes" a Suprema Inquisitione die 23. Ianuarii 1886 editam possunt in praedictum clericum animadvertere poenis ac censuris ferendae sententiae maxime suspensione a divinis, servatis tamen servandis et pro gravitate causae, si id expedire in domino iudicaverint. Quod si venia conveniendi clericum in foro laicorum ab Ordinariis petatur ipsi numquam eam denegabunt tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint" (2). In Congregat. autem Fid. Prop. die

---

(1) S. C. S. O. die 23. Ianuarii 1886.

(2) Collect. S. C. Prop. Fid. n. 249.

6. sept. 1886. proposito dubio: "quomodo agendum cum clericis qui cedunt laicis iura sua erga alios clericos vel Episcopos ut ipsi laici loco eorum recurrant ad tribunal laicum: Em. Patres responderunt: quod volens ecclesiasticus sua iura cedere laico in quaestione aliqua contra clericum exposcere debet prius veniam ab Episcopo et si de lite agatur contra Episcopum ab Apostolica Sede. Quod nisi faciat vel obtineat subiectus censetur praescriptionibus emanatis contra trahentes clericos vel Episcopos ad forum laicum: censetur enim agere in fraudem legis." (1).

22. Anno 1796 die 6. Iunii Sacra Congregatio Fidei Propagandae ad dubium: Se debba approvarsi il seguente decreto fatto dal Visitatore per la diocesi di Alessio: Il secolare non debba citare il sacerdote al tribunale turcó: nè il sacerdote debba esporre le sue querele al detto tribunale senza previa licenza del suo Ordinario. - S. Congregatio respondit: affirmative ad primam partem, ad secundam venia non concedatur nisi gravibus de causis et in criminalibus facta protestatione ad formam sacrorum canonum (2).

Quia hi tribunales Turchoa putantur inimicales ad Cath. et praesertim ad sacerdotes

23. Aliud privilegium quo Clerici gaudent privilegium est exemptionis a publicis muneribus

Exemptionis

(1) Collect. S. C. Prop. Fid. n. 242.

(2) Collect. S. C. Prop. Fid. n. 220 - Cfr. Conc. Baltimorense n. 84.

civilibus quae cum clericorum dignitate bene non componuntur. Hoc privilegium non modo lege ecclesiastica (1), sed etiam antiquitus civili lege recognitum est (2). In Syllabo damnata est propositio 31ª qua dicitur: absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari immunitas qua clerici ab onere subeundae, exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

24. Tandem Clerici gaudent competentiae privilegio. Quoties clericus aere alieno gravatus fuerit, nonnullis exstantibus conditionibus, nec in carcerem detrudi potest nec usque ad ultimum quadrantem solvere cogitur, sed alimenta sibi retinere valet. - Hoc privilegium romanorum iure competebat a) proximioribus consanguineis idest fratribus, parentibus, liberis (3), b) sociis (4), c) marito quoad dotis restitutionem (5) d) uxori si a marito ex dotis promis=

---

(1) Can. 79. caus. 12. q. 2.

(2) Cod. Theod. Tit. de Episc. et Cler. (XVI-2) Const. 1. 2. Cod. Inst. de episc. (I-3) - c. 69 c XII. q. 2. (Conc. Tolet. III. a. 589. - Cf. Walter-manuale.

(3) L. 17. 30. ff. de Re iud. L. 16. 18. ff. solut. matr.

(4) L. 31. de excusat. int. - L. 52. ff. Pro socio.

(5) L. 17. 20. ff. de Re iud.

sione conveniatur (1) c) patronis[1] eorumque liberis ac parentibus a libertis conventis (2) f) militibus sive militiae armatae (3) sive togatae (4). Gregorius autem IX. hoc privilegium clericis etiam extendit (5). Imo iam romanis legibus hoc privilegium clericis recognitum fuerat unde statutum fuerat ne in plus quam facere possunt convenirentur (6).

24. Ne autem hoc privilegio delinquentes patrocinarentur, aut iura quaesita laederentur, canonica lege statutum est quod clericus competentiae privilegio non gaudet quoties a) debitum non ex contractu sed ex delicto originem habuerit (7). b) aut creditores actione[2] reali non personali contra clericum agant (8), vel c) clericus propria debita non confiteatur (9) vel d) clericus non promittat se creditoribus soluturum quoties

---

(1) L. 17. § ff. solut. matr.

(2) L. 17. 19 - 49. ff. de re iud.

(3) L. 18. ff. de re iud.

(4) L. 4. Cod. de advocatis divers. iudic.

(5) Cap. 3. "Odonrdus" tit. 23. lib. 3. - Sess. 21. de Reform. Conc. Trid. cap. 2.

(6) L. miles. ff. de re iud. Panormit. et alii ad c. 3. de solut.

(7) Fagnanus ad cap. 3. de solut. Barbosa ius eccl. univ. lib. 1. cap. 39.

(8) Barbosa l. cit.

(9) Cap. 3. de solut. X.

2) Actio est modus etc. 1) personalis: secundum quod defenditur ius in personam; 2) realis = ius in rem

(a) Personalis est quando quis habet sibi obligatam personam

Heredes succedunt in obligationibus defuncti i. e. debent solvere eius debita.

(b) [illegible] ius [illegible] realia est ius Dominii.

1) manumissio est datio libertatis.

1) Patronus est qui manumisit servum. [illegible] est debitum inter patronum et servum [illegible] patronus gaudet [illegible] competentiae

in meliorem fortunam deveniat. Caeterum de clerici inopia constare debet vel e) clericus spe hoc privilegio fruendi debita contraxit f) vel bona in creditorum fraudem alienavit pendente lite super delicto principali. Monendum hic est quod clericus coniugatus etiamsi conditiones Bonifacii VIII servet, tamen hoc privilegio non gaudet (1) (Nota).

25. Tandem clerici etiam immunitatis a vectigalibus privilegio gaudebant quod tamen privilegium diversis temporibus immutationes passus est (2).

---

(1) Barbosa l.c.

(2) C. 8. 10. 14. 15. 26. 36. C. Th. de episc. (XVI. 2) Const. 1. 2. 3. 6. Cod. Iustin. de episcop. (1-3) - c. 4. 7. decret. de immunit. (III. 49) c. 4. de censibus in VI. Clem. 3. eod.

Nota. - Hac in re bene notat clarissimus Walter hoc privilegium iure romanorum inductum ad clericos extensum fuisse in praxi et ex aequitate, et nullum in legibus expressis fundamentum habere cum caput 3 "Odoardus" de solutionibus quod ab auctoribus citari solet nihil in re probet. Nam illud tantum in iure declaratum extat iniuste excommunicatum fuisse clericum debitorem cum solvere non posset. At forte is iam bonis cesserat, quare ulterius premendus non erat quam ut repromitteret se tunc soluturum cum ad pinguiorem

Caput 2.m

De clericorum officiis ac obligationibus.

Summarium. 26. Ecclesia sanctitatem externam ac internam clericorum exigit. - 27. Clericus servitio alicuius ecclesiae addicatur - 28. Clericis prohibita est cohabitatio cum mulieribus de incontinentia suspectis - poenae contra clericos concubinarios - 29. de accessu ad monasteria - 30 contra clericos qui sese inebriandi vitio laborant. - 31. Clerici induant habitum clericalem et deferant tonsuram - 32. S. C. Pr. Fidei resolutiones - 33. De negotiatione clericis prohibita. - 34. De negotiatione quaestuosa - 35. S. C. Pr. Fidei resolutiones - 36. de poenis contra clericos negotiatores - 37. - contra missionarios - 38. Clericis officia politica vetantur. - 39. nonnulla officia civilia etiam prohibentur veluti officium advocati ac procuratoris - 40. Prohibetur clericis tabellionis officium - 41. Munus tutoris clericis interdicitur - 42 - item alienorum bonorum administratio - 43. quo sensu legum romanarum studium sit prohibitum. - 44. Clericis ars medica et chirurgica prohibetur, nec non arma deferre - quid de venatione - 45. artes viles clericis interdicuntur.

---

fortunam pervenisset. l. qui bonis ff. de cess. bon. Cf. Walter manuale di diritto ecclesiastico p. t. Gudelini de iure novissimo lib. 6 cap. 7.

26. Ecclesia non modo externam sed etiam et quidem quam maxime internam sanctitatem a suis clericis exigit. Ut internam sanctitatem consequantur Ecclesia optat ut clerici sacramenta Poenitentiae ac Eucharistiae suscipiant. Quare in Tridentino Concilio (1) decernitur "Sciant maxime decere si saltem diebus dominicis et solemnibus cum altari ministraverint sacram communionem perceperint." Verum praesertim, ut patet, de externa clericorum vita praecepta data sunt.

27. Sane statutum est ut nemo in clerum admittatur nisi alicuius ecclesiae vel pio loco servitio addicatur (2). Presbyteri autem qui nullum possident beneficium ad alicuius Ecclesiae servitium cogi nequeunt sine aliquo stipendio (3). Contra inobedientes Episcopus etiam poenis veluti sacrorum exercitium eis interdicendo, vel ad altiores ordines promotionem interdicendo uti potest (4). Missionarii qui missionis titulo ordinantur iuramentum emittere tenentur se missioni cui destinantur operam perpetuo daturos. Qui missionarii pro determinatae

---

(1) Sess. 23. cap. 13. de Reform. Cf. sess. 24. de ref.

(2) Trid. sess. 23. cap. 16. de Reformat. Bened. XIII Const. in Suprema 23. sept. 1724.

(3) S. Congr. Conc. in Senien decret 13. sept. et 22. nov. 1749 - et 12 iun. 1677. apud Ben. XIV. Inst. 31.

(4) Ben. XIV. de Syn. lib. XI. cap. 2. et libr. XIII cap. 6.

dioecesis servitio iuramentum emiserunt, ad aliam dioecesim absque peculiari indulto Sedis Apostolicae non emisso iuramento migrare nequeunt.

28. Clerici caste et caute vivere tenentur adeo ut ea etiam vitare teneantur quae incontinentiae suspicionem ingerere possent. Quamobrem cum mulieribus habitare prohibentur de quibus incontinentiae suspicio sit (1) etiamsi consanguineae sint (2) Clericus qui contra sacrorum canonum dispositionem cum muliere de incontinentia suspecta cohabitat concubinarius in iure vocatur. Caeterum vere clericus concubinarius est qui pravum et habituale commercium cum una aut pluribus mulieribus, vel mulieres suspectas domi aut alibi retinet. In Concilio Baltimorense praecipitur non licere clericis cum mulieribus cohabitare licet sint propinqua cognatione coniunctae nisi fuerint vita et moribus spectatissimae quaeque nullo modo sive directo sive indirecto se sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiae administrandis immisceant. Oeconomam ancillam, aliamve famulam nullam habeant nisi quae sit maturioris aetatis, famaque integerrima gaudeat..... Nullus parochus retineat in domo sua familias affinium aut consanguineorum. Quod si in eadem domo cum

(1) Can. 18. distinct. 32.

(2) Cf. cap. 9. tit. 1. et cap. 1. tit. 2. lib. 3. decret.

4.

parocho habitent eius coadiutores volumus ut parochi in praedicta domo nullo modo consanguineas vel affines iuniores retineant nisi permittente Ordinario (1). Tridentinum Concilium dum poenas contra clericos concubinarios statuit, eos quatuor in classes distinguit. Etenim alii sunt 1) qui beneficia et pensiones ecclesiasticas habent, alii 2) nec beneficia nec pensiones possident, alii 3) sunt Episcopi alii 4) sunt parochi. Quoad (a) primos Tridentinum Concilium statuit I ut imprimis personaliter moneantur (2), quod si non resipuerint ipso facto privantur tertia parte fructuum obventionum et proventuum beneficiorum ac pensionum quae ab eidem possideantur, quae bona Ecclesiae fabricae vel pio loco Ordinarii arbitrio applicantur. Verum notandum est 1) quod ab his fructibus quotidianae distributiones excipiuntur 2) et insuper criminis declaratoria sententia requiritur. II Post autem fructuum privationem clericus concubinarius in crimine perseverans iterum monendus est at si non paruerit. eo ipso fructus omnes beneficii vel pensionis in utilitatem Fabricae Ecclesiae vel alterius pii loci ordinarii arbitrio amittit. III Tandem clericus concubinarius adhuc contumax beneficiis, pensionibus, et officiis eccle-

[margin: referuntur ad canones]

[margin: duae species distributionis una inter praesentes et absentes legitima ex causa altera inter mere praesentes]

---

(1) Conc. Baltimor n. 81.

(2) Trident. cap. 14. sess. 25.

Fabrica ecclesiae est fundus cujus fructus destinatur ad reparationem eccl^ae

siasticis privatur ac ad beneficia, dignitates, honores consequendos in Ecclesia inhabilis declaratur. Postremo excommunicationis poena plectuntur. Quod[b] secundos si post monitionem non resipiscant iuxta delicti qualitatem puniuntur. Episcopi[c] vero in Concilio Provinciali a Metropolitano eoque impedito ab antiquiore suffraganeo monentur. Post autem monitionem Episcopus contumax ipso facto suspensus est, ac ad Sedem Apostolicam deferri debet. Contra[d] tandem parochum vel proceditur sicuti contra eum qui possidet beneficium ut supra diximus (1) vel sicuti praescribitur in cap. 6. sess. 21. Trident. Concilii in quo decernitur ut primo[I] parochus personaliter moneatur et deinde[II] debita plectatur coercitione, et tandem[III] parochiali beneficio privetur omni remota exceptione ac appellatione.(*) Praedictae autem monitiones personaliter faciendae sunt etiamsi de concubinariis notoriis agatur (2).

29. Similiter propter incontinentiae periculum clericis ad Monasteria frequens accessus sine rationabili causa vetitus est (3) alioquin ab Episcopis etiam censuris adhibitis eccle-

---

(1) Cap. 14. sess. 25.

(2) Cf. Garcias de Benef. Part. 2. cap. 10. n. 186. Barbosa cap. 4. Tit. 2. Lib. 3. n. 6.

(3) Cap. 8. Tit. 1. Lib. 3.

(*) appellatio est provocatio inferioris ad superiorem propter gravamen illatum aut inferendum

Generaliter appellatio habet effectum duplicem {devolutivum (aliquando solum est hic effectus) / suspensivum (executio sententiae Episcopi suspenditur)

sticis puniri possunt (1). Verum regularibus absolute ad Monialium monasterium accessus prohibetur alioquin quacumque exemptione non obstante ab Episcopo tamquam Apostolicae Sedis delegato poena etiam excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae puniri possunt quin ab his poenis a suis superioribus Regularibus absolvi possint. Ab hac prohibitione tamen excipiuntur 1) fratres ac consanguinei 2) confessarii ordinarii vel extraordinarii sive saeculares sive regulares 3) procuratores Monasteriorum aliique in Monasteriis officium habentes.

Voce activa prohibetur ut saltem in capitulariis vox deliberativa & voce passiva non f. eligi ad officia

30. Clerici quam maxime sese inebriandi periculum vitare debent, adeo ut contra clericos qui in ebrietatis vitio insordescunt Episcopus poena suspensionis ab officio et beneficio procedere potest (2), imo absque necessitatis causa tabernas seu caupones bibendi aut edendi causa ingredi prohibentur (3).

31. Clerici laicales vestes induere prohibentur quae tales sive quoad formam, sive quoad colorem habentur (4) ac tonsuram deferre tenentur. Imo saltem eo tempore quo in

---

(1) Bened. XIV. in epist. decretali "Gravissimo" 26 Junii 1749.

(2) Cap. 14. Tit. 1. lib. III.

(3) Cap. 15. tit. 1. lib. III. Conc. Baltim. n. 80.

(4) Bened. XIII. Constit. Cath. Eccl. 1725.

ecclesia divina celebrant officia vestem talarem nigrique coloris praecipitur (1). Caeterum quae sint laicales vestes ac de clericali habitu leges ferre Episcoporum est (2). Quare inspecta etiam historia legislationis canonicae circa vestes a clericis induendas hoc erui potest nempe 1) Ecclesiam semper optavisse ut clerici etiam in exteriori habitu singularem modestiam praeseferrent 2) ut in determinatione habitus, ut plurimum dioeceseos usus et Antistitum decreta attendenda sunt. = Clerici minores non deferentes habitum et tonsuram iuxta hodiernam disciplinam a statu clericali decidunt ac tamquam laici sunt considerandi S. C. Immunitatis 20 Sept. 1860 decretum edidit iussu Pii IX, quo statutum est clericos in minoribus constitutos sive coniugatos sive caelibes semel ac conditiones non servaverint a Conc. Tridentino statutas (3). pro privilegio fori ipso facto absque ulla praevia monitione omnia alia privilegia clericorum amittere et considerandas esse et tractandas ceu personas mere laicales. Etiamsi haec dispositio lata videatur pro ditione temporali Pontificia, attamen cum eadem subsit causa vim legis universalis haberi dicenda est.

---

(1) Bened. XIV. de Synod. lib. XI. cap. 8.

(2) Conc. Trid. sess. XIV. cap. 6. de Reformat.

(3) Conc. Trid. cap. 6. sess. 23. de Ref.

Clerici autem maiores qui habitum et tonsuram non deferant ab Episcopo etiam publico edicto monenter hinc ab ordine, officio, et beneficio suspenduntur, et tandem iisdem officiis ac beneficiis privari possunt (1). Sixtus V. in constitutione "Cum Sacrosanctum" statuerat ut clerici non incedentes in habitu talari incurrant ipso facto privationem beneficiorum, praestationum atque pensionum. In alia constitutione a lata lege clericos exclusit possidentes pensionem non excedentem summam 60 scutatorum de camera, nec non familiares qui ratione officii habitum clericalem gestare non tenentur. Verum Sixtina constitutio ut supra dictum est in desuetudinem abiit. Benedictus XIII (2) decrevit Episcopos contra clericos non deferentes habitum et tonsuram procedere debere post monitiones domi relictos vel ad valvas Ecclesiae defixas si alibi moraventur, interim non facere fructus suos et deinde beneficiis privandos esse iuris ordine servato; beneficia quae ita vacant Sedi Apostolicae reservantur.

32. In instructione S.C. de Propaganda Fide 18. Oct. 1883. ad Vicarios Apostolicos Synanum confirmat quae statuta sunt in cap. X. n. 10. Syno-

---

(1) Conc. Trid. cap. 6. sess. 14. de reformatione ubi constitutione Conc. Viennensis renovatur quae refertur in cap. 2. tit. 1. lib. 3. Clem.

(2) Const. Apost. Eccl. regim.

di Sutchuensis (1) caetera relinquens prudenti Episcoporum arbitrio id tantum animadvertens - curandum omnino esse ut circa vestes a clero adhibendas caute procedatur ne difficultates inter sacerdotes in opportunis innovationibus excitentur (2). Anno 1752. ad Praef. Mission Thibet rescriptum est licitum esse clericis induere vestes laicales si aliter transire vel permanere non poterint in Missione "quando pertanto gli accennati missionarii non possono ivi vestire gli abiti proprii della Religione che hanno professato la santità di N. S. permette ad essi che vestano gli abiti propri del paese che dormano anche con essi, e quando vogliono celebrare la S. Messa se gli è di grave incomodo il rivestire l'abito della Religione mettano gli abiti sacri sopra gli usuali." (2). Anno 1783. cum expositum fuerit S. Cong. Prop. F. a Superiore Mission. Coram audet quod gentiles ibi maxime abborrent a vestibus nigri coloris, imo plurimos christianam fidem amplexuros esse si togae albi coloris missionariis permitterentur, S. C. permisit ut missionarii vestes cuiuslibet coloris ibi adhibere possent, dummodo nullum adsit periculum superstitionis, neque sint signum protestatio-

(1) Vide Collect. S. C. Prop. F. pag. 91. in nota.

(2) Collect. S. C. Pr. F. n. 238.

(3) Collect. S. C. Pr. F. n. 279.

nis falsae religionis, nec vestes a modestia et gravitate sui muneris non abhorreant. Hortatur tamen S.C. ut nihil innovetur nisi de consilio et communi consensu missionariorum ut concordia et uniformitas nullum capiant detrimentum (1)

Anno 1844 ad Vicarium Apostol. Leatong rescriptum est a S.C. Prop. Fidei non licere Missionariis induere vestes a Sacerdotibus Lama adhibitas neque ut facilius inter Tartaros fides catholica propagaretur cum ut patet illae vestes nigrum essent falsae religionis (2).

Anno 1869. S.C. Prop. Fidei ad Vicarios Apostolicos Indiarum hortatur clericos ut saltem in publico vestes talares seu albi seu nigri coloris iuxta regionum consuetudines deferant. Quod si necessitate cogente et causa itineris eas exuere cogantur, vestes tamen adhibeant sacerdotalem modestiam praeseferentes (3). Ex quibus decisionibus eruitur 1) Sedem Apostolicam aliquando iusta interveniente causa concedere ut clerici vestes etiam laicales induant 2) Sedis Apostolicae voluntatem esse tamen ut quo fieri possit uniformitas servetur 3) numquam vero permittere ut clerici vestes induant quae vel superstitio=

---

(1) Collect. Prop. F. n. 318.

(2) Collect. Prop. F. n. 322.

(3) Collect. Prop. F. n. 326.

sae habeantur vel sint signum falsae religionis protestationem.

In Concilio III Baltimorense postquam Patres monuerunt quod clericorum habitus conciliare debet dignitati status reverentiam praecipiunt ut clerici sive domi sive in templo veste talari utantur. Cum foras producunt muneris vel animi recreandi causa vel in itinere breviori quadam veste indui licet quae tamen nigri sit coloris et ad genua producatur ita ut a laicis distingui possint. Stricto praecepto ulterius iniungitur ut domi et foris collare quod romanum vocatur gerant. Quibus regulis tenentur et regulares quoties seposito habitu sui ordinis foras prodeunt (1) Clericis vetitum est comam immodice excelere alioquin etiam censuris puniri possunt. Nec eis est licitum deferre comas adscititias in missae celebratione absque Sedis Apostolicae indultu (2).

33. Clerici sive maiores sive minores (3) negotiationem exercere prohibiti sunt. = Negotiatio alia est oeconomica, alia lucrativa. - Oeconomica negotiatio consistit in emendis

(1) Conc. Baltim. n. 77.

(2) S. R. Congr. 21. Januar 1626. Ben. XIV. Inst. 34. et 96. et de Syn. Lib. XI. cap. IX.

(3) Fagnanus in cap. Multa ne clerici vel monachi n. 83. Schmalz. h. t. n. 25.

quae necessaria sunt, aut vendendis quae superflua sunt, eaque gerendis quae ad suarum rerum curam et locationem pertinent. Negotiatio lucrativa e contra alia est artificialis, alia quaestuosa. Artificialis in alicuius artis exercitio consistit; quaestuosa vero exercetur commercio rerum aliunde coemptarum vel conductione alienarum operarum ad lucrum captandum vel ipsius pecuniae negotiatione. Negotiatio oeconomica clericis prohibita non est (1). Quare clericis licitum est vinum suum etiam minutim per alios vendere in aliqua taberna, vel res ad proprios usus coemptas carius etiam divendere licet superflua non sint ut lucrum ex iis quaeratur (2). Attamen non licet clericis interesse omnibus passim nundinis quamvis ad res proprias vendendas; hoc in casu saltem vitium est in modo quo oeconomica negotiatio exercetur (3).

Negotiatio artificialis similiter clericis licita est dummodo nihil in se habeat quae a clericali officio aut dignitate abhorreat. Quare illicitum est clericis aliena praedia absque necessitate habitualiter conducere, per conductos famulos facere vinum, pannas,

(1) Clem. XIII. Encycl. Cum primum 1759. 17. sept.

(2) Gonzal. in cap. 6. cf. Clerici.

(3) Clem. XIII. Const. cit.

panem ect. (1).

34. Negotiatio tandem quaestuosa omnino illicita est nisi causae excusantes adsint; in dubio autem ab Apostolica Sede responsum petendum est (2). Quare prohibitum est clericis publica vectigalia redimere seu conducere praedia absque necessitate ac lucri causa conducere (3), animalia aliunde coempta locare aut in societate habere (4). Notandum est autem iuxta responsionem S. Univers. Inquis. 17. Nov. 1875. non esse inquietandos qui nomina seu actiones viarum ferraerarum similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium de sua pecunia acquirerent, dummodo parati sint stare mandatis apostolicis et certo sciant eas societates nullum habere propositum finem illicitum vel quomodolibet suspectum et dummodo nullam in eis societatibus administrationis partem suscipiant neque actionum eorumdem societatum negotiationem exerceant. Pius VI. in Congregat. S. Officii 1782. declaravit necessitate exigente tolerari poterit ut sacerdotes titulo missionis ordinati aliquam exerceant negotiationem ad propriam sustentationem, modo contractus

---

(1) Clem. I. de vita et honest. cler.

(2) Cap. 6. Tit. 1. lib. III.

(3) Ugolin in cit. capite.

(4) Gonzalez cap. 6. Ne clerici.

natura sua sit licitus et ab iis solummodo impendatur quantum honestum patrimonium constituat. Quod si vero futuris necessitatibus duntaxat sit consulendum Ordinarius ea facultate utatur quam Clemens XIII Episcopis extra Italiam concessit et dispensationem sacerdotibus indulgeat ut sua industria possint subsidia quaerere ad vitandam egestatem iuxta tamen illas conditiones et regulas quas S. Pontifex in ea epistola praescribit (1).

35. Quoad missionarios in Collectanea S. Cong. Prop. Fidei has resolutiones invenimus. 1) Anno 1665 quaesitum fuit: se i missionarii possano portare una parte dei viatici in corallo che è più comodo del danaro senza che ciò sia contro le proibizioni di fare mercanzie. Portandoli tutti in oro ci perderebbero per essere stimato poco, e l'argento riesce d'incomodo, non così il corallo che possono venderlo con guadagno. Responsum fuit: Posse per modum permutationis et in hac specie tantum (2). = 2) Anno 1665 quaesitum est an missionarii qui absque sacro patrimonio ordinantur ad sui sustentationem mercaturam exercere, pecunias suas mercatoribus dare, et cum ipsis societatem inire si aliunde non habeant quomodo sese sustentare; responsum est: To=

---

(1) Collect. S. C. Prop. Fid. n. 342.

(2) Collect. decret. n. 335. - Cf. n. 341.

leratur ad sustentationem suam dumtaxat modo contractus natura sua sit licitus et tantum solummodo impendant quantum honestum patrimonium constituat. 3) Anno 1834. quaesitum est: Che cosa debba rispondersi al Vic. Ap. del Sutchuen sul dubbio relativo al lucro proveniente dalla vendita delle mercanzie che colà si trasportano in luogo del danaro spettante alla Missione. Responsum est: posse missionarios subsidiorum sibi debitorum securitati et missionis ipsius bono consolere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas easdemque ad se delatos vendere et suum facere praetium ex venditione eorum retrahendum (1). Anno 1837 quaesitum est: se debba accordarsi la facoltà chiesta dal Vicario Apostolico del Tonchino Occidentale di potere convertire in merci il danaro che da Macao si manda a quella missione affinchè più difficilmente sia esposto alle rapine dei corsari, alla perfidia dei portatori ed alle angarie del governo; responsum est: dummodo absit omnino lucri studium vel propositum, et necessitas ita agendi perduret, et dummodo lucrum in missionis utilitatem cedat, et pro hoc tantum casu tribuatur petita facultas ita tamen ut non evadat in exemplum quasi negotiari liceat missionariis ob mis=

(1) Collect. S. C. Prop. Fid. n. 343.

sionis utilitatem (1).

Anno 1851 a S. Cong. S. Officii declaratum fuit: posse missionarios ut subsidiarium sibi debitorum securitati et missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas easdemque ad se delatas vendere et suum facere pretium ex venditione earumdem retrahendum (2).

36. Ad poenas quod attinet contra clericos negotiatores in iure canonico statutum est 1) clericos quod res in quibus negotiationem exercent privilegium exemptionis a vectigalibus amittere (3) 2) Bona quae clericus negotiatione in debita sibi comparuit spolio subiiciuntur ac de illis testari nequit (4) 3) Arbitrio Ordinarii etiam clerici negotiatores puniri possunt (5) etiam censuris (6).

37. Ad Missionarios quod attinet sciendum est quod ex constitutionibus Urbani VIII. (7) anno 1633, Clementi IX 1669 censurae latae senten-

(1) Collect. n. 344. 345. Cf. n. 346.

(2) Collect. n. 347.

(3) Thesaurus de poenis verbo Negotiationis

(4) Bened. XIV Constit. Ap. servitutis 1741.

(5) Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de reform.

(6) Clem. XIII. Const. Cum Primum.

(7) Ex debito - Collect. n. 333.

tiae latae sunt contra Ecclesiasticos ac missionarios mercaturam in Indiis Orientalibus ac America exercentes. Dubitatum est an post constitutionem "Apostolicae Sedis" Pii IX illae censurae adhuc perseveraverent, sed S. Cong. Inquisitionis declaravit anno 1872 praedictas censuras ad hunc perdurare, quod et R. Pontifex probavit. Haec tamen excommunicatio nulli est reservata, sed nemo absolvi potest praeter in periculo mortis nisi lucris prius restitutis (2).

Tandem causae excusantes a negotiatione exercenda sunt 1) venia superioris auctoritatis nempe R. Pontificis pro Italia et insulis adiacentibus, Ordinarii quoad alias regiones 2) vitium non sit in modo quo negotiatio exercetur. Ceterum clerici neque per aliam personam negotiationem exercere possunt quae illis per se exercere prohibetur (3).

38. Clericis nonnulla officia sive politica sive civilia sunt etiam prohibita. = Debent igitur clerici sese abstinere ab illis politicis officiis quae ad reipublicae regimen spectant. Qua de re anno 1840. S. Congregatio Prop. Fidei ad

---

(1) Sollicitudo Coll. n. 338.

(2) Clem. IX. in cit. constit. "sollicitudo" § 3.- Coll. n. 338.- Coll. 352. Cf. Conc. Baltimor. n. 82.

(3) Bened. XIV. Constit. Apost. servitut. anno 1741. Clemens XIII. Encycl. Cum primum 1759. - Urbanus VIII. Const. ex debito 1633.

Vicarium Apostolicum Scopien scribebat: essere massima fondamentale fissata e pubblicata dalla medesima S.C. del 15. Gennaro 1622 che l'intenzione della Propaganda non è di alzare tribunali, e di esercitare iurisdizione temporale in alcun luogo nè di tenere maniere violente o insolite, ma è di attendere per vie soavi e piene di carità che sono proprie dello Spirito Santo alla conversione degli infedeli predicando ora insegnando e disputando e ora amonendo, esortando e pregando...... che però sì per la esposta massima, sì pel sacro carattere del sacerdote, sì per le leggi ecclesiastiche, sì per la poca idoneità di quei parochi a giudicare rettamente è stata d'avviso la S.C. di vietare di mescolarsi nelle questioni civili, tranne i casi di amichevoli compromessi ai quali ambe le parti si obbligano a deferire solamente al giudizio arbitramentale del parroco o di altro sacerdote da V.S. designato (1). Et in istructione eiusdem S. Congregationis anni 1845 de clero indigeno S. Congregatio sub n. 7. rursus inculcat quod iam Alexander VII in Constitutione "Sacrosancti Apostolatus Officii" monuerat Indorum parocos ut nempe onerent nullo se modo ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecula=

---

(1) Collect. n. 198.

rem (1). Quae monita eadem S. Congregatio iam dederat in sua epistola anni 1659 ad Vicarios Apostolicos ex Societ. Missionum ad exteros (2).

Concilium pariter Baltimorense III monet ut a discutiendis publice rebus politicis aut mere saecularibus tum extra ecclesiam tum multo magis in ipsa sacerdotes sedulo abstineant (3).

Sacerdotes qui latam legem non servabunt olim excommunicatione praevia trina monitione vel una pro tribus olim statuta ipso iure incurrenda puniebantur (4). Hodie vero poena arbitrio R. Pontificis quoad Episcopos, arbitrio Episcopi quoad clericos remittitur (5).

In citata vero instructione S. Congregationis Prop. Fidei anni 1659. iubetur nulla interposita mora ex missionibus dimitti atque expelli missionarios debere qui huiusmodi rebus se ingesserint. Caeterum permittitur ut clerici dignitatem Senatoris vel Consiliarii Principis accipiant, cum hae cum dignitate clericali non repugnat, et ex altera parte Ecclesiae bono conferre possint. Tamen a ferendo consilio in iudicio sanguinis clerici sese abstineant. Imo in praedicta instructione edicitur: quod si

---

(1) Collect. n. 228.

(2) Collect. n. 300.

(3) Conc. Baltimor. n. 83.

(4) Cap. 5. Ne Clerici vel Monachi

(5) Cf. Suarez de censuris disput. 23. sect. 3. n. 22.

Princeps quandoque eorum consilia exquisierint nonnisi multoties rogati et prohibitionem habitam causati ea dent quae fidelia sint et iuxta aeternitatemque sapientia mox vero Curiam Aulamque relinquant. (1).

39. Ulterius officii civilia quae nempe ad forum laicale et ad saecularem administrationem pertinent clericis prohibita sunt. Attamen clericis in minoribus constitutis nulloque beneficio auctis officium procuratoris seu advocati aliquando in foro laicali permittitur dummodo non habeant sive ex beneficio sive aliunde commode vivant, ac exceptis sanguinis causae (2). Clericis vero in maioribus constituti vel beneficiarii nonnisi pro seipsis, vel pro sua Ecclesia vel pro personis coniunctis aut miserabilibus officium advocati vel procuratoris exercere valent. Regularibus vero advocati ac procuratoris officium lex canonica non prohibet pro suo tantum Monasterio, dummodo sui superioris mandatum accedat, ac ordinis constitutionibus non obstantibus (3). Qui indebite officium procuratoris ac advocati officium exerceat Ordinarii arbitrio puniri potest, ac adversae partis petitione quae acta

(1) Collect. S. C. Prop. Fid. n. 300.

(2) Fagnanus in cap. 1. de postulando - Giraldi part. 2. in append. ad sect. 73.

(3) Cap. 2. de postulando

sunt irritari possunt (1). Quod si sacerdos causam contra Ecclesiam in qua habet beneficium defendat, beneficio ipso privari potest, nisi tamen consanguineum defenderit (2) De caetero quocumque in casu prohibitum non est quominus Clerici domi suae, voce vel scriptis vel pro rei veritate vel pro aliqua ex partibus litigantibus allegationes conscribat (3)

40. Clericis ulterius officium Tabellionis in genere prohibitum est. Verum duplex est tabellionum classis 1) illorum qui publica auctoritate contractus scribunt quique dicuntur Notarii; 2) illorum qui acta iudicialia scripto consignant et appellantur Cancellarii. - Haec officia clericis permittuntur quatenus clericus sive ex beneficio sive ex patrimonio non habeat unde sustentetur et id sive in sacris sive in minoribus constitutus sit (4). Excipiantur tamen causae natura sua spirituales, et praesertim si causa sit haeresis in quibus Cancellarii officium a clericis exerceri posse certum est (5) Qui has leges trasgrediatur

---

(1) Antonelli de iuribus et oneribus Cler. L. 1. p. 2. cap. 25. n. 12. - Squillant. de obligat. Cler. part. 2. n. 35.

(2) Fagnanus cap. 3. de post.

(3) Fagn. l. cit.

(4) Fagn. cap. 8. Ne clerici n. 32.

(5) Cap. ut officium de haereticis in 6°.

Ordinarii arbitrio puniri potest.

41. Clericis etiam munus tutoris interdicitur. Tutela est: vis ac potestas in capite libero ad tuendum qui propter aetatem sese defendere non potest. Tutela alia est testamentaria quae a testatore alicui defertur in filios proprios; alia est legitima quae deficiente testamentaria ex legis dispositione proximioribus agnatis defertur; alia tandem dativa quae testamentaria ac legitima deficiente datur a magistratu. Cum tutela affinitatem habet curatela quae regulariter minoribus praesertim ad eorum bona administranda datur. Hisce praehabitis in genere tutoris ac curatoris munus clericis interdictum iam fuit a Concilio Africano, et ab ipso Iustiniano imperatore (1). Attamen iusta interveniente causa tutela testamentaria, ac dativa nec non curatela a clericis percipi possunt interveniente tamen Sedis Apostolicae indulto (2). Ad tutelam legitimam quod attinet evidens est licere clericis illam accipere quin ullam poenam incurrant veluti v. gr. legati amissionem quod a testatore cum onere tutelae relictum fuerit. Caeterum Episcopus iuxta de causa iubere potest ut cleri-

testamentum est voluntatis ... [illegible]

(1) L. 15. Cod. Tit. de Episcopis et Cler.

(2) Antonelli op. cit. lib. 1. p. 2.

Curator datur minoribus, curas de bonis
tutor impuberibus. de bonis
et personis.

eius legitimam tutelam suscipiat (1).

42. Quod si clericus antequam clericatum suscipiat, curationes ac administrationes saeculares gesserit, illis pendentibus in clerum saecularem suscipi non potest, etiamsi si agatur de tutela legitima ac miserabilium personarum quoties iudicio ob dolum iam conventus fuerit. In clerum autem regularem admitti nequit ille qui rationibus reddendis sit obnoxius, imo nec ille qui aere alieno supra vires gravatus est idque sub poena privationis officiorum, graduum ac vocis activae ac passivae nec non inhabilitatis ad eadem officia ab ipsis superioribus incurrenda qui illum admiserint (2).

Caeterum Praelati clericis sive saecularibus sive regularibus licitum est officium executoris testamentarii suscipere nisi legibus ordinis hoc prohibeatur. Attamen Praelato rationes peractae executionis reddendae erunt (3). - Contra clericos qui indebite aut tutelas suscipiant aut bonorum administrationes Episcopi arbitrio procedere possunt, contra eos qui tamen tutelam dativam aut testamentariam indebita susceperint ad ordines

---

(1) Passerini de statu hom. tom. 2. quaest. 187. a. 2.

(2) Clemens VIII. Const. in Suprema 2 Apr. 1602.

(3) Reinfestuel l. 1. de testamentis - Fagnanus in Cap. Tua nobis de testam.

promoveri prohibentur quousque tutoris ac curatoris officium deposuerint, eaque quae ab ipsi gesto sunt uti irrita habentur (1).

43. Clericis olim etiam legum romanarum studium prohibitum fuit. Sane cum saeculo XI. praesertim inter regulares iuris romani studium instaurari coeperit, occasio fuit ut illi divinarum rerum studia negligerentur, imo extra claustra degentes causas civiles ac criminales defenderent. Quare ad hos abusus tollendos in Concilio Lateranensi 2°. anno 1139 praeceptum est ut monachi ac canonici regulares Theologiae studio vacarent neglectis studiis legum saecularium ac causarum patrociniis. Quae dispositio ita interpretata est ut tamen monachis liceret operam dare studiis legum romanorum ad illustrandas ac firmandas canonicas dispositiones. Hoc primum facto confirmavit Gratianus qui in suo decreto etiam fragmenta legum romanarum posuit. Lucius autem III. (2) aperte ait = sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum piorum principum constitutionibus adiuvantur. = Hac dispositiones quae pro clericis regularibus latae sunt in Concilio Lateranensi III. anno 1179 sub Alexandro III. ita extensae sunt clericis saecularibus

(1) Thesaurus de poen. verbo tutela cap. 1.
(2) Cap. 1. Tit. 32. lib. 5.

cum his prohibitum est ne causarum defensiones in foro laicali susciperent nisi de causa propria, vel Ecclesiae, vel miserabilium personarum ageretur. Ilarius autem III. expresse ad clericos saeculares canones concilii Lateranensis II. extendit (1), verum haec prohibitio ita intelligenda est: ut clericis saecularibus ita interdicatur studium legum romanarum quatenus non ducat ad assequendam iuris canonici notitiam ac ad Ecclesiae utilitatem non inserviat. Sane hodie in Pontificiis Universitatibus utrumque ius romanum ac canonicum docetur, et de caetero legum romanarum cognitio necessaria est iis qui perfecte ius canonicum intelligere cupiant.

44. Clericis prohibitum est artem medicam seu chirurgicam exercere (2), attamen iusta intercedente causa apostolicum indultum concedi solet. Similiter clerici qui militiae armatae dent nomen depositionis poena puniri possunt (3). Caeterum clericis prohibitum non est hostium iniuriam vi repellere moderamine servato inculpatae tutelae. (4). Armorum delatio similiter clericis prohibita est,

---

(1) Cap. 10. Tit. 32. lib. 5.

(2) Cap. 10. Tit. 1. lib. III.

(3) Cap. 9. et ult. Tit. 34. lib. 3. - cap. 25. Tit. 39. lib. 5.

(4) Cap. 2-8. Tit. XII. lib. V. can. 4. caus. 20. q. 3. cap. 2. Tit. 49. lib. III.

et portantes excommunicari etiam possunt (1). Attamen quod ad venationem pertinet triplex in re adest sententia. Sunt enim qui dicunt ipsam omnino clericis vetitam esse et hoc deducunt ex canonibus 8 et 19 dist. 80. relatis in decretalibus Gregorii IX. in Tit. 24. lib. V. et cap. 12. sess. 24. de Ref. Conc. Trid. - Alii distinguunt in venationem tacitam et clamorosam, et hanc prohibitam clericis volunt. - Verum tertia sententia probabilius tenet iure attento constituto nullam venationem clericis prohibitam esse dummodo vitium non sit in modo. Sane citati canones loquuntur de venatione quae fiebat intra certos theatri fines cum belluis in Idolorum superstitione; huiusmodi exercitia superstitiosa in illis canonibus prohibentur non vero venatio proprie dicta. Haec sententia iure merito defenditur a clarissimo Berardi in opere = Ius ecclesiasticum universum = vol. 2. p. 2.

45 Postremo notamus clericis nonnullas artes viles exercere prohibitum esse veluti artem histrionum, iaculatorum aut buffonum (2) alioquin si praedictam artem per integrum annum post inutiles Episcopi monitiones exercuerint omnia privilegia clericalia amit-

---

(1) Cap. 2. Tit. 1. lib. III.

(2) Cap. 12. Tit. 1. lib. III. cap. un. eiusd. Tit. in 6°.

tent.

Tandem nequeunt clerici in laicorum domibus licet sub quovis honestiori titulo servitia abiecta praestare et contra agentes ab Episcopo ad clericalia munera revocari debent (1).

Titulus 2us

De modis quibus clerici acquirunt vel amittant iurisdictionem ecclesiasticam.

46. Iuxta dicta in tractatu de iure publico ecclesiastico etiamsi iurisdictio ecclesiastica per mandatum accipiatur, attamen qui in Ecclesia Primatum habet iurisdictionis non per cuiusvis mandatum, sed immediate divino iure, designata tamen humano iure persona potestatem, iurisdictionis, sortiri debet.

Quapropter in praesentiarum est dicendum a) quomodo iure humano ecclesiastico S. Pontificis persona designetur, b) quomodo aliis Episcopis ac Praelatis inferioribus iurisdictio demandetur.

Caput 1um

Quomodo iure canonico Romani Pontificis persona designetur.

Summarium: 47. Usque ad saeculum 5. R. Ponti=

(1) Ep. Enc. = Cum primum = Clem. XIII. 17. Sept. 1759.

fex cleri ac Episcoporum suffragio testimonium dicente populo eligebatur. - 48. Post saeculum 5. Imperatores sibi ius confirmationis vel electionis arrogaverunt. - 49. Costantinus Pogonatus Ecclesiae libertatem restituit. - 50. Hinc Imperatores exclusi fuerunt ab electione R. Pontificis - 51. R. Pontificis electio mansit apud S. R. E. cardinales - 52. ius exclusivae Imperatoribus concessum - 53. R. Pontificis electio legibus ecclesiasticis determinatur. - 54. quinam in R. Pontificem eligi possit. - 55. de modo quo R. Pontificis electio peragitur. - 56. Electus in R. Pontificem nulla indiget confirmatione, in Episcopum si opus sit consecrandus est; coronatur.

Videbimus a) quinam ius habeant electionis b) quinam et quomodo eligi debeat in R. Pontificem.

Ad primum quod attinet duplex quaestio est secernenda, nempe quaestio facti, ac quaestio iuris. In 1ª quaerimus ad quos de facto pertineat iuris dispositione R. Pontificem eligere; in 2ª quo iure hi ad electionem procedant.

47. Post B. Petrum ab ipso Ch. Domino electo non semper fuit in Ecclesia eadem disciplina - Sufficiat argumentum historice leviter tangere.

Antiquitus usque ad 5 saeculum (467 quo Simplicius Pont. electus est) praesente ac testimonium dicente populo tum cleri suffragio, tum Episcoporum iudicio R. Pontifices electi sunt. Va=

R. Pontifex habet iurisdictionem immediate a jure divino: non ex ejus electoribus.

cante autem Romana Sede Romanus clerus in gravioribus totius Ecclesiae negotiis consulebatur

48. Post saeculum 5. et Imperatores maxima contra Ecclesiam iniuria sibi ius vel confirmationis vel etiam electionis arrogarunt. Ita v. gr. Odoacer rex Herulorum qui Augustolo devicto ac Romano Imperio occidentali collapso Italia potitus fuerat, Romano Pontifice Simplicio demortuo, iussit ut novus non eligeretur Pontifex citra eius consensum (1).

Ita Theodoricus Gothorum rex Odoacris victor et successor sibi electionis R. Pontificis ius arrogavit.

Imo ipse Iustinianus Gothis ab Italia pulsis, cum Roma potiretur ius confirmandi electionem R. Pontificis sibi arrogavit. Verum R. Pontifices ac clerus Senatusque Romanus Imperatoribus fortiter obstiterunt. Hinc Symmachus Simplicii Pontificis successor in Conciliis Romae habitis (an. 499) Odoacris legem aboluit et damnavit. Contra Theodoricum ad maiora mala vitanda statutum est inter partes quod Rex iure confirmationis contentus esset.

Post autem Iustinianum necessitatis causa ad maiora mala avertenda concessum est absque Simoniae labe et ad iniustam vexationem redimendam ut Pontifex noviter electus sum=

(1) Baronius ad an. 483 - Cf. Vecchiotti Inst.

mam pecuniae certam Imperatoribus solveret. Quod perduravit usquedum Gallis devictis Roma graecis Imperatoribus subiecta est.

49. Tunc enim Constantinus Pogonatus an. 668 ad tronum Costantinopolitanum erectus pristinam Ecclesiae libertatem restituit, quod nempe Romanus Pontifex a clero et populo et exercitu civitatis Romae electus sine ulla foedissimi tributi solutione et sine ullo Imperatoris aut Exarchae consensu statim ordinaretur.

Ceterum hac Imperatoris decretum eamdem in imperio fortunam Imperatorum fraude non obtinuisse historicis documentis constat.

50. Probabiliter Zaccharias Pontifex 1.us fuit qui sine ulla Imperatoris confirmatione Ecclesiae administrationem suscepit, (alii dicunt quod primus fuit Ioannes V. qui primus electus est post decretum Pogonaticum) et a quo tempus est computandum quo Imperatores omnino ab electione R. Pontificis exclusi sunt.

Exclusis proinde Imperatoribus R. Pontifex ab universo clero, praesente Senatu et populo eligebatur; tamen Senatus et populus nonnisi de eligendi vita testimonium reddebant, ius vero electionis ad clerum pertinebat, imo et Episcopi si qui aderant cum praerogativa suffragii admittebantur.

51 Verum ex tali eligendi ratione schismata ac gravia mala Ecclesiae contigisse historia

docet.

Quare iam Nicolaus 2.us in Romano conventu Lateranensi anno 1059. Cardinalibus Episcopis eligendi R. Pontificem potestatem fecit, ita tamen ut et reliqui cleri, et populi consensus accederet.

Alexander III. ad schismata vitanda in Concilio Lateranensi (1) decretum edidit quo statuebatur quod ille esset electus qui a duabus partibus Cardinalium fuisset electus.

Quo decreto iuxta nonnullos et clerus et populus ab electione Pontificis exclusus est, iuxta alios vero consuetudo incoepit qua tandem aliquando R. Pontificis electio ad R. Ecclesiae Cardinales reservata est. Quae hodierna est Ecclesiae disciplina.

52. Non est praetereundum quod Sede Apostolica vacante Austriae ac Galliarum Imperatores, nec non Lusitaniae ac Hispaniarum Reges, aliquot ab hinc saeculis ius exclusive exercuerunt; nempe manifestandi sibi minimum acceptum fore si talis Cardinalis S. Pontifex eligeretur.

Quod tolleratum est ad dissidia et scandala vitanda inter eos et Apostolicam Sedem.

Celerum notat Card. Pallavicini in vita Alexandri VII. non una vice iusta de causa factum esse ut ille eligeretur quem Imperatores vel

---

(1) Cap. 6. de elect.

Reges repudiaverant.

53. Ad iuris autem quaestionem quod attinet iam patet quod cum nihil iure divino hac in re statutum sit, determinare quinam ad electionem ius habeat, nonnisi iuris Ecclesiastici res esse potest. Et quia iuris ecclesiastici in Ecclesia prima fons est ipse R. Pontifex, hinc iure merito R. Pontifices successoris electionem vel oportunis legibus moderati sunt, vel in rationales consuetudines consentiendo. Quare nulla est in orbe universo potestas sive ecclesiastica, sive civilis quae aliquod ius vel electionis, vel confirmationis vel exclusivae sibi absque iniuria vindicare possit praeterquamquod si et eo modo quo iure canonico ei concessum sit.

54. Sed quinam et quomodo in R. Pont. eligi debet?

Quoad primum quilibet eligi potest nisi ius naturale vel divinum illum inhabilem faciat sine ulla exceptione ordinis, vel aetatis, aut nationis.

Neque genuini videntur Gratiani canones 3, et 4. dist. 79. quibus dicitur ius electionis passivae solis presbyteris ac diaconis Cardinalibus reservatum fuisse a) quia in can. 1. apud Gratianum ex decreto Nicolai II. in Conc. Lateranensi dist. 23. saltem haec disciplina temperata cum dicatur. eligendum esse in Ecclesia Romana Pontificem si idoneus repeviatur

alioquin et in alia Ecclesia 3) quia de facto constat R. Pontifices electos fuisse et qui Cardinales non erant prouti Eugenius III., Gregorius X, Caelestinus V.

Imo omnes canonistae conveniunt quod et laicus per se eligi possit quod exemplo Ioannis XIX aut XX qui suffectus est adhuc laicus Benedicto VIII. R. Pontifice et eius fratre germano praemortuo.

Item nulla certa aetas statuta est, ita Ioannes XII. electus est qui nondum plenam pubertatem explevit, et Benedictus IX. vix viginti annorum.

Caeterum ait Benedictus XIV. cum in coetu S. R. E. Cardinalium non desint qui S. Pontificis dignitatem, et officium recte administrare possint congruum idcirco est ut ex iis Pontifex assumatur. Et revera talis est vigens Ecclesiae disciplina legitima introducta consuetudine.

55. Quoad secundum autem iam Gregorius X. in Concilio Lateranensi II. anno 1274 (de elect. in 6. cap. ubi periculum) leges statuit quibus Cardinales R. Pontificem eligere debent; alia statuerunt Iulius II, Paulus IV et praesertim Gregorius XV. in const. = Decet Romanum Pontificem, et in altera = Aeterni = et in libello cui titulus = Caeremoniale electionis S. Pontificis. =

Praeterea hac in re adest etiam constitut.

Clementis XII = Apostolatus = nec non Urbani VIII = ad Romanum = (Cfr. Riganti Comment. ad cap. 16. Cancell. t. 9. §. 5). Constitutio Pii IX = in eligendis = 8. Oct. 1562.

56. Electus autem Pontifex nullius indiget confirmatione uti patet; si autem omnes ordines sacros non habeat, uti ex. gr. si Episcopus non sit, consecratur; et vis consacrationis est ut ordinis potestatem obtineat.

Tandem ad quamdam exteriorem solemnitatem coronatur. Ceterum ut patet omnino Rom. Pontificibus liberum est uti accipere ita etiam Summum Pontificatum dimittere; exemplo sit Caelestinus V.

Caput 2.^m

Quomodo aliis Episcopis ac Praelatis inferioribus iurisdictio ecclesiastica demandetur.

Summarium. - 57. Iurisdictio ecclesiastica acquiritur electione vel postulatione accedente confirmatione et etiam consacratione. - 58. Quaestio iuris quoad electiones. - 59. Quaestio facti quoad Episcopos eligendos. - 60. Opinio quoad Concilium Nicaenum - 61. Electio Episcoporum saeculo 5°. - 62. Post saeculum 12. - 63. RR. PP. sibi Episcoporum electiones coeperint reservare. - 64. Notanda - 65. Quomodo Episcopi commendantur in Hibernia. - 66. In Anglia ac Hollandia - 67. In Statibus Foederatis Americae

Septentrionalis ac in regionibus Canadensis - 68. In Australia - 69. In Scotia - 70. Commendatio nullum ius confert. - 71. Quoad loca quae Vicariis Apostolicis reguntur. - 72. Quaestiones quibus est respondendum in facienda commendatione. - 73. Quoad Episcopos orientales electio. - 74. Quid est electio - 75. Quid est capitulum - ad quos pertinet electio. - 76. Quinam prohibentur. - 77. Qualitates eligendorum - 78. Quando electio est ipso iure nulla. - 79 Forma accidentalis ac substantialis electionis - 80. Vocantur absentes - 81. Quo in loco fit electio - 82. Tractatus praevii - 83. Electio per scrutinium. - 84. Ius accessus - 85. Electio per compromissum. - 86. An quis possit seipsum eligere - 87. Per quasi-inspirationem - 88. Electio libera esse debet a metu. - 89. Poenae - 90. Quid postulatio - 91. Quinam postulare possunt. - 92. Quinam postulatur - 93. Qui postulari non possunt. - 94. Poenae. - 95. Apud quem fit postulatio. - 96. De forma postulationis - 97. Quinam censetur postulatus. - 98. Quid tribuit postulatio. - 99. Intra quod tempus fit accipienda - 100. Confirmatio intra quod tempus locum habet - 101. Irritatio electionis - 102. Consecratio. - 103. Quibus diebus peragitur. - 104. Decisiones S.S. CC. - 105. Intra quod tempus locum habet. - 106. Consecrationis effectus. 107. Modi extraordinarii acquirendi iurisdictionem.

57. Iurisdictio ecclesiastica demandatur electione vel postulatione accedente confirmatione et etiam consacratione si de iis agatur quae ordinis potestatem praeexigunt.

Qui eligitur non postulatur et viceversa.

8

Presbyter electus et confirmatus [illegible] agere omnia potestates iurisdictionis exceptis sacramentis ordinis et confirmationis quae sunt propriam ordinis episcopi per consecrationem.

Articulus 1.us

De electione.

58. In electione Episcoporum aliorumque praelatorum etiam quaestio iuris a quaestione facti secernenda est. Quoad primum ius eligendi Praelatos etiam Episcopos iure proprio et originario nonnisi ad R. Pontificem pertinere potest. - Etenim quodlibet ius in Ecclesia vel vindicatur iure divino vel iure ecclesiastico. Iamvero solus R. Pontifex electionis ius iure divino sibi vindicat, et si ipsi Episcopi iure divino a R. Pontifici subdunt in iurisdictione exercenda, multo magis a R. Pontifice pendere debent in ea sibi primitus vindicando. Quod si iure saltem ratione originis delegato omnes electores procedunt nil mirum si varia fuit Ecclesiae disciplina, et si R. Pontifices aliquando sibi electionis ius reservaverunt.

59. At si facti quaestionem consideremus oportet ut inter Episcoporum aliorumque praelatorum electionem distinguamus. Etenim quoad Episcopos non una fuit Episcoporum eligendorum ratio in Ecclesia si historiam Ecclesiasticam consulamus.

Etenim usque ad saeculum quintum ad Episcopos eligendos et clerus et populus (1) vocatus

---

(1) Can. 26 et 28. caus. 16. quaest. 1.

est, ita tamen ut clericis verum suffragium pertineret, ad populum vero testimonium reddere si quoad impedimentum vel legibus, vel moribus eligendi obstaret.

Divisis autem principiis et Dioecesibus clero ius electionis reservatum est de cuius Episcopo eligendo negotium erat.

60. Neque videtur dicendum cum clariss. Aichner quod post Nicaenum concilium primum vi cuiusdam canonis eiusdem concilii qui refertur (1) populus reiectus fuisset ab electione Episcoporum. Si quidem ait Berardi, 1°) historia constat quod et post Nicaenum Concilium populus admissus fuit, 2°) et insuper canon Nicaenus non de electione sed de consacratione Episcoporum agit cum praesertim contra Meletium latus sit qui pro arbitrio et schismatice Episcopos consecrabat.

61. Saeculo 5. revera populus ab Episcopis eligendis reiectus est, at vice populi honoratiores ac populi proceres admissi sunt et praesertim Reges iuxta quod iam canonibus Laodicenis (2) statutum fuerat. De quo ipse Iustinianus testificat in Novell. 123. cap. 1. - Quod tamen in abusum recedit praesertim ubi Reges Episcopis civilis potestatis investituram concedebant: Investiturae enim occasione Reges sese

(1) Can. 1. dist. 64.

(2) Can. 6. dist. 63.

Possessio habetur in re tangibili,
Quasi-possessio .. .. .. non-tangibili.

Duo requiruntur ad Possessionem:
I = materialis relatio inter personam et rem possessam: Quod habetur in quasi-possessione scil. juris, per exercitium.
II puta disponibilitas rei vel juris.

immiscere coeperunt in eadem Episcoporum electione (1).

62. Quare in Oriente post Concilium Nicaenum II. (vi canonis 22), in Occidente post saeculum 12. laici omnino ab electione Episcoporum exclusi; non autem opera Innocentii II. in Concilio Lateranensi uti nonnulli suspicantur, sed potius contraria consuetudine.

Imo cum hisce temporibus clerici in duas classes distincti fuerint nempe in canonicos qui titulo Beneficii ordinabantur, ac simplices praesbyteris qui ordinationem tituli patrimonii sacri recipiebant, in primis Canonici omnes, et postea Canonici solum Ecclesiae chatedralis sibi ius electionis reservarunt (2). quod legibus latis firmatum est.

pagina 92 72

En ratio cur in decretalibus Gregorii IX. ac in Sexto Bonifaciano saepe de Episcoporum electione agitur quae ad canonicos pertinet.

63. Verum ut satius ad Episcoporum electionem procederetur, neve litibus et contentionibus electiones retardarentur aut frustrarentur, Romani Pontifices iure merito sibi Episcoporum electiones reservare creperunt.

Et in primis Clemens V. sibi Episcoporum electionem reservavit si Episcopatus in Ro=

---

(1) Cf. Zallinger l. 1. t. 5. §. 224. et sqq.

(2) Cap. 3. de caus. possess. et prop.

, hodie selectio candidatorum diversa est diversis in locis: sed fere semper duplex ... scrutinia

mana Curia vacaret (1). Quod confirmarunt et Benedictus XI. (2) et Ioannes 22. (3).

Insuper ipse Clemens V. sibi reservavit electionem Episcoporum quando Ecclesia chatedralis clero et populo christiano careret (Clement. 5. de elect.).

Benedictus XI. sibi reservavit consensum quod 4. ecclesias patriarchales. (4).

Tandem lata est regula 2. Cancellariae Apostolicae qua omnes Episcopales Ecclesiae Sedi Apostolicae reservantur.

64. Verum notandum est 1°) quod ius electionis sibi reservaverunt Romani Pontifices solum quoad Episcopos; quod alios inferiores praelatos firmae sunt leges canonicae latae a saeculo 12 quibus ius electionis ad Capitulum pertinet.

2) Regula 2ª Cancellariae Apostolicae non ubique demandata est, cum nonnullis in locis ad capitulum Ecclesiae Cathedralis ius electionis maneat.

3) Quod aliis in locis Principibus saecularibus ius nominationis conceditur iuxta concordata accedente tamen R. Pontificis adprobatione.

---

(1) Extravg. 3. de praeb. inter communes.

(2) Extrav. 1. eodem.

(3) Extrav. 4. inter communes.

(4) Extrav. 3. de elect. inter communes.

4°) Aliis in regionibus praesertim S.C. de P. Fide subiectis locum habet ius commendationis diverso modo tamen in locis ubi Hierarchia Ecclesiastica constituta est, ac ubi erecta non est, diverso modo quoad Ecclesias occidentales ac quoad orientales.

Sane generaliter loquendo in locis quae S. Congregationi Fid. Prop. subiiciuntur et in quibus hierarchia ecclesiastica est constituta Archiepiscopus ac Provinciae Episcopi Sacrae Congregationi tria nomina proponunt quos inter Summus Pontifex si dignum inveniat, unum eligit. In nonnullis tamen locis non modo Episcopi cum Archiepiscopo sed et Clerus etiam huius negotii fit particeps. Sane in collectanea S. Congregationis Fidei Propagandae decreta lata sunt servanda in electione Episcoporum Hiberniae, Angliae, Hollandiae, Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, Regionum Canadensium, Australiae, et Scotiae. Utile putamus ut huiusmodi decreta hic referamus.

page 92

65. In primis quoad Hiberniam anno 1829. sub die 17. Octobris S.C. Prop. Fidei hoc edidit decretum = Cum ad gravissimum electionis Hiberniae Episcoporum negotium rite sancteque absolvendum certam aliquam methodum ubique in eo Regno servandam statuere in primis opportunum esse S.C. intellexerit, qua fieret, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere pos-

sit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur ut ad aliquem Hiberniae Episcopatum eligantur, eadem S.C. postquam diu multumque de ea re definienda cogitavit, in generali tandem conventu die 1. Iunii anno 1829, referente Emõ et Rmõ D.D. Mauro S.R.E. Cardinali Cappellani S.C. Praefecto, censuit ac decrevit methodum in toto Regno Hiberniae super ea re servandam in posterum, esse debere eam, quae hic describitur.

Sede aliqua Episcopali, sive per Antistitis obitum, translationem, aliamve ob causam in posterum vacante, Vicarius iuxta formam a sacris Canonibus praescriptam, constituatur, qui Dioecesi viduatae, durante vacatione, praesit. Metropolitanus Provinciae, ubi vacatio contigerit, simul atque de vacatione, et Vicarii electione certior factus fuerit, litteris mandatoriis Vicario edicat, ut in diem vigesimum a dato edicto in unum convocet omnes, ad quos pertinebit Summo Pontifici commendare tres dignos ecclesiastici ordinis viros, quorum unus a Summo Pontifice Dioecesi vacanti praeficiatur. Qui sint ii qui convocari debent, quae forma in convocando, et regendo conventu servanda sit, habetur ex sequenti expositione.

Qui in Hibernia nuncupantur Parochi, scilicet clerici ad Ordinem sacerdotalem evecti, censurarum immunes, quique parochiae seu parochiarum unitarum actuali, ac pacifica pos-

sessione gaudeant, ad comitia convocandi sunt ubi vero adest Capitulum convocabuntur cum parochis etiam canonici: Vicarius, edicto Metropolitani accepto, intra octo dies, singulos presbyteros supra designatos, litteris scriptis, admonebit, ut loco quodam opportuno, in eadem monitione nominatim exprimendo, adsint die in edicto Metropolitani statuto, ad tractandum de negotio ibidem descripto. Metropolitanus ipse, vel unus de suffraganeis eius Episcopis ab ipso delegatus Comitiis praesidebit, et nulla prorsus, et invalida habenda sunt ibidem acta, et statuta, non servata forma supra definita, sive in convocando, sive in moderando conventu. Parochis ceterisque de quibus supra, die et loco statutis mane in unum congregatis, Missa solemnis de Spiritu Sancto celebretur: Missaque finita, Praeses super sedile in medio Ecclesiae ascendet, omnibusque, quorum nihil interest, exire iussis, foribusque Ecclesiae clausis, Vicarius catalogum nominum parochorum et canonicorum, si adsit ibi Capitulum, Dioecesis vacantis Praesidi tradet, qui eorumdem nomina clara ac distincta voce a Secretario suo recitari mandabit, et unicuique eorum, postquam nomini responderit, sedem propriam assignabit. Si unus, aut plures parochi absint, Praeses à Vicario probationem exquiret absentibus sine fraude edictum fuisse, et tali probatione admissa, absentia cuiusvis

numeri; modo quarta pars totius parochorum numeri adsit, nihil obstabit, quominus rata et valida sint quae in Comitiis gerantur.

Idem servandum erit circa canonicorum numerum in Dioecesi in qua Capitulum adest. Parochis ac canonicis qui Vicarii monitioni, sive propter adversam valetudinem, aliamve ob caussam parere non valeant, liberum erit suffragia sua propria ipsorum manu scripta, involucro sigillato inclusa, et extrinsecus ad Praesidem directa cuivis alii parocho vel canonico eiusdem Dioecesis confidere, et suffragio sic habito et probato, eadem inerit vis, ac si parochus aut canonicus ipse praesens adesset, modo litterae certificatoriae de adversa eius valetudine a duobus artis medicinae peritis subscriptae ad Praesidem transmittantur. Insuper parochus iste vel canonicus, priusquam suffragium, modo supra descripto, ferat, eandem declarationem emittet, quam ceteri parochi ac canonici inter comitia emittere coram Praeside debebunt eiusque declarationis coram duobus parochis vel canonicis emissae probatio in medium erit proferenda coram Praeside, antequam suffragium admittatur. Comitiis ita compositis, ac Praeside tractanda proponente, duo Scrutatores, iuxta consuetas Canonum formas, eligantur. Dein Suffragatores ad urnam supra mensam positam singuli accedant, et clara altaque voce, tactis simul manu pectoris, coram

Deo, pro se quisque, affirment, se neque gratia, neque favore inductos ei suffragaturos, quem dignum iudicent, qui Dioecesi vacanti praeficiatur. Postea, suffragio in urnam immisso, singuli ad propriam sedem recedent. His peractis, clara altaque voce a Scrutatoribus ad Praesidem, et a Praeside ad conventum renuntianda sunt nomina trium eorum sacerdotum, in quos maior suffragiorum numerus convenerit. Tunc Praeses narrationem authenticam in scriptis redactam, parari coram Comitiis, eiusdemque duo exemplaria a seipso, et Secretario atque scrutatoribus subsignanda exscribi curabit. Ex istis exemplaribus alterum Vicario tradendum, qui idem ad Sedem Apostolicam transmittat; alterum vero Metropolitano, cuius munus erit idem ad suffraganeos suos Episcopos in unum congregatos referre. Quaecumque iura privilegia, et munera supra recensentur tam... [illegible] Conventus propria, eadem Sede ...nte, seniori Provinciae suf... ...aneo ...unicari volumus.

Episco... ...rovinciae, Praeside Metropolitano, aut ipsius defectu seniori Provinciae suffraganeo, in unum congregatis, et narratione authentica supra memorata coram ipsis prolata, de eadem coram Deo iudicium sententiamque ferent. Praeses Episcoporum suffraganeorum sententiam de meritis trium sacerdotum, qui Sedi Apostolicae commendantur litteris consi=

gnatam uniuscuiusque Episcopi et Praesidis manu subscriptam, sigilloque munitam ad Sedem Apostolicam transmittet. Semel peracta commendatione, si Episcopi indicaverint tres illos commendatos minus dignos esse, quorum unus ad Episcopatum promoveatur, tunc, quin detur novae commendationi locus, Summus Pontifex pro sua sapientia, viduatae Ecclesiae providebit.

Si agatur de Episcopo Coadiutore cum iure successionis cuivis Episcopo assignando, eadem quae Sede vacante, commendandi forma servanda est, cauto tamen varia privilegia, iura, et munera Metropolitano, aut seniori Episcopo suffraganeo iam attributa, ad Archiepiscopum, aut Episcopum cui Coadiutor assignandus est, unice pertinere, illaeso tamen servato iure Metropolitani, quando suffraganei eius Episcopi ad ferendum suffragium convenerint. Tandem quicumque Sedis Apostolicae approbationi commendentur, cives sint indigenae Hiberniae, Serenissimo Imperii Britannici Regi fidelitate incorrupta obstricti, morum integritate, pietate, doctrina, ceterisque quae Episcopum decent, dotibus insigniti.

Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Episcoporum Hiberniae electione S.C. servanda praescripsit: ea vero decernens significari omnibus voluit, in documentis de hac re pertractantibus, ad

S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed simplicem commendationem: memorata praeterea documenta esse debere iussit in forma supplicis libelli ita concepti, ut inde pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi unum ex commendatis.

Declaravit denique S.C. salvam semper atque illaesam manere debere Sedis Apostolicae libertatem in eligendis Episcopis, ita ut commendationes lumen tantum, et cognitionem S.C., nunquam tamen obligationem sint allaturae. =

Anno autem 1835 die 25. Aprilis ad Archiepiscop. Dublin. hanc scripsit Epistolam = Initum a S. Congregatione consilium ut certam methodum in regno Hiberniae servandam decerneret circa sacerdotes commendandos Apostolicae Sedi quando agitur de episcoporum electione in eo totum versatum est ut, memorata methodo accurate servata, Apostolica Sedes exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur. Quare Sacra Congregatio in decreto quod die prima Iunii anno 1829 ea de re factum fuerat, ac die 17. Octobris eiusdem anni promulgatum est, declaravit mentem suam esse ut commendationes illae lumen tantum ac cognitionem sibi compararent circa eos inter quos Apostolica Sedes

episcopos est electura. Voluit quidem dioecesanum clerum consuli atque eiusdem opinionem circa sacerdotes commendandos per secreta suffragia requiri. Id autem ea tantum de causa factum est, ut Sanctae Sedi constaret quinam praecipue sacerdotes aestimationem obtineant cleri dioecesani, et tale testimonium consequantur ex quo intelligi possit eos apud dioecesanum clerum ad episcopatum consequendum idoneos censeri. Hoc vero unico scrutinio fieri posse manifestum est, et revera decreti superius memorati contextus hic est, ut in uno tantum scrutinio res peragatur atque ex eo scrutinio constet quinam sint tres sacerdotes in quos maior suffragiorum numerus convenerit.

Ad S. Congregationis notitiam nuper pervenit in aliquibus Hiberniae dioecesibus hoc obtinuisse ut in conventibus qui habentur a clero dioecesano ad sacerdotes S. Sedi commendandos ex quibus episcopus aliquis eligatur, non unum scrutinium sed tria fiant. Intelligens S. Congregatio hinc evenire posse, ut non tres praestantiores ex clero, sed unus revera commendetur atque ei duo alii veluti ad formam tantum adiungantur meritis omnino inferiores; cupiens praeterea eadem S. Congregatio ubique in Hibernia eamdem methodum circa eiusmodi commendationes servari, scribendam iudicavit Amplitudini Tuae hanc epistolam caeteris Ar-

chiepiscopis communicandam, ut in dioecesibus omnibus Hiberniae constet unicum scrutinium in conventibus cleri peragendum esse ad tres sacerdotes Sanctae Sedi commendandos antequam ipsa deveniat ad episcopi alicuius Hiberniae dioecesis electionem, et hunc verum decreti diei 1. Iunii 1829. sensum esse. =

66. Quoad Angliam decretum a S. Congregatione latum est anno 1852 die 21. Aprilis = Ut ecclesiae noviter per Sanctissimum D. N. in Angliae regno constitutae magis in dies floreant, iisdemque Antistites iugiter praeficiantur qui vitae probitate, doctrina, zelo ac prudentia spectatissimi existant, peropportunum visum est si ab ecclesiasticis viris qui sacris obeundis muneribus inter alios praestiterint, potissimum vero testimonio Episcoporum pro tempore existentium, nonnulli Apostolicae Sedi commendentur ex quibus eadem ad episcopalem gradum, quem magis idoneum censuerit eligere valeat.

Commendatio vero huiusmodi tanti momenti esse noscitur, ut inspectis animadversionibus ab Eño et Rño D. Nicolao S. R. E. Card. Wiseman, ac RR. PP. DD. Episcopis Angliae redditis, ac re accurate perpensa, S. C. de Prop. F. in generali conventu habito die 3. Aprilis 1852 peculiari instructione methodum proponendam censuerit.

Cum Episcopus est constituendus, capitu=

lariter dignitarius et canonici illius ecclesiae conveniant, precibus de more praemissis ac praestito iuramento de secreto servando, tribus vicibus suffragia ferantur circa personas S. Sedi veluti digniores commendandas. Si in aliqua ex tribus vicibus in favorem nullius adsint suffragia tot numero quae excedant maiorem partem vocum, actus nullius momenti existat atque iterum suffragia ferantur.

Actus capitularis rite descriptus atque obsignatus, transmittendus erit ad Archiepiscopum vel ad suffraganeum antiquiorem, vacante sede archiepiscopali, vel si de commendandis ad ipsum archiepiscopatum agatur, ut coetus episcopalis, consiliis collatis circa tria nomina alphabetico nomine descripta, quae in singulis votationibus maiorem suffragiorum partem obtinuerint ad S.C. referant, suamque opinionem tradant, transmisso etiam ipso authentico capitulari actu.

Demum cum contingere aliquando possit ut canonici legitime impediuntur ne ad capitulum, in quo huiusmodi fieri debet commendatio, accedant, censuit S.C. admittendos tunc esse eorumdem procuratores ad effectum tantum tradendi schedam cum nomine et praenomine eligendi.

Ceterum animadvertendum ac declarandum censuit S. C. his omnibus contineri tantummodo commendationem, adeo ut quando ne-

cessarium vel opportunum videatur, Apostolica Sedes suo utatur iure alterum quoque praeter commendatos eligendi.

Cum vero haec omnia SS. D.N. Pio PP. IX. a S. Congregationis Secretario relata fuerint in aud. die 6. eiusd. mensis et anni, Sanctitas Sua benigne eadem probavit, ac servari decrevit, contrariis quibuscumque haud obstantibus. =

In Congregatione vero generali 7. Iulii 1858 statuta est pro eligendis Episcopis Hollandiae seu Neerlandiae eadem methodus quae pro Episcopis Angliae.

67. Quoad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis decretum a S. Congregatione latum est anno 1861. die 21. Ianuarii his verbis: = Quum ad Catholicae Ecclesiae utilitatem atque ad animarum salutem promovendam nil magis conferre compertum sit, quam ut Dominico gregi sacrorum Antistites doctrina ac prudentia insignes praeficiantur, idcirco S. Sedes peculiare quovis tempore studium in negotio electionis Episcoporum adhibendum curavit. Quam utique in rem sapientissimae extant canonicae sanctiones, variae quidem pro varietate temporum ac regionum, at specialibus semper et temporum et locorum adiunctis accommodatae. Nil igitur mirum si pro foederatis statibus Americae Borealis, ubi novae passim efformantur

civitates novaeque proinde tractu temporis Dioeceses ac Provinciae Ecclesiasticae instituuntur, Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando opportuna haud multis ab hinc annis ediderit decreta, quibus tales eligerentur pro vacantibus sedibus Episcopi, quales inibi catholicae Religionis status eiusque in dies progressus ac dilatatio postularent. Et sane laudatum S. Consilium die 18. Martii 1834. decretum edidit super methodo servanda in Episcoporum Dioecesium foederatarum Americae Sept. Provinciarum electione quod sic se habet:

"Cum ad Religionis incrementum in foede-
„ ratis Americae regionibus statibus procu-
„ randum in primis conferat, ut Episcoporum
„ Dioecesium ibi statutarum electionis gravis-
„ simum negotium rite sancteque absolvatur;
„ S. C. de Propaganda Fide valde opportunum
„ esse ad hoc consequendum existimans, ut cer-
„ ta methodus ubique in illis Dioecesibus
„ servanda statuatur, qua fiat, ut Sedes Aposto-
„ lica exploratam notitiam habere possit meri-
„ torum sacerdotum pro quibus commendatio-
„ nes afferuntur, in generali conventu die 18. Mar-
„ tii anno 1834 habito, et referente Emo et Rmo.
„ D. I. Antonio S. R. E. Cardinali Sala, cen-
„ suit ac decrevit in ea re esse servanda quae
„ sequuntur.

„ Cum aliqua Sedes Episcopalis vacaverit
„ requirendum est Episcoporum omnium pro-

„vinciae ecclesiasticae suffragium de sacerdo-
„tibus singulis, qui Sedi Apostolicae commen-
„dandi esse videntur pro nova Episcopi ele-
„ctione. Quoniam vero id in Concilio provin-
„ciali facillime et accurate fieri potest, si in-
„tra tres menses ab obitu Episcopi - Concilium
„provinciale habendum est, expectanda erit
„Concilii celebratio antequam ad commendan-
„dos sacerdotes, qui Episcopatu digni censen-
„tur, ad S. Congregationem scribatur. In Con-
„cilio autem collatis inter se sententiis Epi-
„scopi statuant, quos sacerdotes S. Sedi com-
„mendent vere idoneos, et de Ecclesia bene-
„meritos qui Sedes vacantes obtineant, vel
„coadiutoris officium suscipiant illius Episco-
„pi qui auxilio coadiutoris indigere censeatur.

„Quod spectat vero ad casus quibus, prout
„superius statutum est, Concilii provincialis ce-
„lebratio non ita proxima sit, ne Sedes Episco-
„palis aliqua diu vacet, primum hoc magno-
„pere opportunum factu est, ut singuli Epi-
„scopi litteras subscriptas, et sigillo duplici
„munitas exemplo apud se habeant quibus
„contineantur nomina trium saltem sacerdo-
„tum quos idoneos arbitrentur ad Dioecesim
„regendam; hae autem litterae ita exterius ob-
„signari debent, ut adveniente Episcopi morte
„Vicario generali tradendae esse intelligantur.
„Vicarius vero generalis alterum earum litte-
„rarum exemplum ad Archiepiscopum, alte-

„rum ad propinquiorem, vel ad seniorem duo-
„bus Episcopis propinquioribus deferendum
„curet. Eo litterarum exemplo accepto Episco-
„pus propinquior ad Archiepiscopum scri-
„bet suasque animadversiones adiiciet. Epi-
„stola Episcopi propinquioris ad Archiepisco-
„pum delata, vel, si neglexerit is scribere, ra-
„tionabili elapso temporis spatio Archiepisco-
„pus ad omnes Episcopos ne propinquiori qui-
„dem excepto scribit, et nomina illa cum suis
„animadversionibus communicabit, aliorum
„etiam nominibus additis, si illi quos Epi-
„scopus designaverat Archiepiscopo idonei mi-
„nime videantur. Post acceptas Archiepiscopi
„litteras, omnes Episcopi ad S. C. sine mora
„scribent suas sententias et suffragia de tribus
„illis, vel sex commendatis expositur i. Vacante
„Sede Metropolitana, litterae Archiepiscopi de-
„mortui nomina trium sacerdotum designantes
„a Vicario generali ad Episcopum propinquio-
„rem, et ad suffraganeum Episcopum senio-
„rem mittendae sunt. Episcopus autem senior
„suffraganeus faciet ea omnia quae de Archie-
„piscopo superius statuta sunt, ubi agitur de
„Episcopi electione. Quod si apud Episcopum
„vel Archiepiscopum demortuum litterae me-
„moratae de trium sacerdotum designatione
„non reperiantur, Vicarius generalis Episco-
„pum propinquiorem vel seniorem ex duobus
„propinquioribus de ea re certiorem statim

„faciet, ut Episcopus propinquior tria designet „Sacerdotum nomina epistola ad Archiepiscopum mittenda. Archiepiscopus ea accepta ad „omnes Episcopos scribet, et ea omnia fient „quae iam indicata sunt circa agendi rationem tenendam ubi litterae Episcopi aut Archiepiscopi sacerdotum nomina ante mortem „designantis fuerint repertae. Si Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria nomina sacerdotum suffraganeis omnibus, propinquiori „non excepto, designabit. Si agatur de Archiepiscopi electione, senior Episcopus suffraganeus faciet omnia, quae in Episcopi electione, ab Archiepiscopo facienda esse decretum est.

„Quod pertinet ad electionem Coadiutorum, „excepto casu quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus, qui „coadiutorem petit, nomina trium sacerdotum „Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, supplicem libellum de ea re ad S. C. mittet, et Archiepiscopus et Episcopi S. Congregationi mentem suam de coadiutore eligendo „communicabunt. Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Foederatae Americae Episcoporum electione S. C. servanda praescripsit. Ea vero decernens notum omnibus esse voluit in litteris de hac „pertractantibus ad S. Sedem transmittendis

„nihil inveniri debere, quod electionem aut
„nominationem praeseferat. ita ut etiam ex
„litterarum forma pateat nullam in S. Sedem
„inferri obligationem eligendi aliquem ex com-
„mendatis: salva enim manere debet et illaesa
„Sedis Apostolicae libertas in eligendis Epi-
„scopis; commendationes vero lumen tantum
„et cognitionem S. Congregationi non autem
„obligationem afferent.

„Datum Romae ex aedibus S. Congregatio-
„nis de Propaganda Fide die 14. Iunii 1834."

Huic autem Decreto Emi ac Rmi Patres Sacrae Congregationis in conventu generali habito die 10 Augusti 1850 et aliud addendum consuerunt sequentis tenoris:

"Sacra Congregatio de Propaganda Fide
„die 14. Iunii an. 1834. Decretum edidit, quod
„incipit: Cum ad religionis incrementum, in-
„scribitur vero: De methodo servanda in Epi-
„scoporum Dioecesium foederatarum Ameri-
„cae Septentrionalis provinciarum electione.
„Cum vero deinde, Deo favente, dioecesium
„numero per illam regionem aucto, Ecclesias
„quae antea uno Metropolitae suberant, inter
„plures partiri necesse fuerit; aliquid supradi-
„cto decreto seu instructioni addendum visum est
„ut commendatio sacerdotum pro vacanti-
„bus Ecclesiis ea ratione fiat, quae cum nova
„illarum partitione, ac provinciarum statu co-
„haereat. Proinde S.C. in generali conventu

„die 10 mensis Iunii anni huius habito, re=
„ferente infrascripto eiusdem Praefecto, omni=
„bus mature perpensis, ratione quoque voti habita
„ea de re ab Episcopis exhibiti ex Concilio VII.
„Baltimorensi; decrevit ut in posterum, serva=
„tis quoad reliqua iis quae in supradicto
„decreto continentur, Archiepiscopus provin=
„ciae ad quam pertinet Ecclesia de novo Pa=
„store providenda, commendationem sacerdo=
„tum qui proponuntur ad ceteros Archiepisco=
„pos transmittat qui S. Sedi suam sententiam
„de sacerdotibus sic commendatis aperiant.
„Datum etc."

Mense tamen Augusti anni 1856. idem Sa=
crum Consilium Provinciis Ecclesiasticis Bal=
timorensi, S. Ludovici, Neo-Aurelianensi ac
Cincinnatensi indulsit ut de commendandis
candidatis pro sedibus vacantibus agatur in coe=
tibus Episcoporum comprovincialium addita tan=
tum obligatione scribendi ad Metropolitanum
vel Episcopum non comprovincialem quum
res sit de candidatis a Provincia extraneis. In
Comitiis vero generalibus die 7. Augusti 1859.
et illud decretum fuit, ut cum novus Archie=
piscopus vel Archiepiscopi coadiutor eligendus
sit, omnes circa eiusmodi electionem foedera=
torum statuum Metropolitani consulantur.

Porro etsi eiusmodi normas opportunissi=
mas esse ac religiose ab Episcopis foederato=
rum statuum in praxim deductas fuisse con=

staret, nihilominus cum hinc adiuncta Sept. Americae graviora quotidie efficerentur, seduliorem que Pastorum Ecclesiae vigilantiam exquirerent inde vero quae humana sunt mutari semper in melius valeant ac perfici ulterius, propterea Emi ac Rmi Patres S. Congregationis de Prop. Fide et alia quaedam supradictis Decretis addi opportune posse censuerunt, ex quibus sacerdotum ad Episcopatum in iis regionibus promotiones, quantum humana fragilitas patitur, omni prorsus exceptione maiores ac sui quolibet respectu optime obtineantur.

Quamobrem factum est ut Sacra haec Congregatio datis sub die 25. Maii 1854. literis ad omnes Foederatorum Statuum Archiepiscopos, ab iisdem petierit, ut quaecumque in sua sententia prodesse possent ad perficiendam hactenus vigentem in America Sept. rationem eligendi sacrorum Antistites, ea diligenter atque ingenue patefacerent.

Quandoquidem vero omnes ad unum memorati Archiepiscopi, prout singulis in Domino visum fuerat, responderint, Emi. ac Rmi Patres praelaudatae S. Congregationis in generibus comitiis habitis die 21. Ian. huius anni diligens responsionum examen instituerunt, pluraque in eis sapienter dicta atque ad intentum finem non parum utilia invenerunt. Quibus omnibus mature perpensis, censuerunt quidem haud recedendum esse a Decretis supra relatis

dierum 14. Iunii 1834. nec non 10. Aug. 1850. ac posterioribus declarationibus, quibus vigens per Americam electionum systema innititur, verum illis quae sequuntur adiicienda putarunt atque ab omnibus ad quos spectat S. Sedi proponere viros ecclesiasticos pro vacantibus Dioecesibus Foederatorum Statuum, stricte servanda mandarunt.

1. Omnes ac singuli Foederatorum Statuum Antistites tertio quoque anno tum Metropolitano provinciae suae, tum S. Congregationi de Prop. Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime praestabunt, ne forte cuiuspiam ambitio excitetur.

2. In notulis eiusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur certiores fiant.

3. Quum aliqua Sedes vacaverit sive episcopalis sive metropolitana, Antistites omnes ad quos pertinebit summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti Ecclesiae praeponatur, in Synodum aut in specialem coetum convenient, ut proponendorum qualitates discutiant ad tramitem quaestionum quae hanc in rem typis impressae praesentibus litteris apponuntur.

4. Antequam vero praedictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel seniorem pro-

vinciae Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

5. Qualitates candidatorum publice in coetu Episcoporum discutientur, praesidente Archiepiscopo vel seniore provinciale Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

6. Acta denique conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo vel Episcopo provinciae seniore deferuntur.

Notandum: In Concilio Plenario Baltimorensi III quod a S. C. de Prop. Fide recognitum est decreto 21 Septem. 1885. haec statuta sunt: 1. Quando ob sedem vacantem proponenda sunt S. Sedi nomina eorum qui commendandi videantur pro dioecesi vacante, convocentur consultores et rectores inamovibiles praedictae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum quos dignos indicaverint Episcopis provinciae indicare, ut hi prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

2. Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesideat Archiepiscopos, vel si impeditus est, Episcopus suffraganeus eiusdem provinciae ab ipso delegandus; si vero de sede metropolitana vacante agatur, congregatis praesideat suffraganeus antiquior ratione ordinationis, vel eo impedito, alius Episcopus ab ipso delegandus.

II.

3. Antequam ad suffragia ventum fuerit, consultores et rectores praedicti iurent se neque gratia neque favore induci ad suffragium ferendum. Huiusmodi autem suffragium erit secretum et consultivum tantum.

4. Praeses mittit verbale huius conventus, Secretarii subscriptione signatum, ad ceteros Episcopos et ad S. Congregationem.

5. Die constituta convenient Episcopi et nomina sic proposita, vel alia ab ipsis proponenda, iuxta Instructionem S. Congregationis die 21. Ianuarii 1861 datam discutient, et notulam trium candidatorum Sanctae Sedi exhibendam conficient. Quod si iudicaverint nomina a clero proposita esse reiicienda, rationes suas Sacrae Congregationi exponere non omittant.

6. In reliquis omnibus praedictam Instructionem sequantur.

Quum vero agitur de designando Episcopo coadiutore cum iure successionis omnino serventur quae in regulis 1, 3, 4, 5, et 6. supra citatis enumerantur. Regula autem 2. sic immutabitur: Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesidebit Archiepiscopus sive Episcopus pro quo coadiutor eligendus est; aut, si impeditus sit, Vicarius Generalis, vel alius sacerdos ab ipso delegandus. Episcopus autem hoc in casu poterit, si velit, suggerere aut designare nomina eorum, qui ipsi pro hoc mu-

nere maxime accepti forent.

In electione Episcopi pro dioecesi noviter erecta observentur quae in regulis 2, 3, 4, 5, 6: supra praescribuntur. Regula autem 1. erit sequens: quando S. Sedi proponenda sunt nomina eorum qui commendandi videntur pro dioecesi noviter erecta, convocentur consultores dioecesis vel dioecesium, e quibus nova dioecesis formata est, et rectores inamovibiles novae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum, quos dignos iudicaverint, Episcopis provinciae exhibere, ut ii prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

Haec eadem norma praelectione Episcoporum extensa fuit ad dioeceses Canadenses in Congregatione Generali Fidei Propagandae 2. Dec. 1862.

68. Quoad vero Episcopos Australia de eorum electione decretum latum fuit anno 1866. die 19. Maii hisce verbis: Quum ad Catholicae Ecclesiae utilitatem atque ad animarum salutem promovendam nil magis conferre compertum sit, quam ut Dominico gregi sacrorum Antistites doctrina ac prudentia insignes praeficiantur, idcirco S. Sedes peculiare quovis tempore studium in negotio electionis Episcoporum adhibendum curavit. Quam utique in rem sapientissimae extant canonicae sanctiones, variae quidem pro varietate temporum ac regionum, ut

specialibus semper et temporum et locorum adiunctis accommodatae. Nil igitur mirum si pro regionibus, ubi novae passim efformantur civitates, novaeque proinde dioeceses institutae sunt, atque in posterum instituendae praevidentur, Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, certam methodum ac peculiaribus locorum conditionibus cohaerentem servari statuerit, qua Sedes Apostolica exploratam notitiam sacerdotum ad episcopale officium ac dignitatem promovendorum assequi valeat. In hunc porro finem a Sacro Consilio Chr. Nom. Prop. sub die 24 Ianuarii anni 1861 ad universos foederatorum Americae statuum Episcopos datae sunt literae, quibus optima methodus pro commendatione candidatorum ad episcopale munus eligendorum decernitur atque sancitur. Quandoquidem vero magna Australiae regio in iisdem fere versatur adiunctis, quibus Status Borealis Americae inveniuntur, idcirco Emi ac Rmi Patres laudati Sacri Consilii in comitiis generalibus habitis die 20 Martii 1866 easdem normas ad Australiam extenderunt; quae quidem ad sequentia capita reducuntur.

1. Omnes ac singuli Australiae sacrorum Antistites tertio quoque anno tum Metropolitano provinciae suae, tum S. Cong. de Prop. Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obe-

undum existimaverint. Id vero secretissime praestabunt, ne forte cuiuspiam ambitio excitetur.

2. In notulis einsmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur, certiores fiant.

3. Quum aliqua Sedes vacaverit sive Episcopalis sive Metropolitana, Antistites omnes ad quos pertinebit summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti Ecclesiae praeponatur, in Synodum, si intra tres menses locum habeat, ut in specialem coetum convenient, ut trium saltem proponendorum qualitates discutiant ad tramitem quaestionum quae hanc in rem typis impressae praesentibus literis apponuntur.

4. Antequam vero praedictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel seniorem provinciae Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

5. Qualitates candidatorum publice in coetu Episcoporum discutientur, praesidente Archiepiscopo vel seniore provinciae Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

6. Acta conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo, vel Episcopo provinciae seniore deferentur.

7. Quod pertinet ad electionem coadiutorum, excepto casu, quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus, qui

coadiutorem petit, supplicem libellum de ea re ad S.C. mittet, eiusque habita venia, nomina trium sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, qui eidem S. Congregationi mentem suam de coadiutore eligendo communicabunt.

8. Cum in Australia provincias ecclesiasticas multiplicari contigerit, de commendandis candidatis pro sedibus vacantibus agetur in coetibus Episcoporum comprovincialium, addita tantum obligatione scribendi ad Metropolitanum vel Episcopum non comprovincialem quum de candidatis a provincia extraneis res erit.

9. Ubi vero novus Archiepiscopus vel Archiepiscopi coadiutor eligendus fuerit omnes circa eiusmodi electionem Australiae Metropolitani consulentur.

10. Omnibus denique notum esse debet in literis de supradictis rebus pertractantibus ad S. Sedem transmittendis, nihil inveniri debere quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed tantum proprie dictam commendationem, ita ut etiam ex litterarum forma pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illaesa Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis; commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. C. gregationi non autem obligationem afferent.

Notandum: In Concilio Plenario Australasiae, quod a S.C. de Prop. Fide recognitum est decreto 1. Maii 1887, haec statuta sunt.

1. Episcopus iuxta facultatem a Sancta Sede acceptam non omittet, durante vita, scripto designare sacerdotem dioecesanum qui sede vacante eam administret. Si vero Episcopus in hoc negligens fuerit, Archiepiscopi Metropolitani erit pro suffraganeis sedibus Administratorem deputare, senioris vero Suffraganei pro archiepiscopali sede. Hic autem Administrator eligatur ex Consultoribus vel Rectoribus Parochialibus vacantis dioecesis.

2. Administratore convocante convenient ad cathedralem ecclesiam intra quindecim dies Consultores dioecesani et Rectores inamovibiles vacantis dioecesis qui secreto suffragio in scriptis tria nomina proponent ecclesiasticorum quos digniores et magis idoneos indicaverint ad episcopale munus gerendum, ut Episcopi Provinciae ea nomina prae oculis habeant in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

3. Consultoribus et Parochialibus Rectoribus ita congregatis praesideat Archiepiscopus, vel aliquis Episcopus suffraganeus ab ipso delegandus; si vero de Sede Metropolitana vacante agatur, congregatis praesideat suffraganeus consecratione antiquior, vel eo impedito alius Episcopus suffraganeus ab ipso delegandus.

4. Antequam ad suffragia ventum fuerit, Consultores et Parochiales Rectores iuramentum emittant se neque gratia neque favore induci ad suffragium ferendum.

5. Verbale huius conventus, propria et secretarii subscriptione signatum statim mittet Praeses ad Provinciae Episcopos et debito tempore etiam ad S.C. de Prop. Fide.

6. Die constituta Episcopi Provinciae convenient et nomina a clero sic proposita vel alia ab ipsis proponenda, iuxta Instructionem S. Congregationis die 19. Maii 1866 datam discutient, et notulam trium candidatorum Sanctae Sedi exhibendam conficient. Quod si nomina a clero proposita haud probanda esse iudicaverint, rationes suas seu motiva S. Congregationi exponere non omittant.

7. Quoad cetera, praedicta Instructio S.C. in omnibus accurate servetur.

8. Si vero agatur de designando Episcopo Coadiutore cum iure successionis, die ab Archiepiscopo statuta convenient Consultores et Parochiales Rectores; praesidebit Archiepiscopus vel illo deputante Episcopus, pro quo Coadiutor eligendus est, vel utroque impedito alius suffraganeus ab Archiepiscopo deputatus. Quoad cetera norma supra tradita pro Episcopi electione vacante Sede observetur.

9. In electione Episcopi pro dioecesi noviter erecta, convocantur ab Archiepiscopo Con=

sultores dioecesis vel dioecesium e quibus nova dioecesis formata est et Rectores Parochiales si qui sint in nova dioecesi. Quoad reliqua normam iam traditam sequantur.

69. Tandem pro electione Episcoporum in Scotia hoc decretum latum est a S. Congregatione Prop. Fidei anno 1883 die 25 Iulii. = Cum inde ab anno 1878 sub initio Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Leonis PP. XIII per Apostolicas eius Litteras = Ex Supremo Apostolatus apice = episcopalis Hierarchia in Scotia ex Sacrae huius Congregationis consulto feliciter fuerit restituta, Sacra eadem Congregatio, ut gravissimum electionis Scotiae Episcoporum negotium rite sancteque in posterum absolvatur, certam aliquam methodum in omnibus illius regni dioecesibus servandam opportunum esse existimavit, qua fiat ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit de meritis sacerdotum, ex quibus qui magis idoneus censendus fuerit ad episcopalem gradum eligi valeat. Itaque in generali conventu habito die 18 Iunii 1883 S Congregatio, omnibus mature perpensis, censuit ea super re methodum quae hic adscribitur esse in Scotia servandam. Sede aliqua episcopali vacante, atque Vicario sive Administratore iuxta normas a sacris canonibus generatim, vel ab Apostolicis Litteris sa: me: Benedicti XIV, pro locis Missionum speciatim praescriptas constituto, qui

dioecesi viduatae, durante vacatione, praesit; convocatio fiet eorum, ad quos pertinebit commendare tres ecclesiasticos viros, quorum unus a Summo Pontifice, si ita ei visum fuerit, dioecesi vacanti praeficiatur. Et quidem, si in dioecesi vacante canonicorum Capitulum erectum non fuerit, Metropolitanus S. Andreae et Edimburgensis vel in ipsis defectu senior ex suffraganeis eius, conveniat cum Archiepiscopo Glasguensi (nisi agatur de vacatione ipsius Sedis Glasguensis, quae S. Sedi immediate subiecta est et suffraganeos non habet) relate ad diem et locum statuendum, quo primum omnes Episcopi adunari commode possint, et pro eo die omnes Episcopos convocabit. Ii vero una cum Archiepiscopo Glasguensi, omnes simul, si fieri possit, adunati, et praesidente Metropolitano seu in eius defectu Archiepiscopo Glasguensi, singuli suffragium tribus vicibus ferent, indicando nomina ecclesiasticorum virorum quos veluti candidatos ad sedem vacantem Apostolicae Sedi proponendos dignos esse in Domino existimaverint. Collatis vero suffragiis, referent in scriptis huic S. Congregationi nomina trium candidatorum, in quos maior suffragiorum numerus convenerit, simul indicando quo ordine ex pluralitate votorum iidem pro meritis sint recensendi, nec non notitias de singulis suppeditando ad normam quaestionum, quae ab hac S. Congregatione in speciali schemate ad id proponi solent.

Si vero in vacante dioecesi Capitulum erectum fuerit, Vicarius Capitularis Praepositum et Canonicos convocabit, qui capitulariter coadunati, et precibus de more praemissis, tribus vicibus suffragia ferent circa personas S. Sedi velut digniores commendandas. Tum Capitulum nomina alphabetico ordine disposita eorum trium sacerdotum, in quos maior numerus suffragiorum convenerit, ad Metropolitanum vel in eius defectu ad seniorem suffraganeum transmittet, ut ceteris Episcopis, ut supra dictum est, in unum convenientibus communicentur, qui quidem ea excutient, ut deinde S. Sedi referant quomodo iuxta suam sententiam disponenda sint, attento ordine meritorum, et de singulis candidatis notitias dabunt ad normam quaestionum, de quibus supra dictum est. Episcopis vero liberum erit alia etiam nomina addere, quae magis opportuna censuerint, ac deinde ipsum authenticum actum capitularem, ac relationem sententiae in quam Episcopi venerunt ad S. Sedem per hanc S. Congregationem transmittent. Sacra porro haec Congregatio declarari voluit nomina candidatorum, sive uno sive altero ex supradictis modis pro rerum circumstantiis innuantur, per simplicem commendationem proponi ut notitiam tantum ac lumen afferre valeat in electione perficienda quae, ut iuris est, ad Apostolicam Sedem omnino pertinet, cui plena libertas servatur alium etiam extra propositos, si

ita ipsi placuerit, ad vacantem Sedem episcopalem nominandi.=

Cf. pagina 60

70. Promirum est autem intelligere quod hoc ius seu praerogativa commendationis nullo modo Apostolicae Sedis libertatem imminuit in Episcopis deligendis, nullumque ius a commendato acquiritur ad obtinendam iurisdictionem.

71. Quoad vero loca quae a Vicariis Apostolicis reguntur Candidatorum propositio fit a Superiore Ordinis Religiosi vel ecclesiastici Instituti cui missio ipsa concredita est. Quod si nulli Ordini religioso vel Instituto missionis regimen sit demandatum, Vicarii Apostolici electio praevia S. Congr. Fidei Propagandae a R. Pontifice fit. Praefectus autem Apostolicus a Cardinali Praefecto S.C. Pr. Fid. fit quin successa sit ut interveniat iudicium Congregationis Generalis.

72. In facienda commendatione cautum est ut qui commendant dotes candidatorum describant ac variis quaestionibus respondeant iuxta instructione S.C. Prop. Fidei (1).

73. Quoad Ecclesias Orientales apud Chaldaeos Patriarcha ad normam Constit. = Cum Ecclesiastica = diei 31. Augusti 1869 Episcopus in Synodum coget, ac tres candidatos Apostolicae Sedi proponit. Quoad Armenos an-

---

(1) Collect. S.C. Pr. Fid. n. 38.

no 1881 statutum est ut derogatione facta toties quoties Constitutioni Apostolicae = Reversurus = diei 12. Iulii 1867, quae derogatio a Patriarcha imploranda est, requisito si fuerit opportunum testimonio Cleri et Notabilium populi, Synodus Episcoporum sub praesidentia Patriarchae unum eligat quem Apostolicae Sedi pro confirmatione repraesentat. Apud Graecos Melchitos, Maronitos, Syrios Patriarcha utitur antiquo iure eligendi Episcopos aliis Episcopis consultis iuxta morem uniuscuiusque communitatis.

74. Hisce praemissis deveniendum est ad modos quibus iure communi electio peragitur. Electio est: = personae idoneae ad praelaturam vacantem ab iis quibus ius est canonice facta vocatio per superiorem confirmanda = (1). Electio in hoc differt a postulatione quia nempe postulatio est provisio extraordinaria seu subsidiaria personae de iure impeditae, innititur gratiae et ideo dicitur admitti, nullum tribuit ius postulato, isque non potest in illam consentire nisi sub conditione dispensationis: electio vero est provisio ordinaria personae de iure habilis, seu nullo impedimento laborantis, innititur iuri et id dicitur confirmari; electo tribuit ius ad rem, et electus absolute in eam consentire po-

(1) Ex c. 7. et 42. Decret. h. t.

postulatio solum fit usu quando impedimentum est ~~est~~ jure canonico; non ex jure divino aut naturali. Quia postulatio est in genere dispensationis

test.

75. Electio pertinet in genere ad Capitulares. Est autem Capitulum plenum clericorum collegium qui sub uno Praelato tamquam membra sub uno capite vivunt; alioquin si sub uno capite non viverent, non communitas sed singularitas esset. Ad capitulum seu collegium constituendum a principio tres requiruntur saltem (1), pauciores autem sufficiunt ad conservandum collegium; si unus superesset manet collegium habitu non acta, si nullus supersit iura realia collegi manent aliquando in parietibus, vel his directis in solo, in fundo (2). Igitur soli et omnes capitulares ad eligendum Praelatum vocem activam habent nisi iure prohibeantur (3). Imo ut capitularis eligere possit sufficit ut bona fide sit in possessione certa benefici licet lis de proprietate aut tituli possessione mota sit (4). Imo in genere qui est in quasi-possessione iuris eligendi ad electionem peragendam vocandus est (5).

Ex iure autem speciali electionis ius ad Clericos extraneos perimere potest vel a) ex

---

(1) Arg. l. 40. in fin. digest. de V.S. - l. 85. eod. l.

(2) Cfr. lib. 3. tit. 11. decret. Greg. IX.

(3) Cap. 5. et 14 hoc titulo in X.

(4) c. 24. h.t.

(5) Cap. Cum Eccl. 3. de caus. poss. et propr.

fundatione (1), vel b) ex praescriptione aut consuetudine saltem 40 annorum (2), vel c) privilegio apostolico vel d) ex pacto, vel e) ex consensu omnium (*) capitularium saltem pro una vice. Laicus ut evidens est nec consuetudine nec proscriptione etiam immemoriali acquirere potest ius eligendi Pastorem ecclesiasticum (3), sed tantummodo ex privilegio apostolico.

Quia nullus laicus est con- [illegible] quasi-dominii iuris ecclesiastici

76. Prohibentur autem 1) Excommunicati maiori excommunicatione (4), suspensi ab officio (5), interdicti personaliter et temerarii violatores interdicti localis per celebrationem missarum (6), absentes legitime non impediti (7); nemo autem seipsum eligere potest (8), qui ex culpa gravi privatur pro ea vice potestate eligendi uti eligentes vel postulantes indignum (9), aliique de quibus in cap. 41. et 42. h.t. in decretalibus agitur. Ceterum ut capitulares ad eligendum praelatum ad=

---

(1) Cap. 23. de iur. patr.

(2) Arg. ex cap. 8. de consuet. et c. 4. de postul.

(3) c. 56. h.t. in X.

(4) Cap. 23. de appellat.

(5) Cap. 16. in fin. h.t.

(6) Cap. 18. § 7. vero de sent. excom. in 6°

(7) c. 42. h.t.

(8) Cap. fin. de Inst.

(9) c. 1-2. de postulat. Praelat.

(*) Quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet; praescriptio sequitur possessionem.

mittantur oportet ut saltem subdiaconatus ordine sint insigniti (1), nisi tamen de Regularibus agatur (2), item ab electione peragenda excluduntur impuberes (3). Si intra tres menses episcopi vel superioris regularis electio locum non habeat vel ob negligentiam aut dissidium electorum, hi ea vice iure eligendi destituuntur quod ad proximum superiorem devolvitur (4), nisi Capitulum ab omni archiepiscopali iurisdictione exemptum sit quo in casu ius ad Pontificem immediate spectabit (5). Verum in Ecclesiis Collegiatis, aliisve beneficiis per electionem conferendis integri semestris mora indulgetur (6).

77. Quod vero ad electionem passivam pertinet in primis in eligendo requiritur aetas legitima idest 30 annorum pro Episcopo, 25 pro dignitate inferiori curam animarum habente, et 22 completorum pro dignitate

---

(1) Clem. 2. de aetat. et qual. Trid. Sess. 22. cap. 4. de Reform.

(2) Cfr. Crivaldi P. 2. sect. 8.

(3) Cap. 32. de elect. in 6.

(4) Cap. 41. h. t. cap. 5. de concess. praebendae.

(5) Caput Licet 3. de supplenda negligentia Praelat. Caput Cum singula cap. 23. in 6°.

(6) Caput 3. de concess. praeb.

inferiori non curata (1).

Ulterius 1) morum gravitas requiritur idest ordo sacer, vera fides orthodoxa, carentia cuiuscumque censurae, irregularitatis 2) litterarum scientia dignitati proportionata, ideoque qui in Episcopum eligendus est oportet ut sit doctor, vel licentiatus in sacra Theologia vel iure Canonico 3) Eligendus dignior esse debet idest ecclesiae utilior, tamen electio digni omisso digniore est valida (2). Eligi autem non possunt 1) infantes, amentes, furiosi 2) qui legitimam aetatem non habent (3) 3) illegitime nati ⊕ (4) 4) irregulares + 5) haeretici eorumque fautores (5), 6) Simoniaci (6), 7) plura beneficia incompatibilia retinentes (7), 8) qui gravibus delictis infamati sunt veluti schismatici, sacrilegi ect. 9) Excommunicati etiam minori excommunicatione (8), 10) suspensi sive ab officio sive a beneficio (9). 11) personaliter

I.E. qui possidet scil. dua beneficia et per utroque separata, potest vitam sustinere est inhabilis

+ Irregularitas fit vel per delicto vel per defectu et per defectu vel animae vel corporis.

---

(1) c. 7. h.t.

(2) c. 19. d. 63 - c. licet 8. 9. 1. et Trid. Sess. 24. c. 1. de reformat - c. 19. §. his igitur c. 32. h.t.

(3) c. 7. h.t. c. 3. de act. et qual.

(4) cap. 20. h.t.

(5) c. 2-15. de Haeret. in 6°

(6) c. 23. 27. de Simon.

(7) c. 54. h.t.

(8) c. 7. et fin. de cler. excom.

(9) cit. cap. fin. et cap. 8. de aetat. et qualit

3.) tandem sanabitur per ingressum in [illegible] [illegible] quod facit aliquem aptum solum ad ordines non ad dignitates recipiendas

⊗ 13

1) Illegitime natus per subsequens matrimonium sanatur si in tempore conceptionis et nativitatis, [illegible] et tempore [illegible], mater et pater liberi fuissent ad matrimonium faciendum.
2) per dispensationem et rescriptum principis: quae dispensatio solummodo valet pro casu particulari: rescriptum valet pro omnibus casis.

interdicti ect. ect.

78. Quod si quaeratur an indigni electio sit ipso iure nulla, respondemus tunc solum esse nullam ipso iure, cum canones clausulam irritatoriam addunt, vel de persona electa agatur quae naturali iure sit inhabilis; ex. gr. electio illius qui postulandus esset ipso iure nulla est (1), talis etiam est electio ambitiosi (2), electio simoniaca (3).

79. Ad formam autem ac qualitates electionis quod attinet, notandum est quod ad electionis formam accidentalem pertinent convocatio electorum, tractatus praevius, determinatio loci, temporis, indictio precum per dioecesim pro impetrando bono pastore, missa de Spiritu S. hymnus = Veni Creator = ob omnibus loco electionis recitandus, protestatio de non exinuenda persona habili, absolutio a censuris in ordine ad effectum canonicae electionis. Ad formam electionis substantialem pertinet triplex modus electionis idest per scrutinium, per compromissum, per inspirationem divinam, vel per quasi inspirationem.(*) Qualitates praecipuae electionis est ut sit libera.

80 Ad formam accidentalem quod pertinet omnes electores etiam absentes extra

---

(1) c. 20 de elect.

(2) cap. 46. hoc tit.

(3) Extrav. 2 de Simon. inter com.

(*) a) inspiratio fit quando est directa miraculosa interventio. b) quasi-inspiratio fit quando est unanimus consensus in electione plurium personae.

provinciam vocandi sunt qui debent, nempe, volunt et possunt commode interesse (1). Si plus quam tertia pars electorum vocata non est, electio est nulla (2), alioquin electio sustinetur quoties electus retulerit maiorem partem votorum computatis etiam absentibus (3). In omni casu autem absentes non vocati apud iudicem agere possunt ad electionem irritandam nisi expresse vel tacite illam adprobaverint. Absens tamen etiamsi regulariter procuratorem constituere non possit quia electio personae eligentis industriam requirit (4), tamen si iusto impedimento detineatur procuratorem de gremio capituli vel etiam extraneum ex consensu capituli eligere potest, qui procurator capitularis si mandatum speciale habuit diversam personam ab ea quam ipse nomine suo eligit, eligere potest, alioquin si mandatum generale ei datum est eamdem personam et nomine proprio et alieno eligere debet (5).

81. Locus quo electio peragenda est decens esse debet, tempus vero est ut diximus intra trimestre pro ecclesiis cathedralibus et regula-

---

(1) cap. 36 et 42.

(2) cap. 29 h.t. et 30.

(3) cap. 11 et 20. h.t.

(4) c. 42. § illud h.t.

(5) cap. 45. h.t.

ribus, quod tempus decurrere incipit a die habitae notitiae sive vacationis, vel a die remoti impedimenti, vel negligentiae commissae in eo removendo, veluti si Canonici negligant petere absolutionem a censuris. Si intra praefixum tempus electio locum non habuerit, electio ad superiorem devolvitur qui debuisset electum confirmare (1), si vero superioris electio fuerit nulla, ius eligendi ad electores revertitur.

82. Capitulares de persona eligenda deliberare possunt si extranea et ignota sit; in his vero deliberationibus capitulationes Ecclesiae utiles ab eligendo servandas facere possunt. Capitulationes autem in Ecclesiae praeiudicium sunt ipso iure nullae etiamsi fuerint iuramento firmatae (2). quia juramentum solum est confirm aliquod validum.

83. Electio in primis fieri potest per scrutinium, idest per secretam collectionem suffragiorum Ad haec Capitulares tres eligunt scrutatores, vel pauciores qui iurant de re fideliter agenda et de secreto servando. Suffragia per schedas colligunt, accedendo etiam ad infirmos si qui sunt. Si vota recipiuntur ad aures scrutatores ante omnes proprium vo-

---

(1) cap. 41. h.t. in X.

(2) c. 27. de iureiur. et cap. 1. eod. in 6. Const. Pii V. decr. 1570. Gregorii XIII inter apostolicas 1584. Innoc. XII. Eccl. 1695.

tum emittunt, secus etiam post omnes capitulares. Hinc vota publicantur, qua facta publicatione vota variari non possunt.

84. Attamen defectus votorum alicuius nominati per accessum suppleri potest, nempe si qui contrarium votum dederunt declarent se accedere in votum illorum qui ab aliis electus fuerit. At ut ius accessus admittatur oportet ut vota in schedulis subscriptis ab electoribus data sint, quod ad fraudes praecavendas constitutum est. In omnibus electionibus hodie attenditur sola collatio numeri ad numerum, et ille electus intelligitur qui maioris partis vota retulerit. At si evidenter pars maior indignum elegerit, electus a minori et saniori parte praefertur (1) Quod si pars maior pro nullo stet, scrutinium renovatur. Hisce peractis electionis decretum conficitur et publicatur (2). Quod si electus ante huius decreti ~~constitu~~publicationem in suam electionem consentiat, electio irritatur, et candidatus utpote ambitiosus fieret inelegibilis (3)

[Margin note: Quando constat cuinam elector dedit votum]

[Margin note: i.e. electores scribunt nomen eligendi et subscribunt suum nomen proprium]

85. Electio etiam per compromissum fieri potest. Compromissum est actus quo electores unanimi consensu transferunt potestatem eligendi in aliquos clericos viros idoneos intra

(1) cap. 22 h.t.
(2) cap. 42. h.t.
(3) cap. 46. h.t.

Quia quod tangit omnes ab omnibus approbari debet.

vel extra Capitulum ut nomine et vice omnium ad electionem praelati procedant (1). Ut hac forma compromissi electio fieri possit oportet 1) ut omnes capitulares unanimiter in compromissum consentiant, iuxta regulam iuris in 6°: quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari; si unus dissentiat compromissum non subsistit iuxta principium in re communi potior est conditio prohibentis (2). 2) Compromissarii Clerici esse debent ad hoc idonei, numero vel impares vel etiam pares (3), imo etiam in unum compromitti potest (4). 3) Compromissarii mandati limites servare debent. Compromissarii in electione peragenda omnia substantialia scrutinii servare debent, et si a compromissariis idoneus electus est tenetur eum recipere compromittentes (5). Compromissum cessat revocatione si res adhuc sit integra (6); cessat etiam lapsu temporis praefixi, et terminatione electionis licet haec quacumque de causa ⊛ suum effectum non sortiatur. (7).

---

(1). cap. 42. h. t.

(2) Reg. 56. in 6°.

(3) c. 52. h. t.

(4) cap. 8. h. t

(5) c. 8. et 52. h. t.

(6) c. 30. h. t.

(7) cap. 37. §. Si vero lit. in 6°.

⊛ sed pt. fieri quod electus a compromissariis non vult recipere electionem. inde electio revertitur ad Capitulares quia compromissarii compleverunt suum mandatum.

86. In cap. 33. h.t. in decretalibus refertur casus quo tres ex septem prius consentirent in unum compromissarium, is vero consentiendo in se ipsum electum electionem complevit, hinc nonnulli deducunt principium quod etiamsi sui ipsius electio sit prohibita incoative, tamen non est prohibita impletive; sed falso videtur hoc principium deductum ex praedicto capite, ibi enim potius agitur de compromissariis ex quibus tres mandatum excesserunt vel quia elegerunt indignum, vel capitulo extraneum.

87. Electio tandem per quasi-inspirationem fieri potest, cum omnes capitulares nullo praevio tractatu intervedicente omnes in unum eligendum conveniunt.

88 Electio libera esse debet a metu, secus si metus gravis fuerit irrita est (1).

89 Contra autem delinquentes in electionibus statutum est 1) si electores scienter indignum eligant privantur ea vice iure eligendi, per triennium suspenduntur a beneficiis (2) non vero ab officiis; si vero formam electionis non servent per sententiam privandi sunt potestate eligendi (3).

---

(1) c. 14. h.t.

(2) c. 7. in fin. h.t.

(3) c. 42. in fin. h.t.

Articulus 2.us

De Postulatione.

90. Postulationis nomine intelligitur illius qui eligi ad praelaturam non potest concors a Capitulo facta petitio. Postulatur igitur qui eligi prohibetur propter impedimentum aliquod canonicum; haec postulatio solemnis vocari solet; simplex autem postulatio dicitur personae de iure habilis in praelatum facta ei cuius consensus requiritur.

91. Omnes autem postulare possunt qui possunt eligere (1) quibus enim conceditur principale nempe electio, etiam concessum videtur accessorium seu subsidiarium uti est postulatio subintrans in locum electionis (2).

92. Postulantur qui defectu canonico laborant a quo potest et solet dispensari. Tales defectus sunt 1) illegitimitas natalium (3) 2) defectus aetatis legitimae (4) 3) defectus ordinis ac debitae scientiae (5) 4) defectus professionis ad praelaturam regularem (6) 5) vinculum spi-

---

(1) c. 4. v. ceterum h.t.

(2) arg. ex regul. 35. et 42. in 6.

(3) cap. 20. de Elect.

(4) c. 7. eod.

(5) c. 22. eod.

(6) cap. 23. h.t.

ritualis coniugii quo Episcopus etiam titularis alligatus est suae Ecclesiae a quo solvi non potest nisi a Romano Pontifice (1).

93. Postulari autem nequeunt qui defectu indispensabili laborant idest tali defectu a quo non potest vel saltem non solet dispensari. Quare postulari nequeunt infantes, amentes, furiosi; bigami, spurii (2) ect. ect.

94. Qui postulant personam defectu indispensabili laborantem pro ea vice ipso iure privantur potestate postulandi ac eligendi (3). Eadem poena puniuntur qui indigni renovant postulationem, ac electio ad eos devolvitur qui in iteratam postulationem non consenserunt sed contradixerunt (4). Scienter postulantes minorem 27 annis ad Episcopatum pro ea vice potestate postulandi et eligendi privantur et per triennium suspenduntur a beneficiis Ecclesiae ad quam postularunt; ipsi vero postulati urgentes negotium suae postulationis declarantur impostulabiles (5).

95. Postulatio fit apud superiorem qui potest confirmare electum, dummodo et in impe=

---

(1) c. 2. in fin. de Translat.

(2) c. 10. de renunciat.

(3) c. 1. h. t. - c. 7. §. fin. de elect.

(4) c. 2. h. t.

(5) Extrav: un. h. t. inter com.

dimento postulati dispensare possit (1). Superior non tenetur postulationem admittere (2), quia postulato nullum ius tribuit, tamen ex equitate et debita sui officii administratione tenetur eam admittere, si iusta causa postulandi adsit.

96. Ad formam autem postulationis quod attinet, cum postulatio simplex sit vera electio, huius formam servat (3); tamen superioris consensus petendus est aut ut subditus eligatur, vel post electionem huic electus consentire possit. Postulatio autem solemnis eamdem electionis formam servat quoad ea quae naturae postulationis non adversantur (4). Quod canonistae deducunt 1) ex regula 46 in 6. subrogatum nempe sequitur naturam eius, cui subrogatur, nisi specialem formam praescriptam habeat, sed postulatio subrogatur electioni - 2) connexorum ac aequiparatorum eadem est iuris dispositio (5), maxime si unum subintret in locum alterius et in eumdem finem tendat, sed ita est de postulatione relate ad electionem.

97. Si postulatio cum ~~postulatione~~ electione concurrat
postulatione

(1) c. fin. h.t. in X.
(2) c. 5. h.t.
(3) cap. 42. de elect.
(4) cap. 42. de elect.
(5) cap. 3. de Constit.

maioritas votorum requiritur ut quis postulatus censeatur, si vero concurrat postulatio cum electione oportet ut postulatus duas tertias partes retulerit votorum (1). Vota autem incerta ac indeterminata reiicienda sunt v. gr. eligo postulandum, postulo eligo prouti melius de iure valebit (2). Haec vero postrema forma permittitur in casu quo probabile dubium adsit an persona sit postulanda vel eligenda v. gr. propter defectum natalium.

98. Posteaquam postulatio superiori ostensa sit, variari non potest (3). Postulatio a superiore admissa vim habet confirmationis ac ius reale in praelatura postulato tribuit (4). Postulatio vero simplex subdito tribuit licentiam ut electioni de se factae consentire possit.

99. Postulatio intra 8 dies postulato praesentanda est qui intra mensem declarare debet an accipiat nec ne postulationem conditionate nempe si superior illam admiserit.

---

(1) ex cap. scriptum 40 de Elect.
(2) cap. un. h. t. in 6°
(3) cap. 4. h. t. - c. 5. h. t.
(4) cap. 2. h. t.

Articulus 3.us

De Confirmatione.

100. Electores intra 8 dies electionem electo praesentare debent, alioquin per triennium ab omnibus beneficiis quae in ea Ecclesia obtinent excluduntur (1). Electus intra mensem accipit electionem, alioquin iure cadit (2). Per electionem electus acquirit ius ad rem, et praelaturam administrare non potest ante confirmationem (3), alioquin iure electionis privatur (4), et fit ineligibilis (5). Electus intra trimestre a die praestititi consensus a Superiore confirmationem petere tenetur cui Ecclesia vel dignitas immediate subest, alioquin in poenam negligentiae ipso facto iure electionis privatur (6). Electi vero ad Ecclesias cathedrales quarum confirmatio ad Sedem Apostolicam pertinet intra unum mensem a die praestiti consensus confirmationem petere tenentur (7). Est notandum quod ex constitutione Pii IX.

---

(1) c. 16. §. ceterum h. t. in 6°

(2) c. 6. h. t.

(3) cap. 9 - 17. h. t.

(4) c. 5. h. t. in 6.

(5) c. 12. et 17. h. t. extrav. 1. eod. inter comm.

(6) c. 6. h. t. in 6°

(7) c. 16. h. t.

=Romanus Pontifex= data anno 1873 Episcopus ullo modo se nequit immiscere in administratione suae dioeceseos nisi postquam praebuerit litteras Apostolicas suae nominationis Vicario Capitulari vel in genere illi qui Sedem Vacantem administrat. Imo in Constitutione =Apostolicae Sedis= Pii IX suspensionem Romano Pontifici reservatam ipso facto concurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes qui ad illorum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatus de praedictis Ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisus antequam ipsi exhibuerint litteras Apostolicas de non promotione. Ulterius Episcopi aliique qui a R. Pontifice sunt confirmandi intra mensem post consensum iter ad Sedem Apostolicam arripere tenentur vel per se vel per procuratorem, quo tempore elapso ad iter necessario aliisque 35 diebus culpabiliter iure suo decidunt.

101. Electio autem per appellationem irritari potest, at si appellatio in dignitati personae innitatur, ac appellans in probationibus defecerit, nisi claris documentis se a calumnia purget per triennium a beneficiis suspenditur, et si iisdem se ingesserit iisdem ipso iu=

re privatur (1).

Articulus 4.us

De Consecratione.

102. Iurisdictio etiam consecratione acquiritur quoad ea scilicet quae sunt potestatis ordinis. Episcoporum consecratio R. Pontifici est reservata, qui vel per se, vel per alium illam efficit (2). Qui Romae consacratorem eligere possunt ex privilegio, S. R. E. Cardinalem vel aliquem ex quatuor Patriarchis in urbe residentibus eligere debent. Si ex his nullus munus accipiat, alius vel Archiepiscopus vel Episcopus eligi potest, at si Romae reperiatur Metropolita, huic consecratio erit delegenda (3).

103. Consecratio die Dominica vel in natalibus Apostolorum peragenda est, et praeter Episcopum consacratorem duo Episcopi adsistentes adesse debent. In necessitatis casu sacerdotes Episcopum consecratum adsistunt qui in dignitate sint constituti, vel etiam Episcopus absque ulla adsistentia consacrationem peraget.

104. Anno 1669 a Congregatione S. Officii

---

(1) cap. 1. de elect. in 6.

(2) Bened. XIV. Constit. Qui postremo.

(3) Bened. XIV. in Const. citata.

quaesitum est an ab uno tantum Episcopo consecratus sit valide consacratus, et S. C. Respondit affirmative. S. Congregatio Prop. Fidei anno 1695 die 18 Maii declaravit illicitam sed non invalidam efficere consacrationem Episcopi deficientiam duorum Episcoporum cum consecratore (1), quae consacrationis illiceitas contingit, intelligitur, quoties privilegium concessum est non est ut nempe praesbyteri Episcoporum consacrantem adsistant (2).

105. Episcopus postulatus et admissus, vel electus intra trimestre ab eius adprobatione consacrari debet (3), si ultra consacrationem absque legitimo impedimento differat mensae Episcopalis fructus restituere debet quos percepit, et si per aliud trimestre consacrationem differat ipsa Ecclesia privatur (4), vel dignitati episcopali saltem si sint titulares (5).

106. Episcopus consecratus Ecclesiae suae administrationem statim suscipit, beneficia

---

(1) Collect. S. C. Prop. Fid. n. 1207 - Bened. XIV. de Synodo dioec. lib. XIII. cap. 13. n. 7.

(2) Collect. n. 1210 - n. 1207 in nota qua allegatur Breve Pii IV. datum an. 1562 die 11. Aug.

(3) Trid. Sess. 23. cap. 2. de Reformat.

(4) Trid. l. cit.

(5) Ben. XIV. Const. Quum a nobis.

ab eo possessa vacant ac R. Pontifici fiunt reservata quod quidem in Episcopis titularibus non accidit ut est evidens.

107. Postremo notamus modos quos exposuimus ad acquirendam iurisdictionem esse ordinarios. Extraordinarii enim essent Privilegium Apostolicae Sedis ac praescriptio 40 (1), vel immemorabilis si agitur de praescribendis finibus publica auctoritate constitutis (2), et tandem annualis possessio iuxta regulam 35 Cancellariae Apostolicae, et triennalis possessio iuxta regulam 36 eiusdem Cancellariae Apostolicae de quibus in tractatu de legibus dictum est.

Caput 3.

De modis quibus amittitur iurisdictio Ecclesiastica.

Summarium. = 108. quot modis amittitur iurisdictio ecclesiastica – 109. quid est renunciatio – 110. quotuplex est renunciatio – 111. an omnia beneficia renunciari possint. – 112. quinam renunciare prohibeatur. – 113. quomodo renunciatio esse debet. – 114. Renunciationis effectus. – 115. coram quo superiore fit renunciatio – 116. an renunciatio re=

---

(1) Cap. 15. de praescr. ibique Rota decis. 439 coram Ansaldo.

(2) Fagnanus cap. Nullus n. 3. de Parochiis n. 22.

vocari possit. – 117. quid est translatio – 118. an invitus transferri possit. – 119. – quando vacet ecclesia a qua fit translatio. – 120. Quid est permutatio. – 121. privata auctoritate fieri non potest. – 122. quid si fiat. – 123. quando vacant beneficia permutata – 124. Quid est depositio – 125. quid degradatio – 126. quinam has poenas inferre potest – 127. Propter quae crimina hae poenae inferuntur.

108. Iurisdictio ecclesiastica amittitur renunciatione, translatione, permutatione, et depositione, ac degradatione.

Articulus 1us
De Renunciatione.

109. Renunciatio in genere est alicuius iuris remissio, at hic renunciatio est = libera remissio iuris in beneficio ecclesiastico habiti vel iurisdictionis, ex iusta causa et cum consensu superioris legitimi eam acceptantis facta.

110. Renunciatio est expressa quae fit verbis iuxta formam a iure praescriptam, tacita quae facto aliquo fit quod ex natura sua, vel ex dispositione iuris inducit cessionem beneficii, veluti si clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat (1), vel a-

---

(1) Cap. 1. de Cler. coniug.

Beneficium vocatur simplex cum habet adnexum nec onus residentiae neque curam animarum

Beneficium vocatur duplex quod habet utrumque adnexum.

lind beneficium incompatibile consequatur (1). Renunciatio expressa est vel pura, vel conditionalis v. gr. cum reservatione pensionis. Episcopus autem vel renunciat loco tantum vel etiam dignitati Episcopali.

111. Omnia beneficia sive minora sive maiora, sive minora renunciari possunt nisi, specialiter excepta sint. Talia autem sunt 1) beneficium quod quis habuit titulo ordinationis, 2) beneficium litigiosum in favorem alterius non litigantis renunciari non potest (2), 3) beneficia item patronata, electiva, unita, obtenta per intrusionem absque canonico titulo in favorem tertii renunciari non possunt.

titulus ordinis est fundus sufficiens ad sustentationem clerici

112. Omnes beneficia resignare possunt qui iure non prohibentur. Prohibentur autem 1) furiosi, mentecapti (3). 2) in sacris constituti si alioquin debita careant sustentatione (4). 3) impuberes sine auctoritate tutoris. – Clericus autem minorennis valide renunciat beneficiis quia in beneficialibus habetur pro maiorenni (5), etiamsi si laesus in integrum restitutio ei concedatur. 4) Novi-

---

(1) cap. 28 de Praeb.
(2) c. 2. ut lite pendente.
(3) c. 5. h. t.
(4) S. Pius Const. Quanta 1568.
(5) c. fin. de iudic in 6.

Jus patronatum acquiritur { per dotem.
" reparationem seu aedificationem

beneficium patronatum est cui persona eligitur a quo habet jus patronatum.

tius renunciare beneficiis non potest nonnisi intra duos menses qui praecedunt solemnem professionem religiosam, quae quidem renunciatio est ipso iure conditionata (1). 5) Infirmus valide non renunciavit beneficio qui intra 20 dies a facta renunciatione moritur iuxta regulam de viginti. — Attamen praxis curiae hanc dispositionem etiam ad sanos resignantes extendit.

113. Resignatio 1) libera esse debet. Quae fiat sub metu gravi rescindi potest (2). 2) renunciatio fieri debet ex iusta causa. - Iustae causae pro resignando Episcopatu sunt debilitas corporis, Ignorantia, Mala conscientia, irregularitas personae, Malitia plebis, grave scandalum, causa assumendi religionem (3). = Ad alias dignitates resignandas minores causae requiruntur. — 3) Requiritur consensus interesse habentium 4) fieri debet verbis specificis et expressis, et in genere in scriptis (4). 5) oportet ut accedat consensus superioris legitimi (5).

114. Renunciationis effectus est resolutio iuris et tituli beneficialis ut amplius fructus

---

(1) Trid. sess. 25. c. 16. de Regul.

(2) Schmalz. h. t. n. 4. - Reinffest. h. t. n. 3.

(3) cap. 10. h. t.

(4) cap. 5. h. t.

(5) cap. 4. et fin. h. t.

Ut injuria venit quum gravi metu, 1 incussus debet esse injustus et ab extra i. e. ab alia persona, 2 causa libera, 3 et ad extorquendum consensum.

ex tali beneficio percipi non possint, nisi admissa fuisset resignatio conditionalis. Fru⊕ctus tempore renunciationis pendentes ad Ecclesiam devolvuntur vel ad successorem nisi consuetudine aut pacto aliud sit constitutum (1).

115. Qui autem renunciationem accipere potest est Superior habens in renunciantem iurisdictionem (2); in genere renunciatio coram superiore facienda est, qui potestatem habet conferendi et auferendi beneficium seu iurisdictionem. Episcopus renunciationes conditionales accipere non potest, nisi conditio permutationem contineat (3), similiter renunciationes admittere cum reservatione pensionis aut fructuum vel cum reservatione <u>accessus</u>, <u>ingressus</u>, et <u>regressus</u> solus R. Pontifex potest ex plenitudine potestatis nam renunciationes his conditionibus factae iure prohibitae sunt (4). De caetero tales renunciationes favent ambitiosam cupiditatem Clericorum, dant oc=

---

(1) Reinffestuel, h. t. n. 152.

(2) arg. c. 4. et fin. h. t.

(3) cap. 5. de rei permut. - c. un. eod. in 6. - Clemen. un. eodem.

(4) Canon plerique 8. quaest. 1. cap. un. benefic. Eccl. Trid. sess. 25. cap. 7. de reformat. Const. S. Pii V. = Sanctissimus = - Romani Pontificis. -

⊕ <u>Fructus</u> est id quod [illegible] ab aliqua re producitur, salva rei substantia.

fructus sunt 1/ { naturalis = qui re natura sine industri[a]
{ industrialis producuntur per industriam hominis

casionem captandae mortis alienae, habent speciem haereditariae successionis ideoque prohibentur sub gravibus poenis simoniae confidentialis (1) Episcopo tamen videtur permissum ut ex gravi causa imponere possit beneficio pensionem temporaneam ad vitam beneficiati (2). (Nota)

116. Renunciatio nondum acceptata revocari potest, secus si superior iam illam acceperit (3).

Articulus 2.

De Translatione

117. Translatio in genere definiri potest: =de una ad aliam Ecclesiam superioris auctoritate facta mutatio.= Ut translatio sustineatur requiritur 1) iusta causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiae 2) legitimi superioris auctoritas scilicet Romani Pontificis quod

---

(1) Cfr. Decretales lib. 5 tit. 3. - Cfr. Const. Bened. XIV. In sublimi 1741.

(2) Cfr. lib. 3. tit. 12.

Nota. Quis reservare potest sibi ius accessus si v.g. fuit a patrono tantummodo praesentatus; reservat sibi ius ingressus si renunciatur beneficium iam collatum sed nondum possessum; reservatur sibi ius regressus quando beneficium possidetur.

(3) cap. 12. h.t. in Decret.

4) separati { fructus qui divisi sunt ex arboribus vel solo sine hominis opera.
percepti = separati cum opera hominis.
pendentes = qui nondum separati sunt ex arboribus

3) extantes
consumpti sunt illi qui propriam formam immutaverunt

2) naturalis
civilis producitur ex opera legis: i.e. pensionis pro domo locata

Episcoporum translationem (1) sive Episcopus sit consecratus, sive tantum electus ac confirmatus; quoad vero rectores minorum beneficiorum Episcopi auctoritas sufficit, nisi de praelaturis exemptis agatur quae R. Pontificis auctoritatem exigunt (2). 3) tandem translatio regulariter fit de minori ad maiorem Ecclesiam (3), alioquin translatio non censetur fieri ob necessitatem et utilitatem Ecclesiarum.

118. Romanus Pontifex ex iusta causa potest cogere Episcopum ut translationi consentiat, et si renuat etiam Episcopatu illum privare potest (4), attamen Episcopus invitus alicui Ecclesiae addici non potest. (5).

119. Si translatio ad istantiam translati locum habeat, antiqua ecclesia vacare incipit a die qua Episcopus in consistorio publico a Romano Pontifice translatus est etiam si litterae Apostolicae adhuc expeditae non sint, nec secundae Ecclesiae adepta possessio. Item si Romanus Pontifex ob Ecclesiae necessitatem Episcopum etiam ignorantem absolvat a vinculo suae Ecclesiae. At si Romanus Pon-

---

(1) cap. 3. de translat. Episcop.
(2) Schmalzgrueber h. l.
(3) c. 1. de translat. Episc.
(4) Canon 4. dist. 74.
(5) cap. 3. h. t.

naturalis fructus est perceptio omnium fructuum; industrialis fructus est perceptio necessarii ad sustentationem.

Possessio est physica rei detentio, aut aliquod factum iure recognitum, quo homo sive actu sive potentia suam in eandem rem activitatem exerceat exclusive non momentaneae, tali cui aliquando a lege vis et protectio tribuitur.

tifex providendo procedat, sedes antiqua vacare incipit tantummodo a die praestiti consensus in translationem quae conditionata censetur (1). Si vero de caeteris beneficiis agatur antiqua Ecclesia vacare intelligitur post initam alterius beneficii pacificam possessionem (2). Ulterius post factam translationem Episcopus in novam Ecclesiam iurisdictionem acquirit veluti si post electionem fuisset confirmatus, at quoad alia beneficia requiritur ulterius ut beneficii possessio locum habeat.

Fructus pendentes ad ecclesiam vel successorem pertinent, sane beneficiarius usufructuario comparari potest, ideoque finito usufructu fructus pendentes non usufructuario debentur nec eius haeredibus (3). Verum in praxi locorum consuetudinibus standum est quae plerumque aequitati nituntur.

Articulus 3.

De Permutatione

120. Permutatio in casu est beneficiorum resignatio facta a duobus Praelatis vel Beneficiatis in manibus superioris, ea conditione ut

---

(1) Cfr. Fagnanum Capite quarto h. t.

(2) Schmalz. h. t.

(3) L. 13. ff. quibus mod. usufruct.

Bona fides valet (sq.) veritas quantum non est impedimentum legis

Sed Dominus pt. agere contra possessorem bonae fidei actione personali quoad fructus separatos quia nemo pt. fieri ditior cum alterius iactura.

Ecclesia vel beneficium unius ex resignantibus alteri vicissim conferatur.

121. Ut patet talis permutatio privata auctoritate fieri nequit, et qui privata auctoritate beneficia permutare ausi sint, iisdem beneficiis privantur (1).

1) ex justa causa. i.e. ut non laedatur jus alterius. 2) non reservata i.e. ut non laedant libertatem coll. Romani Pontificis. 3) litigiosum quia non est certum quod possessor habet plenum jus in beneficio

122. Permutatio autem beneficiorum fieri debet 1) ex iusta causa. 2) beneficium ut sit permutationis capax oportet ut sit non reservatum, non [3] litigiosum, non unitum, non patronatum, non electivum. 3) Permutatio auctoritate superioris fieri potest.

123. Beneficia permutata non censentur vacare nisi post perfectam ex utraque parte permutationem.

Articulus 4.

De depositione et degradatione.

124. Tandem iurisdictio cessat per clerici depositionem. Depositio simplex est poena ecclesiastica qua clericus aut a suscepti ordinis exercitio aut ab officio et usu ecclesiasticae iurisdictionis aut a beneficio aut ab omnibus his simul salvo tamen privilegio Canonis et Fori perpetuo removetur (2).

---

(1) Cfr. cap. 8. de praeb. et dignit. Cap. 5 et 7. de rerum permut.

(2) Bened. XIV. de Syn. dioec. l. IX. Cap. VI.

Beneficia p. esse inaequalia { 1) tum spiritualiter: major dignitas
2) " materialiter

Sunt tres casus beneficiorum inaequalium.
1) Beneficia habentia eamdem materialiter sed diversam spiritualiter non p. permutari dando aliquam compensationem pro majori dignitate spiritu.
2) Beneficia cum eadem spirituali sed diversa materiali p. permutari dando compensationem cum permissione superioris
3) casus supra

125. Degradatio est poena ecclesiastica qua clericus per iudicis sententiam ordine et munere clericali ideoque et beneficio et officio perpetuo privatur, simulque Curiae saeculari traditur eaque traditione Fori etiam et Canonis privilegio spoliatur (1).

126 Episcopus, Vicarius Generalis, ac Sede vacante etiam Vicarius Capitularis potestatem habent inferendi poenas depositionis simplicis, vel degradationis verbalis. Ut vero Episcopus possit inferre realem degradationem quae nempe iuxta praescriptas caeremonias infertur oportet ut sit etiam consecratus, imo si degradatio realis locum habuerit solus R. Pontifex potest clericum degradatum in pristinum restituere: secus etiam Episcopus.

127. Et depositio et degradatio ob crimina enormia tantummodo inferri possunt, sed pro simplici depositione delicta non sunt in iure taxative enumerata sed iudicis arbitrio relinquuntur, sed ut degradatio inferatur oportet ut crimina patrata fuerint quae nominatim in iure exprimuntur, et veluti ex criminibus ecclesiasticis nominatur 1) haeresis aut apostasiae (2) 2) celebratio missae aut

---


(1) Reinfestuel h. t. n. 32.

(2) cap. 9. et 15. de aeret. Cap. 1. et 4. eod. h. t. in 6.

16.

permutationes haec prohibitae sunt { reciproca, Jacius permutans cum Autoris propinquo. Quia Eccl. non vult caro et sanguinem intrare in re spirituali
triangularis quand permutatio conficiatur inter tres beneficiarios

exceptio sacramentalis confessionis ab eo qui sacerdotium non suscepit (1) - Ex criminibus civilibus nominatur 1) assassinium (2) 2) crimen patrati abortus (3) 3) Falsatio litterarum Apostolicarum (4) ect. Caeterum quoties Clericus fuerit depositus ac excommunicatus si incorregibilis evadat, etiam ob crimina enormia at non expressa in iure degradari potest (5).



(1) Bened. XIV. Const. Sacerdos 20 Apr. 1744 - Const. Quam grave 2. Aug. 1757 Const. divinarum 1757.

(2) Cap. 1. de homicid. in 6.

(3) Sixtus V. Constit. Effraenatam 1588

(4) Cap. 7. de crimine falsi - Cap. 27. de verb. sign.

(5) Cap. 10. de iud. Benedictus XIV - de Synod dioeces. L. IX. c. 6. n. 9.

De Iudiciis Ecclesiasticis

CIVILIBUS, CRIMINALIBUS, ET MATRIMONIALIBUS

Summarium

Sectio 1.a

DE IUDICIIS CIVILIBUS ET CRIMINALIBUS

FR. SOLIERI

1. Solieri: 1901.   Lit. O. Consorti Via Bocca di Leone N.° 12.

Monitum

Haec scripta sunt ut solummodo discipulorum utilitate inserviant, minime vero ut in publicum prodeant.

INDEX

De Iudiciis Ecclesiasticis

94

25. Solieri. 1901.



Finis.

De Iudiciis Ecclesiasticis

Exponitur hic modus quo iuxta Ecclesiae canones iudicia ab auctoritate Ecclesiastica peraguntur.

Quo sub respectu Ecclesiastica iudicia dupliciter dividi possunt 1) alia sunt iudicia sive civilia sive criminalia 2) alia iudicia matrimonialia.

Etenim iudicia matrimonialia ad speciem iudicii civilis revocari debent, tamen cum in matrimonialibus causis praecipue de sacramentalis vinculi valore agatur atque ideo de ipsorum coniugum collusione cavenda iudicialis acta processus non erunt efformanda ad aliorum normam iudiciorum praesertim civilium sed iuxta normam ab ecclesiastico iure traditam, praesertim in celebri Benedicti XIV constitutione "Dei miseratione". Diversa igitur in sexione, agendum 1) de modo quo iudicia civilia et criminalia peraguntur 2) de modo quo iudicia matrimonialia conficiuntur.

2. Verum quod attinet ad iudicia civilia et criminalia haec duplici sub forma istitui possunt, forma nempe solemni plenaria et ordinaria et forma economica summaria et extraordinaria. Illae sunt in quibus omnes iuris solemnitates servantur quae non modo iudicii sub=

stantiam sed etiam extrinsecam formam attingunt iure positivo inductam, ista vero sunt in quibus ea dumtaxat servantur quae ad iudicii naturam seu ad veritatem dignoscendam sunt necessaria (1).

3. At ob angustias quibus fere ubique Ecclesia premitur iudicia summaria et economica iam ordinaria evaserunt. Instructio Sacrae Congregationis EE. RR. pro exarandis iudiciis in forma economica in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum sub die 11. Iunii 1880 lata ita incipit: Haec Sacra Congregatio EE. et RR. mature perpensa actuali Ecclesiae conditione quae fere ubique praepeditur exercere externam iurisdictionem super rebus et personis ecclesiasticis ac prae oculis habito defectu praesidiorum quibus Curiae Ritu Ordinario functiones forenses explicare queunt locorum ordinariis facultates expresse concedit adhibendi formas magis economicas. Et art. 10. ait: Cum agendum est criminaliter sive ob delicta communia, sive ob transgressionem legum ecclesiasticarum vel praecepti violationem processus construi potest. formis summariis et sine strepitu iudicii servatis tamen iustitiae regulis substantialibus. Item Instructio S. Congregationis de Prop. Fidei de modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum infaederatis stati-

(1) Clem. 2. de verb. signif.

bus Americae Septentrionalis art 10. haec habet: In actione criminali vel ob praecepti inobservantiam vel ob communes reatus vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem processus summarie et sine strepitu iudicii servatis semper in tota sua substantia iustitia regulis conficiatur (1).

4. Falleret tamen qui iudicia solemnia praedictis instructionibus abolita esse censeret. Nam art. 9. iusta S. Cong. EE. RR. regulam tradit qua Ordinarii locorum discernere valeant quando et quas iudiciorum solemnitates servare debeant et quando possint formis economicis uti in irrogandis poenis. Quod vero ait S. Cong. art. 9. ad irrogandas poenas Ordinarii animadvertant per praesentem instructionem non derogari solemnitatibus iudiciorum praesertim a Sacris Canonibus Constitutionibus Apostolis ac aliis dispositionibus Ecclesiasticis, quotiescumque iste libere et efficaciter servari queant: sed formae economicae invectae sunt pro iis casibus et iis curiis in quibus non possit vel non expediat confici solemnis processus

5. Cum res ita se habeant nos agentes de iudiciis ecclesiasticis sive civilibus sive criminalibus, de iudiciis plenariis et solemnibus haud solliciti erimus cum uti monuimus iudicia summaria et canonica iam ordinaria eva=

---

(1) Collect. Sac. C. Prop. Fid. n. 78.

serint. Coeterum notum est Episcopos quoad crimina occulta facultate gaudere procedendi ex informata conscientia (1).

Quamobrem agemus in prima Sectione 1a) De iudiciis civilibus et criminalibus in 2a) De iudiciis matrimonialibus in 3a) Appendicis causa de modo procedendi ex informata conscientia.

Sectio 1a

De Iudiciis Ecclesiasticis sive civilibus sive criminalibus forma economica peragendis.

6. Antequam nullatenus tractationem ingrediamur cum iudicium non sit nisi legitima et ordinata inter duas vel plures personas super aliqua re controversa apud competentem Iudicem disseptatio et definitio cumque inter actorem et reum multiplex litigandi causa esse possit vel ex diversa natura iudiciorum vel ex persona Iudicis actoris vel rei, quae causas praeiudiciales constituunt quasi iudicii peragendi substratum, nonnulla de his praemittenda videntur.

Prolegomena

Videbimus 1) quomodo dividantur iudicia 2) quaenam personae iudiciis interveniant 3)

---

(1) Trid. C. 1. §. 14. De reform. Instr. S. C. E.E. et R.R. art. 9.

quinam agere possint in iudicio 4) quinam conveniri possint in iudicio 5) quinam sit Iudex competens.

§ 1.

Quomodo dividantur iudicia.

Iudicia tripliciter dividi possunt a) ratione formae quae pertractantur b) ratione finis in quem iudicium tendit c) ratione obiecti de quo in iudicio disceptatur.

Ratione formae iudicia alia sunt solemnia, plenaria et ordinaria, alia sunt oeconomica, summaria, extraordinaria. - De his iam supra diximus.

Ratione finis in quem iudicium tendit iudicium aliud est a) criminale, b) aliud civile, c) aliud mixtum. - Criminale est iudicium quando principaliter ad publicum commodum seu ad poenam ordinis reipublicae laesi vindicem et ex delicto dumtaxat agitur. Delictum est = actio vel omissio iniusta auctori suo imputabilis, socialem ordinem turbans = et secundum quod delictum est ecclesiasticum, civile vel mixtum indicicium criminale vel ecclesiasticum, civile vel mixtum est. - Delictum esse potest vel) ecclesiasticum, vel civile, vel mixtum. = 1) Delicta mere ecclesiastica ea sunt quae ecclesiae formaliter, qua determinata societas est: opponuntur, talia sunt haeresis, schisma, simonia, violatio sigilli sacramentalis. 2) Delicta mere civilia sunt quae societa=

tem civilem formaliter consideratam eiusque iura pessumdant, uti homicidium, furtum, rapina. Haec si a clericis fiant, ratione personae, pertinent ad Ecclesiae iudicium. 3) Delicta mixta, sunt quae utramque societatem offendunt uti sacrilegium, periurium, delicta contra bonos mores. - In his delictis fit locus iuri praeventionis nisi ratione personae clericorum iudicium sit Ecclesiae reservatum.

Civile autem iudicium dicitur si praecipue instituatur ad damnum privatorum compensandum sive) ex contractu, vel quasi-contractu, sive) ex delicto aut quasi-delicto processerit.

Mixtum cum ium ad privatorum tum) ad publicum commodum iudicium instituatur.

Ratione obiecti iudicium aliud) est temporale vel spirituale, aliud) petitorium vel possessorium. Temporale vel spirituale dicitur iudicium prouti quaestio agitur de re temporali, vel spirituali vel saltem spirituali adnexa, quo in casu iudicium mixtum ratione obiecti definiri posset. Petitorium iudicium est si quaestio de rei proprietate vel de aliquo iure fiat. Possessorium e contra si quaestio fiat de rei possessione vel de iuris quasi-possessione sive adipiscenda sive retinenda, sive recuperanda. - Quamobrem in possessorio quaestio fit de facto, iuris quaestione posthabita. De hoc enim agendum est in iudicio petitorio a quo omnino pendet an retractari debeat vel non sententia quae lata est in possessorio.

Interdicta sunt conceptiones verborum quibus praetor aliquid facere iubet aut fieri prohibet

§ 2.

Quaenam personae iudiciis interveniant.

Ex ipsa iudicii definitione tres principales personas iudiciis interesse deducitur: sunt autem iudex, actor, et reus. Hisce alii accedunt qui etsi aliquando necessarii tamen accessorii dici possunt quatenus iudiciali actioni quae se inter actorem et reum coram iudice evolvit, cooperantur. Tales sunt Defensores, Cancellarius, Auditor seu actorum redactor, Notarius seu Actuarius, nec non Opp~~ositores~~aratores et testes.

Iudex est = qui publica auctoritate iudicio praeest ac iudex appellatur, tum quia ius dicit tum quia aliquando rem controversam secundum iuris praescriptiones definit.

Actor dicitur ab agendo et est qui actionem proponit reumque ad iudicem provocat: in criminalibus actionibus dicitur accusator. Imo in criminalibus actionibus deficiente accusatore Magistratus actionem criminalem ex officio vel praevia denominatione instituit, actoris partem gerit Procurator fiscalis.

Procurator fiscalis qui etiam Promotor et advocatus Fiscalis nominatur ab Episcopo constituitur ut "iustitiae et legi satisfiat" Instr. Congr. Prop. Fid. art. XIII = Eius generale officium et iustitiam et legem tueri ne violentur, et si violatae sint vindicare. Quare semel cognita legis violatione Procurator instat apud Episcopum ut inquisitio

instituatur et si opus fuerit in inquisitum procedatur. Cuius rei causa ipse ab Episcopo agendi et processum promovendi mandatum accipit. Ipse ut processus informativus conficiatur curat, nec non ut reus et testes citentur atque examinentur, ut contumaces si opus fuerit, declarentur, ut lis contestetur ut defensor a reo electus approbetur, vel ex officio designetur, ut sententia feratur, intimetur et appellatione non interposita executioni mandetur.

Reus est qui in ius ab actore, accusatore, aut a Procuratore fiscali provocatur. Reus appellatur vel a reatu de quo accusatur vel a re de qua disceptatio instituitur.

Defensor est qui rei nomine, actoris, accusatoris, vel Procuratoris fiscalis actionem iuris praesidio impetit. In causis civilibus defensorem eligere vel non ab arbitrio rei ac actoris pendet. Defensor in causis criminalibus et disciplinaribus clericorum est semper vir ecclesiasticus. Ipse reus suum defensorem eligere potest ac iudex electum vel approbare vel reprobare valet. Quod si reus defensorem adprobatum non eligat iudex ex officio idoneum defensorem ei statuit. Ut defensor cum causae cognitione reum defendere valeat, debitis cautelis servatis, ac iuramento si opus fuerit de secreto servando emisso, in curiae cancellariae processum eiusque summarium inspiciet eiusque exemplar pro lubito depromit. Instr. Cong. Prop. Fid. art. 32.

inter criminalia et disciplinaria:
differentia solum est quoad maiorem vel minorem culpam.

Cancellarius est officialis qui secundum iudicis vel auditoris, vel Procuratoris Fiscalis instructiones actus conficit et obsignat si ad convaliditatem requiritur.

Testes sunt personae idoneae quae propriis attestationibus vel actorem vel reum coram iudice patrocinantur. Hinc alii sunt testes actoris, alii defensionis.

Hisce Episcopus pro rei necessitate addere potest Auditorem seu actorum redactorem pro compilatione processus informativi, Notarium seu actuario pro actibus conscribendis, et apparitores pro intimationibus vel notificationibus faciendis, vel si desint alia persona qualificata instituatur, vel etiam a Curia per publicos tabellarios commendatae (quibus in locis hoc systema viget) notificationes et intimationes transmittantur exquisita fide exhibitionis atque acceptationis vel repudii. Ceterum intimationes et notificationes semper in scriptis absolute fiant. Tandem notandum est pro rei opportunitate et aliam personam constitui posse quae vel iudicis vel cancellarii vel alterius officialis vicem gerat. Verum ubi curiae non sunt institutae pro processus compilatione in causis discipl. et criminalibus clericorum observatur instructio Congr. Pr. Fid. 20 Iulii an. 1878 = De commissione investigationis = de qua mentio fit in art. XII. instr. eiusdem Congr. de modo servando in cognoscendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum. = Hoc in

articulo praescribitur "ut singuli Antistites in Synodo Diocesana audito clericorum consilio quod tamen sequi non tenentur, quinque vel ubi adiuncta rerum id fieri non sinant tres saltem praesbiteros ex probatissimis et quantum fieri poterit in iure canonico peritis seligant ad huiusmodi officium ut in praedicta instructione declaratum extat, exercendum. Quod si ob aliquam causam gravem Synodus haberi nequeat, quinque vel tres ut supra ecclesiastici ~~nisi~~ viri per episcopum ad idem munus deputentur. Electi in officio manebunt usque ad proximum diocesanae Synodi celebrationem, in qua vel confirmantur vel alii eorum loco designantur. Quod si interdum morte aut renunciatione vel alia causa praescriptus consiliariorum numerus minuatur, episcopus audito consilio caeterorum ad commissionem pertinentium alios sufficiet. Porro haec commissio consultorum iureiurando obstricta tenetur ad officium fideliter adimplendum et praeside Episcopo vel Vicario generali rem suam aget."

§ 3.

Quinam agere possint in iudicio uti actores.

Principium iuris generale est = omnes posse agere in iudicio uti actores nisi iure prohibeantur = Nonnulli prohibentur 1°) propter censuras quibus ligantur 2) propter defectum voluntatis quam per professionem religiosam amisisse

censentur 3) propter ius coarctatum in administratione rerum ecclesiasticarum.

Quoad primum = post constitutionem Martini V. = ad evitanda = excommunicati vitandi nempe non tolerati ipso iure ab actoris munere prohibentur ita ut ab ipso iudice ab agendo sint repellendi. cap. 12. de except. Non vitandi vero seu tolerati ad agendum admittuntur at ope exceptionis removeri possunt - cap. 1. de except. in VI. - ex cap. 2. et 5. decr. de except. = Verum excommunicati sive vitandi sive non uti actores agere possunt sive in causa suae excommunicationis et appellationis tum in eadem tum alia causa, sive si sint actores necessarii prout in causis in quibus excommunicati exclusione, animarum periculum verificatur, aut si periculum sit in mora.

l. c. ff. partem rei ipsius

Quoad secundum = Principium est generale = regulares admittendos non esse ad agendum in iudicio nisi ex superioris licentia = Nam ut quis in iudicio agere possit uti actor oportet ut suam iuridicam personalitatem coram societate independenter habeat, quod accidit si sit sui iuris. = Religiosus vi professionis religiosae sui iuris non est cum eius personalitas iuridica coram Ecclesia in ipso ordine sustineatur ad quem pertinet. Quare prouti hac de causa religiosus omnibus iuribus et privilegiis sui ordinis gaudet ita etiam illis expoliatur iuribus quae ad fideles pertinent quatenus pro-

priam personalitatem iuridicam independenter gerunt. Consequitur quoad religiosus agere non potest in iudicio nisi Religionis nomine; quod fit si agat superioris tantum auctoritate. Hinc religiosis iuris principium applicatur iure romanorum pro iis qui sunt sub potestate vel patria vel dominica inductum = quidquid religiosus acquirit non sibi sed monasterio acquirit = c. 6. de statu Monach. in decret.) Excipitur tamen 1) in causis contra proprium Praelatum vel) quia Praelatus deliquerit vel rei correctio aut monasterii reformatio impediatur, vel) quia religiosus iniuste vexatum se sentiat, et ita agere potest ex. gr. ne eiiciatur, ne alimentis privetur ect. Superioris autem licentia est expressa vel tacita, vel praesumpta. = Ad rem sufficit licentia praesumpta tum si religiosus ex. gr. legitima a Superioris ~~residentia~~ licentia absit neque Superior interpellari possit; vel) si Superior sit absens et periculum sit in mora, vel) si religiosus Superioris consensu habeat et administret beneficium ac quaestio circa beneficium oriatur. = Si enim Superior beneficii administrationem concessit ea etiam concessisse videtur quae necessario cum ipsa administratione connectuntur prouti agere in iudicio ad beneficialium iurium defensionem.

Quoad tertium = Praelatus recte actionem in iudicio movet sine consensu capituli nisi tamen causa ad capituli administrationem simul spectaret, aut nisi valde ardua sit, aut ius singu=

lare non obstaret. Quare circa Praelatos regulares propria ordinum statuta sunt observanda, nec non quo ad alios locorum servantur consuetudines quae saepe saepius legitimis iuris constitutionibus derogare possunt. – Verum si ex Praelati legitima actione grave damnum Ecclesiae passa sit, quisque ex capitulo in integrum restitutionem petere valet. Ceterum his exceptis ius canonicum dispositiones iuris civilis recipit, et ita ab agendo prohibentur furiosi, mentecapti, prodigi, quibus bonorum administratio legitime est interdicta, pupilli et minores sine tutoris auctoritate, (Exceptis clericis minoribus puberibus in causis beneficialibus et spiritualibus nec non laicis fidelibus in causis matrimonialibus vel iuris patronatus) qui sub patria vel dominica potestate sunt constituti; mulieres in criminalibus nisi suam vel suorum iniuriam prosequantur, aut publica utilitas id postulet. Actor autem agere potest vel per se vel per procuratorem exceptis causis criminalibus in quibus actor per se querelae subscribit et nomine eius causa geritur. Instantiae sunt perpetuae in sensu iuris quatenus nempe post 30 annos praescribuntur. Attamen Trid. statuit ut ordinarii causas absolvere debuerint intra biennium quo expleto partes ad iudicem superiorem recursum habent.

§ 4.

Quinam conveniri possint in iudicio.

Principium generale est = omnes in iudicio iudicis subditos conveniri posse servatis tamen iuris limitationibus. Quare conveniri nequeunt a) minores absque curatoris consensu nisi de clerico minori pubere in causis beneficialibus et spiritualibus. b) excommunicatus vitandus non convenitur nisi per procuratorem designatus; attamen ex hodierna disciplina consuetudinaria excommunicatus vitandus per se conveniri posse videtur cum eius conversatio nonnisi in divinis prohibita habeatur. c) Religiosus professus de causa civili; eius enim loco monasterium convenitur; in causis vero criminalibus criminaliter actis* ipse religiosus conveniendus est. - Agitur enim de facto personali de quo ipse religiosus personaliter rationem reddere debet.

Interea reus vel per se vel per procuratorem in iudicio sistere potest qui negotia litis in domini utilitatem agit, fitque post litis contestationem dominus ipsius ita ut omnino rei personam gerere dicatur. = Quamobrem procurator ab advocato differt qui pro reo postulat eumque iuxta iura defendit. Aliter vero dicendum si iudicis iudicio necesse sit ut reus per se iudicio adsistat prouti in causis criminalibus accidit, vel si agatur de iura=

(*) causa criminalis civiliter acta ad emendandam indemnitatem ∴ immediate ad bonum individuum.
Causa criminalis criminaliter acta ad infligendam poenam ∴ immediate ad bonum publicum.

mento praestando.

§ 5.

Quinam sit iudex competens.

Principium generale est = iudicem competentem esse qui iurisdictione iudicialiter pollet = Verum an iudex iudicialem iurisdictionem habeat - tum) ex parte ipsius iudicis, tum) ex parte rei in quem iudicium fertur, tum) ex parte causae de qua disceptatio instituitur et decisio profertur cognosci debet

a) Ex parte iudicis = Ad iurisdictionem exercendam nonnullae conditiones quae negativae dici possunt, nonnullae vero positivae requiruntur. Negativae conditiones in hoc sistunt ut iudex neque natura, neque lege, neque moribus a iurisdictione exercenda prohibeatur. Quapropter iudices 1) natura esse nequeunt surdi, muti, amentes, impuberes 2) lege infames, haeretici, sacrilegi, excomunicati et alii prohibentur 3) moribus servi et foeminae repelluntur. Positivae conditiones exigunt ut iudex praecedat iurisdictione vel ordinaria, vel delegata, vel saltem partium electione quo in casu arbiter iudex appellari solet et dicitur iuris si a iure electio statuatur, secus arbiter voluntarius appellatur. Iudex ordinarius ille est qui iurisdictionem vi dignitatis vel officii habet, eamque nomine proprio exercet. Cum hic de iudiciis ecclesiasticis sermo sit consequitur iudicem ordinarium

esse Summum Pontificem pro universali Ecclesia vel Episcopus diocesanus praelatosque inferiores qui ordinaria iurisdictione ornati sunt; eorumque delegati sive agatur de delegatione a iure, sive de delegatione ab homine. Iurisdictionis ordinariae triplex dos est nempe a) ut iure et nomine proprio exerceatur b) ut delegari possit c) ut in totum territorium et in omnes personas eiusdem territorii explicatur: ita ut qui dixit exemptum habeat hoc probare uti ait Glossa in cap. 7. de off. iud. Ordinarii in 6. Quare ut ait Van-Espen nullus potest iudicis munere fungi in diocesi nisi probet coram Episcopo suam iurisdictionem imo ut dicunt Canonistae si alicui concedatur a Summo Pontifice iurisdictio in diocesi intelligitur data cumulative cum Episcopo nisi aliter probetur. Iudex autem delegatus ille est qui nomine alterius iurisdictionem dicit. Delegatio est a iure vel ab homine, vel ad universalitatem causarum vel ad nonnullas causas, vel personalis vel realis. - Delegatus subdelegare potest si 1) ad universalitatem causarum fuerit delegatus vel 2) a Romano Pontifice delegationem habuit vel 3) subdelegandi a delegante potestatem habuit. In quocumque casu tamen delegatus non subdelegat si eius industria electa est. Delegata potestas cessat morte delegantis re adhuc integra, vel morte delegati si sit personalis vel revocatione mandati, vel prolatione sententiae et executione

eiusdem si a R. Pontifice iudex delegatus fuerit. In genere nonnisi clericus ecclesiastica iurisdictione capax est, at S. Pont. ex certa scientia potest etiam laicis sub apostolici privilegii forma in aliqua peculiari causa ecclesiasticam iurisdictionem committere.

b) Ex parte rei in quem fertur iudicium.

Principium generale est = actor sequitur forum rei. = Cuius principii ratio satis perspicua videbitur animadvertentibus in iudicium iurisdictionem exerceri directe in reum, in actorem autem nonnisi indirecte. Ex rei enim absolutione vel condemnatione actoris iura determinantur.

Interim reus iudicis subditus fieri potest dupliciter vel) modis ordinariis, vel) modis extraordinariis. = Modi ordinarii sunt 1) ratione domicilii 2) ratione contractus 3) ratione delicti 4) ratione rei sitae. = Modi extraordinarii sunt 1) ratione Romanae Curiae iurisdictionis 2) ratione prorogationis iurisdictionis 3) ratione connexionis causarum 4) ratione privilegii 5) ratione praeventionis.

De modis ordinariis.

Ratione domicilii vel quasi domicilii. Etenim cum ratione domicilii quis pertineat ad territorium in quod iudicis potestas evolvitur eiusdem iudicis naturalis subditus efficitur, vi cuius subiectionis eius forum sortire valet. Non sufficit originis domicilium sed requiritur ha=

bitationis, imo ex habitatione 10 annorum domicilium quis sortitur etiamsi de intentione non constet. Et etsi quoad quasi-domicilium doctores hinc inde dividantur tamen melius iuri cohaerere sententia affirmativa videtur cum saepe saepius in iure duplex domicilium dicatur aliquis habere posse aliud principale, aliud minus principale. Ex quibus consequitur 1) quod vagi ubi actu vagantur conveniri possunt cum ibi domicilium habere intelligantur, secus de peregrinis dicendum iis exceptis in quibus loci legibus obligantur. 2) qui duplex habet domicilium in unoquoque conveniri potest.

Ratione contractus. = Ubi quis contrahit ibi forum ratione contractus sortitur cum ille qui in illud territorium iurisdictionem habeat sit legitimus iurium defensor quae creditori ex contractu obvenerunt, cumque contractus iniri debeant iuxta locorum leges ac consuetudines. = Nisi tamen partes locum elegerint in quo obligatio solvenda esset; tunc enim hoc in loco forum sortiuntur cum alium iudicem elegerint quasi arbitrum.

Ratione delicti. Quisquis sortitur forum in loco ubi crimen patravit etiamsi alibi sibi domicilium habeat. Quod iure inductum est tum) quia acta iudicialia in loco patrati delicti melius componi possunt, tum) aequum est ut ordo laesus ibi per iudicis sententiam restituatur ubi laesionem passus est. = Verum incongruum

esset ut iudex latam sententiam in clericum executioni mandaret, qui alteri ordinario ratione domicilii subest, cum sententiae executio territorii alicui violationem secumfert. Qua de causa sententiae executio pertinet ad ordinarium domicilii.

Peregrini legum particularium transgressores puniri nequeunt, cum subditi non sint neque ad eas leges teneantur nisi agatur de legibus quae respicierat contractus, vel delicta, vel de legibus ex quarum violatione oriatur damnum aut scandalum, vel de legibus quae expresse cavent de peregrinis.

Ratione rei sitae. Quis sortitur forum in loco ubi res litigiosa reperiatur dummodo actione reali agatur, sive res sit mobilis sive immobilis. Oportet tamen ut res permanenter nec precario in iudicis territorio reperiatur. Caeterum forum ratione domicilii cum omnibus aliis foris concurrit.

De modis extraordinariis

Ratione iurisdictionis Romanae Curiae.

Hac de causa quis sortitur forum Romanae Curiae dupliciter 1) Advenae et peregrini in Curia Romana conveniri possunt si Romae existant etiamsi in conditionibus non versentur quibus Romae ordinarium forum sortiri valeant. Clerici autem a Romana curia iudicari possunt in omnibus causis, sive ecclesiasticis sive temporalibus, sive civilibus, sive criminalibus; laici

vero tantummodo in causis ad Ecclesiae forum pertinentibus. Pontifex enim vi primatus iurisdictionis quod omnes fideles iudex est ordinarius. Verum quisque ex iusta et necessaria causa ius habet revocandi causam Romae intentatam ad domicilii forum ubi facilius se defendere possit. Quo privilegio tamen non gaudet qui Romam solatii causa aut nulla necessitate obstrictus venerit. - 2) Pontifex ius habet avocandi ad suum tribunal causas quae in inferiori tribunali agitantur.

Ratione prorogationis iurisdictionis.

Prorogatio iurisdictionis definitur = extensio iurisdictionis iudicis de consensu partium facta ultra limites inter quos ceteroquin esset constricta = Quare prorogatio fieri potest quadrupliciter: 1) De persona ad personam, 2). de re ad rem seu de causa ad causam quae cum illa relationem habeat, 3) de tempore ad tempus, 4) de loco ad locum. De persona ad personam cum partes litigantes iudici se subiiciunt qui in eos ceteroquin iurisdictionem non haberet. De re ad rem prorogatur quando iudex constitutus pro decidenda aliqua causa ex consensu partium fit competens quoad aliam quae cum illa relationem habet, nisi quoad hanc postremam iudex ex alia parte sit incompetens sicuti iudex de civilibus de criminalibus iudicare non potest. De tempore ad tempus quando ex iure vel ab homine tempus est statutum intra

quo causa finiri debet, ut ex partium consensu tempus protrahitur. Attamen si de iudice delegato sermo sit oportet ut tempus non sit iam lapsum. De loco ad locum quando ex partium consensu iudex extra locum praefixum procedit. Verum si agatur de iudice delegato fieri non potest prorogatio de persona ad personam, vel de re ad rem cum hoc praetergrediatur potestatem delegatam nisi agatur de accidentalibus iudicii. Omnibus in casibus ut prorogatio fiat requiritur 1) ut partes in iudicium ex certa scientia consentiant, 2) ut ad hanc prorogationem partes non sint iure prohibitae.

Ratione connexionis causarum.

Est enim principium = causae continentia dividi non debet. - Quae causarum connexio haberi potest 1) ratione dependentiae unius causae ab alia uti accidentalis cum principali connectitur 2) ratione generalis actionis sub qua plures causae continentur uti esset actio tutelae 3) vel ratione personarum quatenus plures apud eumdem iudicem conveniantur.

Ratione privilegii fori.

Fori privilegium competit clericis qui huius privilegi causa ad seculare tribunal trahi non possunt. Fori privilegium ex iure ecclesiastico est etsi in iure divino fundamentum habeat. Quare probabilius neque R. Pontifex fori privilegium penitus abrogare posset. Clerici certe nequeunt huic privilegio renunciare quod

directe est in bonum communitatis indirecte vero in individui commodum.

Ex Ecclesiae dispositione privilegio fori gaudent 1) clerici maiores 2) clerici minores etiam si sola tonsura sint insigniti dummodo a) habitum clericalem atque tonsuram deferant b) alicui ecclesiae inserviant ex Episcopi mandato. Quod si agatur de clerico minori coniugato additur tertia conditio c) dummodo nupserit uni et virgini.

Nomine autem clericorum in casu veniunt non modo clerici saeculares sed et regulares et novitii et moniales conversae, et novitiae, nec non heremitae qui habitum ab Episcopo, susceperint et ab eius iurisdictione dependeant.

Si contractus initus fuerit, vel delictum patratum, vel in genere factum positum fuerit a clerico antequam clericali militiae esset adscriptus, clericus privilegia fori gaudere nequit 1) si res non sit amplius integra quia iam de ea vidit iudex laicus, executio sententiae tamen pertinet ad Episcopum 2) si clericus in fraudem legis ad vitandum laicale iudicium habitum clericalem susceperit. Attamen executio contentio laicali pertinet ad Episcopum ob personalem clerici immunitatum. Ad rem notanda est responsio S. Congr. Supr. Inquis. lata die 23 Ianuarii 1886 qua declaratur excommunicationem in Const. Ap. Sedis latam contra trahentes ad saeculare

tribunal clericos non tangere nisi legislatores qui suis legibus Ecclesiae privilegio detrahunt. Actores autem etsi peccent tamen excommunicationem non incurrunt.

Ammittitur privilegium fori.

1) Degradatione quae inferri potest a) ob crimina in iure expressa uti ob crimen assassinii, falsificationis litterarum Apostolicarum b) ob alia graviora crimina etsi in iure non expressa dummodo tamen clericus incorregibilis evaserit quia aliarum poenarum applicatio inutiliter praecesserit.

2) Si clericus per integrum annum exercuerit autem mimicam, vel histrionis iudicis sententia privilegio fori privatur.

3) Si clericus minor carens beneficio vel) non defert constanter habitum et tonsuram vel) non inservit alicui Ecclesiae vel) non versatur in Seminario vel in aliqua studiorum universitate de Episcopi licentia. Verum sententia iudicis declaratoria est necessaria. Quod si clericus habeat beneficium etsi in his casibus fori privilegium non amittat tamen censuris eius contumacia contundi potest.

4) Si clericus minor nupserit vel pluribus successive, vel uni non virgini.

Ratione praeventionis

Similiter iudex ratione praeventionis fit competens. Inducitur autem forum praeventionis etiam sola citatione legitime interpo=

4 Solieri. 1301.

sita dum unus iudex competens citando iurisdictionem alterius in eadem causa competentis praevenit, sicuti in causis mixti fori, et in delegatione plurium ut singulorum in solidum. Nam citatione perpetuatur iurisdictio tam iudicis ordinarii quam iudicis delegati iuxta principium: ubi inceptum est semel iudicium ibi et finem accipere debet.

C) <u>Ex parte causae.</u>

In causis enim ecclesiasticis iudex competens solus iudex ecclesiasticus dicendus est. Causae ecclesiasticae dupliciter distinguuntur aliae) enim sunt civiles; aliae) sunt criminales; iuxta ea quae diximus de divisione iudiciorum. Causae civiles ecclesiasticae tripliciter distinguuntur aliae) sunt intrinsece spirituales videlicet fides, sacramenta, divina officia, ministeria, potestas excommunicandi ect. aliae) sunt spirituali adnexae et sunt res temporales quae spiritualis aliquid adnexum habent quod vel praecedunt, vel concomitantur, vel consequuntur uti sunt beneficia, pensiones, decimae, oblationes, templa, calices, ect. aliae) sunt per accidens spirituales scilicet spirituales — ratione alicuius circumstantiae quod quinque modis contingit nempe ratione iuramenti, ratione stipulationis contractus coram Notario Ecclesiastico, ratione peccati, vel peccandi periculo, ratione denegatae vel protractae iustitiae et ratione protectionis miserabilibus perso-

Admittitur ratio praeventionis in Romana curia nisi in illis causis quae specialiter pertinent ad certam congregationem

nis ab Ecclesia debitae.

Causarum criminalium materia in delicto posita est. Delictum est = libera ac voluntaria divini aut humani iuris violatio quae in detrimentum Ecclesiae vel civilis societatis redundat. = Hinc criminum divisio orta est in ecclesiastica, civilia, et mixta = Ecclesiastica sunt quae fidem et religionem directe laedunt uti apostasia, haeresis, simonia. Haec delicta puniuntur privative ab Ecclesia etiamsi agatur de laicis. Civilia sunt quae directe laedunt rempublicam civilem, uti homicidium, furtum ect. quae quoad forum externum pertinent ad civilem potestatem punire = Mixta sunt quae religioni et reipublicae nocent, veluti usura, adulterium ect.; haec obnoxia sunt tum Ecclesiae tum reipublicae coercitioni servata lege praeventionis

x Notetur quod causae maiores ad R. Pontificem pertinent. Haec a Glossatore Decretalium ad cap. quoad translationem de officio Legati 22 enumerantur. In genere causae maiores causae gravioris momenti censentur, at has causas definire ad R. P. pertinet ut ait Innocentius I ad Victricium Rathomagensem.

Si reus coram iudice notorie in competente conveniatur comparere non tenetur, secus comparere tenetur et suam exceptionem ostendere; ratio est quia iudex competens praesumitur nisi contrarium probetur. Ceterum iudicium fer-

re de iudicis competentia ad eumdem iudicem pertinet. Secus si iudex uti rationabiliter suspectus recusatur.

Hisce praehabitis quae veluti fundamenta iudiciorum ecclesiasticorum constituunt, iam nobis agendum est de iudiciis civilibus et criminalibus seu disciplinaribus ecclesiasticis forma oeconomica peragendis.

Cum iudicium sit = causae legitima et ordinata disceptatio, cognitio ac decisio apud legitimum iudicem inter actorem et reum; integra de iudiciis materia tribus titulis comprehenditur. In 1°) agitur de iis quae causae disceptationem precedunt, in 2°) de causae disceptatione, 3°) in 3.° de iis quae causae disceptationem consequuntur seu de conclusione in causa.

Titulus 1.

De iis quae causae disceptationem praecedunt.

Causae disceptatio procul dubio incipere videtur posteaquam reus actori resistit eiusque actionem inficit animo litigandi quod dicitur litem contestare. Verum antequam deveniatur ad causae disceptationem plura sunt praemittenda. In primis sive agatur de causa civili, sive agatur de causa criminali oportunum est ut iudex cognoscat apprime rem

de qua est iudicandum, quod fit debita inquisitione instituta. Inde aequum est ut res si fieri possit absque iudiciali processu componatur. Dein si hoc fieri nequeat iudex accipit actoris vel Procuratoris fiscalis libellum quo actor suam pandit intentionem in agendo. Quare ad rei citationem deveniendum est nec non ad remedia iuris, si opus sit quibus rei vel etiam actoris contumacia frangitur, et tandem ad litis contestationem. Quibus peractis incipit causae disceptatio.

De his igitur singulis capitibus hoc in titulo agendum est.

Caput I.

De inquisitione pro notitia curiae peragenda.

Videbimus 1) de eius necessitate et divisione 2) a quo et quomodo fieri debeat.

Articulus 1.us

De necessitate et divisione inquisitionis pro notitia Curiae.

Inquisitio pro notitia Curiae est = processus informativus seu informatio preparatoria, id= est examen summarium quo Praelatus procedens vel ex officio vel actione partis inquirit in alicuius rei factum quo reus ad indi=

cium vocandus videtur.

Haec praeventiva inquisitio est omnino necessaria quando agendum est iudicialiter in causis disciplinaribus vel criminalibus clericorum vel si res sit de remediis canonicis contra quempiam forma extraiudiciali applicandis ad hoc ut vel) ad bonam frugem redeat, vel) proximum labendi periculum caveat. - Ita in praed. instr. art. V.

In causis autem civilibus etsi per se non sit necessaria cum actor reum indemnem reddere debeat a damno quod forsitam ex temeraria lite passus est, tamen valde utilis est quia cum plurimum reipublicae intersit ne lites oriantur inquisitione peracta facilius etiam lis componi potest iudiciali processu posthabito. Quare ex dictis oritur iuris principium = Non datur actio forensis contra aliquem quae non incipiat ab inquisitione pro notitia Curiae =

Inquisitio est vel) generalis vel) specialis. - Generaliter inquirit Praelatus quando abusus aut delictum tantum sine delinquentis nomine ad Episcopi notitiam venit. Specialiter aut cum quando uno cum abusu vel delicto etiam nomen delinquentis ad eum delatum est. Si inquisitione generali nomen delinquentis cognoscatur, alia inquisitio specialis est instituenda.

Articulus 2us

A quo et quomodo fieri debeat inquisitio pro notitia Curiae.

1) Inquisitio generalis vel specialis instituitur Praelato vel ex officio vel previa denunciatione, aut actione si de civili causa agatur. Denunciatio est = manifestatio facta superiori alicuius criminis in bonum vel publicum aut privatum. Nomen autem denunciatoris absque eius consensu numquam est manifestandum.

Verum aliquando attendenda est etiam denunciatio anonyma, ut fama, aut rumor inter populum.

2) Praelatus autem ad inquisitionem generalem aut specialem peragendam alium probum virum delegare potest.

3) Inquisitio fieri debet secreto, et inquisitionis resultantia quae testibus caute in Curia ad servandis vallanda est, servari debet in Archivio Curiae etiamsi fuerit reo omnino favorabilis tum) ut si opus fuerit ad ulteriora procedere praelatus possit, tum) ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus, in casu legitimi recursus totius rei rationem reddere valeat.

4) Si vero clericus ob communes reatus a civili potestate, non obstante fori privilegio, in-

dicio subiectus sit, Ordinarius instituit inquisitionem pro notitia Curiae ut videat an ad normam sacrorum canonum infamiae, irregularitatis, vel aliae ecclesiasticae sanctioni locus esse possit. Pendente laicali iudicio prudens est ut Ordinarius ordinationes mere promissorias sumat. Iudicio absoluto si clericus liber remittatur Curia Episcopalis iuxta inquisitionem peractam procedere potest.

Caput II.

De causa extraiudicialiter componenda.

Videbimus 1°) quando locum habere possit causae compositio extraiudicialis et 2) quomodo causa extraiudicialiter sit componenda.

Articulus 1.us

Quando locum habeat compositio extraiudicialis.

Si agatur de causa civili extraiudicialiter componenda res relinquitur omnino arbitrio et prudentiae iudicis, cum compositio directe locum habere debeat inter actorem et reum ipsius iudicis officiis. Excipiuntur in genere causae quae non admittunt transactionem, uti e. g. causae beneficiales.

Quod si de causa disciplinari aut criminali res sit, inquisitione ad finem perducta tria evenire possunt 1°) vel contra aliquem indicia omnino levia resultant 2°) vel indicia admodum gravia quae tamen non constituunt neque semiplenam probationem 3) vel ex indiciis oritur contra aliquem semiplena aut plena probatio In primo casu generatim Praelatus ulteriori processu supersedere debet, actis servatis in secreto Curiae Archivio secus tamen agendum si iuxta facti aut personae circumstantias indicia absolute levia, relative gravia evadant. In secundo casu satius est ut praemissa paterna monitione in utiliter facit praelatus sistat et interim speciali modo reo invigilet, eumque poenis negativis afficiat nova ex. gr. officia denegando, eique subtrahendo sine scandalo tamen eiusque infamia, quae ei ad tempus collata per se cessant. Verum si vocatus copiam sui facere recuset, vel si ex defensione alia graviora indicia exurgant iam ex eius contumacia, vel depositione probatio semiplena habetur vi cuius procedendum est uti in tertio casu. In tertio casu expedit ut res componatur extraiudicialiter si fieri possit. Semiplena probatio ea dici solet vi cuius iudex sine ulteriori processu ad sententiam proferendam procedere nequit etsi aliquam fidem promereatur si secus probatio dicitur plena; sed de his inferius agendum.

5. Sotien. 1901.

Articulus 2.us

Quomodo causa extraiudicialiter sit componenda:

Ut res extraiudicialiter in criminalibus componatur Praelatus adhibet media praeventiva vel repressiva. Illa quidem ad praepediendа mala, scandalorum stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas ordinantur. Haec vero constituta sunt ut delinquens ad bonam frugem revocetur ac culparum consectaria e medio tollantur. - 1) Conscientiae Ordinarii remittitur cuiusque remedii applicatio, canonicis praescriptionibus servatis pro casuum ac circumstantiarum gravitate = 2) Remedia praeventiva praecipue sunt spiritualia exercitia, monitiones, praecepta. = Quare Praelatus secreto inquisitum ad se arcescat, quae contra eum extant accusationes pandat quin tamen notitiae originem et deponentes ei notos faciat modo paternae correctionis. eum moneat ut ad sensus meliores redeat. Quod si vocatus non accedat paternae monitiones vel) per epistolam, vel) per interpositam personam ad eum mitti possunt.

Quod si reus accedat et cum se defendere nequeat culpam confiteatur et ab incepto desistere promittat et reapse satagat ut promissa

exequatur nihil ultra est procedendum. At si negotium in statu sit semiplenae probationis, quin reus accusationes diluere valeat Episcopus et imponere potest purgationem canonicam quae in hoc consistit 1) ut reus praesumptus iuret innocentiam suam 2) ut testes fide digni iurent se credere reum iuxta veritatem iurasse.

Ut testes sint idonei requiritur a) ut noscant vitam et mores rei b) ut sint immunes a studio partium.

Testes si opus sit iurant de secreto servando. Eorum numerus relinquitur arbitrio Episcopi.

Si vero reus vel non accedat etiam post paternas monitiones, vel si accedit ad meliorem vitam adduci non potest Praelato deveniendum est ad canonicas monitiones. Praelatus autem omnino curat ut forma legalis servetur ita tamen ut illarum executio ex aliquo actu pateat. Numero fiunt tres monitiones sex dierum spatio biduo inter unam et aliam intercedente, vel una fit monitio peremptoria. Quod si monitiones etiam legales in irritum cadant Ordinarius iubet per Curiam delinquenti analogum praeceptum intimari ita, ut in hoc explicetur quid ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam si praeceptum transgrediatur, incurrat. Praeceptum delin=

quentis Curiae Cancellario coram Vicario Generali iniungitur aut etiam coram duobus testibus vel ecclesiasticis vel laicis spectatae probitatis. Verum requiritur 1) ut actus iniunctionis praeceptis signetur a partibus praesentibus et a delinquente etiam si velit 2°) ut Vicarius generalis iusiurandam testibus imponere possit de secreto servando si prudenter a natura rei, de qua agitur, id requiratur.

Quod vero pertinet ad remedia repressiva seu poenas animadvertantur in suo pleno vigore esse remedium extraiudiciale ex informata conscientia de quo inferius agendum erit.

Caput III.

De actoris vel Procuratoris fiscalis libelli oblatione

Videbimus 1) An sit necessaria libelli oblatio 2) quomodo actoris vel Procuratoris fiscalis libellus confici debeat.

Articulus 1.us

An sit necessaria actoris vel Procuratoris fiscalis libelli oblatio.

Si causae civilis aut criminalis extraiudicialis compositio in cassum prodiit deveniri

Oblatio est carta quae continet intentionem rel actoris vel procuratoris fiscalis.

potest ad iudicialem processum. Verum si agatur de criminali causa si res in processu extraiudiciali ad gradum semiplenae probationis manserit, neque spes sit ut ex iudicio veritas omnino detegatur satius est ut Praelatus supersedeat, hortationes adhibeat, specialem vigilantiam nec non poenas negativas praesumpto Reo applicet. E contrario si spes affulgeat tela iudiciaria crimen comprobatum iri ad iudicium instituendum procedere valet.

Praelato iudicio manus admovet non solum quando privata aliqua persona ad suum privatum comodum reum vocat in iudicium, sed etiam si bono publico intersit quamvis non sit ex personis privatis qui reum in iudicium rapiat. Etenim Praelato praecipua cura est praecavere ne quispiam ex grege sibi concredito etiamsi agere non valeat, detrimentum culpa cuiuspiam persentiat, quare saepe indolentiae imo et collusioni praesertim Beneficiariorum in tutandis iuribus beneficialibus accurrat oportet. Cum iudicium aggreditur personae privatae petitionis causa, procedere dicitur ad instantiam partis, cum agit nemine instante praecedit ex officio. In utroque autem casu necessaria est libelli oblatio; in 1) casu ut cognoscat quid persona privata petat a iudice contra reum, in 2) casu quia incongruum est—

quod iudex per se reum insectetur, et sic videatur explere partes actoris et iudicis, ~~quamobrem~~ sicuti in iudiciis civilibus necessarius est libellus actoris, ita in criminalibus necessarius est libellus Procuratoris fiscalis.

Articulus 2.us

Quomodo actoris vel Procuratoris fiscalis libellus confici debeat.

Cum hic agatur de iudiciis summariis et oeconomicis non requiruntur in libello conficiendo omnes iuris solemnitates. Sufficit ut actor vel Procurator fiscalis intentionem suam apud iudicem exponat, eiusque petitio quacumque forma concepta rem quae constituit iudicii materiam ita clare et apte proponat ut altera pars statim comprehendat quid agere debeat si iudicii incommoda vitare vellit, et deliberare possit an jure suo ~~pro~~cedere vel contendere expediat. Quare praeter nomen actoris rei, et iudicis, sufficit ut contineat rem petitam et petendi causam. In iudiciis criminalibus petendi causam Procurator fiscalis invenire potest ex notitiis in processu habitis, ex authenticis informationibus, confessionibus extraiudicialibus Procurator fiscalis concludit libellum postulando ut contra reum procedatur prout de iure at

poenae applicationem non in libello sed in die discussionis exposcit. Actor concludit libellum petendo reum condemnari in rem certam.

Libello similitudinem habet reconventio seu mutua petitio qua reus vicissim quidquam ab actore petit ex eadem vel diversa causa. Finis reconventionis est compensatio. Quare 1) non datur reconventio a iudiciis criminalibus quoniam innocentia non relatione criminum reus purgatur 2) non datur reconventio cum actor duplicem personam gerit nisi reconventio directa sit in eamdem personam qua actor reum convenit. Ita qui agit uti persona publica reconveniri non potest uti persona privata. Reconventio initio litis est proponenda cum sit ad instar rei libellus; nec facile admitti debet reconventio reconventionis et deinceps, alias in infinitum lites protraherentur 3) non datur in causa appellationis 4) si iudex in causa reconventionis sit incompetens 5) non in causa spolii.

Reconventionis effectus sunt 1°) ut eodem iudicio terminari debeat conventio et reconventio 2°) prorogatur iurisdictio iudicis 3°) actor tenetur respondere de reconventione 4°) inducitur causarum adaequatio idest eadem iure censeri debent actio primitiva et reconventionalis hic idem modus procedendi servanda est.

Spolium:
Deiectio a possessione rei vel quasi possessione iuris ex magna et notaria iniustitia.
Spoliatus est ante omnia restitutus

Aliquando separatur causa conventionis a causa reconventionis, et alterutra sola sine alia terminatur v.g. si una causa liquida est, altera vero ambagibus et ambiguitatibus involuta; aut si post litem contestatam reconventio fiat, aut si contumax ante sententiam reconveniat. Verum ille qui reconvenitur debet praestare cautionem pro eventu litis.

Datur per pignus
" hypothecam
" fidejussionem

Caput IV.

De rei citatione et de remediis contra contumaces.

Statim ac iudex acceperit actoris vel procuratoris fiscalis libellum procedendum ad rei citationem ut ad iudicium veniat. Quod si reus aut etiam actor in decursu processus citati non compareant habendi sunt uti contumaces. Quare videndum est 1° De rei citatione 2° de remediis iuridicis contra contumaces.

Articulus 1.us

De rei citatione ad iudicium.

Citatio est = Actus legitimus quo quis ex mandato iudicis vocatur in iudicium iuris experiundi causa. Citatio est verbalis, vel personalis idest realis ea fit verbis et scriptis, haec per-

sonae apprehensione.

Hinc necesse est 1°) citatio fiat nomine et auctoritate iudicis idque constet in citationis forma, ideoque iudex exprimit in citatione an procedat potestate ordinaria vel delegata = 2) citatio contineat causam ob quam reus citatur ut se praeparet ad respondendum. Quod ~~vero~~ [si ex] qualitate accusationis aliisque circumstantiis inspectis haud prudens sit eas in citatione referre, insinuatur solummodo vocari ad sese et defendendum in causa quae ipsam respicit qua imputatum. 3) ut citatio congrua sit nempe talis ut citatus parere valeat. 4) ut fiat in scriptis. Citatio sustinetur si fiat domi solitae habitationis, vel apud domesticos aut etiam vicinos.

Citatio executioni mandatur si desit copia causarum Curiae per personam qualificatam quae subinde Curiam de executione certioret; vel ope publici veredarii qui subinde testimonium exhibeat sequutae citationis aut recusationis. Quod si accessus non patet ad domum, ad domesticos, ad personam citati sufficit ut fiat per edictum quod affigitur publice. Si adveniente tempore citatus non compareat iteratur peremptorie citatio et si citatus non compareat habetur uti contumax.

Aliquando vi opus erit ut et actor citatur in decursu processus eadem servanda sunt quae de rei citatione adducimus. Citatio sine legiti-

ma exequutione corruit, sanatur tamen si citatus nihilominus compareat.

Citationis effectus sunt 1°) ut legitime citatus respondere teneatur 2) ut res sit amplius integra ita ut perpetuetur potestas iudicis delegati 3) inducit praeventionem 4) inducit litis pendentiam qua nihil est innovandum 5) fit res litigiosa ita ut alienari nequeat 6) interrumpitur praescriptio quod eum qui causam amittit.

Articulus 2us

De remediis iuridicis contra contumaces.

Citatione rite peracta si pars citata termino in citatione praefinito non compareat, iudex alium congruum terminum per aliam citationem peremptorie assignat eidem significando quod si adhuc inobediens erit habebitur pro contumaci. Contumax aliquis relate ad citationem fieri potest tripliciter 1) vel quia personaliter citatus scienter non compareat et dicitur contumacia expressa 2) vel quatenus quis latitat ne citetur vel impedimentum ponit ne ad eum citatio perveniat et contumacia dicitur ficta seu praesumpta 3) vel citatus expressis verbis cursori ait se nolle comparere et contumacia dicitur evidens.

Ceterum in genere quilibet in iudicio dicitur contumax qui inobedientiam committit erga iudicem legitime iubentem. At ex iure remedia praesto sunt ad contumaciam sive rei sive actoris frangendam. Huiusmodi remedia alia) sunt contra reum, alia) contra actorem, alia) communia.

Quoad primum tempore elapso 1) actor sive Procurator fiscalis accusat rei contumaciam et processu contumaciali negativum absolvitur, ita ut semper interpretatio fiat contra contumacem in id quod sibi deterius est et adversario obedienti utilius. Verum oportet ut de citationis peremptoriae executione tuto constet. 2) contumax reus privatur iure producendi rationes suas ad sese tuendum nisi expensas refecerit et idoneam cautionem praestiterit se a iudicio deinceps non recessurum. 3) si de causa civili agatur (nisi aliter in iure obstet) actor ex iudicis decreto in possessionem rei litigiosae mittitur custodiae causa; dein perseverante contumacia ex secundo decreto actor constituitur legitimus possessor ita ut fructus faciat suos, et reus non amplius auditur de possessione sed de proprietate.

Quod secundum si actor sit contumax, rei citatio evanescit et circumducitur nisi reus iudicio insistere velit. Quo in casu reus fit actor idque in citatione adversario denun=

tiandum. Quod tamen verificatur quando causa instituta est ex denunciatione, non si iudex processerit ex officio; ratio enim esse potest ut iudicium non prosequatur. Proinde in criminalibus locum non habet cum semper procedatur ex officio quodammodo cum accusatio sustineatur a Procuratore fiscali.

Quoad tertiam remedia communia contra reum vel actorem contumacem sunt 1) quod contumaci audientia negatur arbitrio iudicis etiam in aliis causis inter easdem personas. si sermo sit de causis civilibus 2) contumax reputatur praesens in odiosis et habetur pro confesso in deterius 3) contra contumaces censurae adhiberi possunt in iudiciis civilibus quando alioquin iuris remedia in irritum cesserint et etiam in iudiciis criminalibus si delicti qualitas id postulet nec fieri possit executio sive realis sive personalis. Praecedere autem debet trina monitio.

Caput V.

De litis contestatione.

Iure canonico litis contestatio est = actus legitimus quo actor coram iudice proponit petitionem suam, reus autem negat se cessurum petitioni iudicium et litem in se suscipiens = Verumtamen in iudiciis summariis de quibus agimus cum Praelatis datum sit solemni=

latibus omissis de sola facti et iuris veritate inquirere et pronunciare litis contestatio solemnitatibus iuridicis non indiget cum lis contestetur cum reus petitioni actoris vel Procuratoris fiscalis significatae per citationem rite peractam se resistere vel in toto vel in parte coram iudice manifestat quin ulla requiratur solemnitas verborum imo nec ipsa declaratio explicita vel praesentia realis necessaria est sed sufficit praesentia ficta et declaratio tacita quae exurgunt per contumaciam. Effectus praecipuus litis contestatae est quasi contractus quo utraque pars in id obligatur quod interest. Accedentibus autem litigantibus causae disceptatio incipienda est. Quasi-contractus est factum licitum ex quo oritur obligatio.

Titulus II.

De causae disceptatione

Aliquando in iudiciis peragendis vel plures quaestiones oriri possunt, vel quaedam quarum natura iuridica iudici comperta esse debet prouti sunt causa spolii, possessionis et proprietatis. Quare ante omnia nonnulla dicenda sunt 1) de ordine cognitionum in genere et in specie, 2) de causa spolii, possessionis et proprietatis. Dein accedimus tum ad rei examen, tum ad dilationes, tum ad rei defensionem.

Caput 1.

De ordine cognitionum

Ordo cognitionum communiter definitur = modus seu ordo observandus a iudice in examine plurium quaestionum quae in eodem iudicio et inter eosdem personas concurrere possunt. Quod verificari potest tum in civilibus, tum in criminalibus. Ad haec tres regulae a doctoribus statui solent.

1) Ubi inter easdem personas pluves causae concurrunt quarum una pendeat ab alia; hic ordo servandus est ut nempe prius definienda sit causa a qua alia pendet. Ita prius agendum est de exceptione peremptoria.*

2) Si concurrant pluves aequales causae inter easdem personas nec sit una alteri praeiudicialis simul regulariter tractandae sunt, servato ordine temporis quo propositae fuerunt. Secus si pro aliqua periculum sit in mora vel sit maior materia ect.

3) Si causae tractandae sint a iudice diverso idest si pendente iudicio penes unum tribunal, exurgat quaestio influens in definitionem eiusdem iudicii quae tractari debeat apud aliud tribunal, iudex qui tractat causam principalem tenetur eius prosecutionem suspendere, quoadusque alter iudex causam incidentalem decreverit. Quod

*e.g. reus conventus pro centum, facit exceptionem dicens: - jam solvi,

verificatur quando causa incidentalis non est de absoluta competentia iudicis qui vidit de causa principali alioquin provogatur eius iurisdictio. Quod si iudex principalis etiam pendente iudicio causae incidentalis, acta prosequatur acta valent usque ad sententiam quae tamen si proferatur esset invalida.

Caput II.

De causa possessionis et proprietatis.

Hic exhibetur modus quo tractari debeat et definiri iudicia circa possessionem et circa proprietatem. Iam vidimus iudicium aliud esse petitorium aliud possessorium, hoc in capite agitur de obiecto iudicii petitorii seu de proprietate, de obiecto iudicii possessorii seu de possessione, et tandem de ordine quo agi debet in iudiciis de possessione et de proprietate. Cum magni ponderis etiam in iure nostro canonico sit conceptus possessionis ac proprietatis, cumque ius nostrum fere in omnibus hunc mutuatum sit ex iure romanorum, putamus bonum esse ut hic breviter possessionis notionem sicuti ex iure romanorum comperimus adducemus, addendo in fine quid ius canonicum hac in re immutavit.

Articulus 1.us

De acquirenda vel amittenda possessione.

Quo huius implicatissimae materiae expositio clarior evadat, hunc ordinem nobis proposuimus sequendum: agemus scilicet 1°) de notione possessionis, 2) de variis possessionis speciebus, 3) de eiusdem subiecto, 4) de obiecto, 5) de acquirenda possessione, 6) de amittenda possessione, 7) de effectibus possessionis.

§. 1.

De possessionis notione ac natura.

Gravissima quidem controversia extitit ac extat adhuc inter DD. in determinanda vera possessionis notione ac natura. Qui cupit varias, quae de hac re prolatae sunt, sententias dignoscere adeat cl. Prof. Ruggeri Opus. =Il possesso e gli istituti di diritto prossimi ad esso=, in quo summa eruditionis copia sententiae omnes ad examen revocantur.

Ad maiorem rei intelligentiam principaliores hic recentiorum opiniones referam.- Savigny in celeberrimo opere = del possesso= trad. dell' avv. Conticini, duplex esse ait possessionis essentiale elementum, rei scilicet detentionem et animum possidendi. Detentionis

nomine intelligit illam facti conditionem, qua quis pro libito et cum aliorum conclusione physicam obtinet possibilitatem agendi in ipsa rem adeo ut per eam constituatur positio facti respondens proprietati prout est positio iuris. Verum id adhuc non sufficit ad possessionem habendam, requiritur insuper animus possidendi, qui in eo praecipue consistit, ut qui rem detinet, eam animo domini seu melius animo dominantis detineat. Ut vero Savigny sese expediat a difficultate, quam theoria haec patiebatur in eo qui precario possidet, in pignoratario, in sequestrario ect., qui vere possidere in iure nostro dicuntur, quamvis animum domini non habeant, induxit distinctionem inter possessionum originariam et derivatam, de qua agemus in insequenti numero. Interim ex dictis apparet, iuxta Savigny possessionem tandem nil aliud esse, nisi usum dominii, ac eius velut imaginem. Hic possessionis conceptus plures defensores invenit, inter quos Mülenbruch. Doct. Pand. l. 2. c. 2., Maynz, Cours de dr. rom., Vindescheid, Pand. §. 148. - Cl. Alibrandi in opere = Teoria del possesso = theoriam Savigny tamquam rationalem aptamque ad solvendas quaestiones agnoscit; ut putat, eam non esse, quam romani Iur. Cti. retinuerunt. Arbitratur enim ipse, romanos Iur. Ctos non habuisse, vel saltem non, ut opus erat, explicavisse diversis de causis

veram ac perfectam possessiones notionem, sed in vulgari potius possessionis conceptu permansisse, qui non secumfert, nisi materialem rei insistentiam cum animo possidendi. Hanc doctrinam oppugnat cl. Ruggieri in op. cit., contendens, romanos J. Ctos. non solum attigisse sed et tradidisse veram ac plenam possessionis notionem. Quod ut demonstret, exponit in primis rationalem possessionis conceptum, ac deinde ostendit hunc conceptum retentum ac perfectum fuisse a romanis J. Ctis. Quoniam hanc sententiam probabiliorem putamus, hinc eius expositio plenior hic facienda.

Primaeva ac simplex possessionis notio iuxta communem rationem, ita describi posse videtur, Physica rei detentio, per quam homo exclusive et non momentanee suam in eadem re activitatem exercet. Dicitur a) physica, omnes enim in possessione vident corporalem tantum relationem praecisione facta a iustitia vel iniustitia actus. - b) Rei detentio, iuxta enim primaevam possessionis ideam non sufficit quod quis videat rem, ut eam possidere dicatur, sed requiritur, ut apprehendat et teneat ipsam rem. - c) Per quam homo suam in re activitatem exercet nam ad habendam possessionem non quaecumque rei detentio sufficit, sed necesse est ut haec detentio sit actus humanus, i.e.

Si aliquis dormiens habeat pomum in eius manu, non habetur detentio quae significat possessionem.

sit volita et quidem non quocumque modo, sed praecise ad hoc, ut rem ipsam physicae hominis actioni subordinet - d) Exclusive, necessarium enim est, ut possessor solus sit in exercitio activitatis relativae ad propriam possessionem. Exinde est quod nemo unquam dicet, nos v.g. aerem, publicas vias, vel plateas possidere - e) Demum non momentanee, scilicet ad habendam possessionem non sufficit actus aliquis transitorius, et momentaneus, sed requiruntur actus, qui saltem natura durationem et continuitatem secumferant. Dixi saltem natura, non enim necesse est ut de facto hanc durationem habeant, sic v.g. ego veram obtineo fundi Tusculani possessionem, eum occupando, quamvis statim post occupationem idem fundus mihi auferatur. Haec omnia si conveniant, sufficere videntur ad habendam veram possessionis rationem, quae contra non obtinetur, si aliquid ex dictis deficiat. Iam si ex his, quae communi constant ratione ad ius nostrum transitum faciamus, apparebit, romanos J. Ctōs. hunc revera retinuisse possessionis conceptum. Et sane 1°) J. Cti. in possessione praecipue agnoscunt physicam relationem: hoc patet a) ex ipsa vocis, quam dant etymologia: Paulus l. 1. ps. ff. h.t. = Possessio appellata est, ut et Labeo ait, a sedibus quasi positio; quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit = . b) Ex eo=

dem Paulo V. II. 2. = Sufficit ad probationem traditae possessionis, si rem corporaliter teneam. = 1°) Ex omnibus iuris locis, in quibus promiscue usurpatur usus pro possessione et viceversa, l. 20. pr. ff. de serv. praed. urb. (8.2), l. 19. ff. ex quib. caus. mai. (4.6) coll. Ulp. 19. 8, et Gai. l. III. l. 115. ff. de V.S. (50.16). - 2) Hanc physicam relationem praecise in rei detentione consistere constat ex innumeris legibus, sic v.g. ex cit. l. 1. pr. ff. h.t., ex l. 18. §. 2., l. 23. p., 38. §. 2. ff. eod. - 3°) Non vero quamcumque rei detentionem, sed eam tantum, quae cum animo, seu cum affectione possidendi coniungitur, possessionem constituere apparet ex l. 1. §. 3. ff. h.t. Exinde J. Cti. romani aiunt duplex esse possessionis elementum, corpus seu factum physicum, et animum relativum, l. 1. §. 15, l. 3. §. 1, l. 8. ff. h.t. - 4°) Haec autem omnia cohordinata esse debere ad liberam hominis activitatem, docet aperte l. 1. §. 47. ff. de vi (43.16) - 5°) Exclusivitas actionis resultat ex eo quod non agnoscatur possessio in rebus naturali iure omnium communibus, nec non in rebus, quae in usu publico habentur, l. 14. ff. de iniur. (47.10), l. 2. §. 2. ff. ne quid in loc. pub. (53.8). Idem confirmatur ex celeberrima iuris regula, de qua inferius ex professo agendum, quod scilicet plures eamdem rem in solidum possidere non possint. - 6) Demum quod natura non momentaneus esse debeat actus, in quo possessio con=

sistit, apparet evidenter ex l. 41. ff. h.t. - Nullum ergo dubium est, quod romani J.Cti naturalem ac primaevum possessionis conceptum retinuerint: Verumtamen ut quisque per se videt, nimis angusta sese exhibet haec possessionis notio: arctis inclusa limitibus facti materialis, et animi, haud satis aptari poterat omnibus quaestionibus, quae in hac materia agitabantur. Hinc opus nostri iuris, quo primitiva illa ac simplex possessionis notio ampliata ac munita iuridicis effectibus est. At bene notandum, huius operis fundamentum, typum ac exemplar fuisse ipsum naturalem possessionis conceptum, adeo ut nostri J.Cti semper prae oculis genuinam possessionis naturam habuerint, eamque semper inculcaverint, propriis studiis expresse tribuentes, quod eidem addebant. Ut id pateat animadvertendum est 1°) romanos J.Ctos gravibus ex rationibus ita extendisse possessionis conceptum, ut aliquando inibi possessionem agnoscerent, ubi iuxta primigeniam notionem nulla possessio adesset. Iuxta hanc notionem non adest possessio, ubi rei non adsit insistentia. At impossibile est ut quis suo corpore continue et omnibus rebus materialiter insistat. Hinc J.Cti materialis detentionis elementum extendentes possessionem agnoverunt ubi habitualis tantum adesset detentio. Pariter possessionem admiserunt

in eo, qui per alium rem detinet. At in utro-que casu semper ad primaevam possessionis notionem respexerunt: in priori admiserunt utique habitualem detentionem, at insimul exegerunt nonnullas facti conditiones, ut videbimus inferius, quae defectum materialis detentionis supplerent: in secundo vero utrumque elementum habemus, animum scilicet proprium et corpus alienum. Uno verbo Romani J. Cti. non solum admiserunt possessionem in physica rei detentione, sed et in aliis facti conditionibus, quae tamquam aequivalentes a legibus agnoscuntur, per quas aliquis vel actualiter vel potentialiter suam in re exerceat activitatem – 2°) Quoniam iuxta suum naturalem conceptum possessio in nudo corporis animique actu consistit, apparet quod per se non possit esse causa effectuum iuridicorum. Nihilominus ius nostrum hos iuridicos effectus in possessione agnovit. Quid ergo? dicemus ne a iure immutatam fuisse genuinam possessionis ideam? Id non tam facile concedendum, ut patet ex dictis. Ceterum hi iuridici possessionis effectus non producuntur ex ipsa vi ac natura intrinseca possessionis, sed ab extrinseco procedunt, i.e. ab ipso positivo iure ut melius videbimus agentes de effectibus possessionis; quod positivum ius ideo hanc vim possessioni attribuit, quia in dubia iuris quaestione conveniens admodum est ut nihil im-

mutetur sed possideat qui ante possedit. Iam si quaeratur quid tandem sit possessio iuxta iuris nostri conceptum, ex dictis haec habebitur definitio = Possessio est physica rei detentio, vel aliquis alius facti status tanquam aequivalens a lege recognitus, quo homo actualiter vel in potentia suam in eadem re exclusive et non momentanee exercet activitatem et cui aliquando a legibus vis ac protectio tribuitur.

factum aequivalens ... [illegible]

His positis iam possumus ad aliam celeberrimam quaestionem accedere, an scilicet possessio consistat in iure vel in facto. Sunt qui dicunt in iure consistere, ut ex veteribus inter caeteros Bartolus, ex recentioribus Puchta et Ihering in celeberrimo suo opere = Fondamento della protezione del possesso = Trad. del Prof. Forlani. Argumenta, quibus utuntur, haec habet: a) Leges 36. ff. h.t. et l. 2. ff. uti possid. (42.1) docent plus iuris habere qui possidet, quam qui non possidet - b) Ius possessionis agnoscitur in l. 44. pr. ff. h.t., l. 2. §. 38. ff. ne quid in loc. publ. (53-8), l. 5. §. 1. ff. ad leg. Iul. de vi pub. (48.6), l. 5. Cod. de lib. caus (7.16). l. 7. Cod. ad leg. Iul. de vi (9.12) - c) Lex 10 Cod. h.t. aperte loquitur de possessione, quae in iure consistit. - d) Quod leges tradunt, id iuridica ratione firmatur; nam possessionem causam esse effectuum iuridicorum possessionis; id autem impossibile omnino esset, si possessio in facto consisteret - e) de-

pag. [illegible]

aliquando possessio consistit in facto

" " " " iure { hoc sensu qui producit effectus iuridicos scil. interdicta

" " " " facto et iure.

mum si possessio non iuris sed facti esset, non intelligeretur quomodo transferri de uno in alterum posset; iura enim non facta transferuntur. Et tamen possessionem transferri, possessionem tradi, tradere vacuam possessionem docent l. 35. §. 1. ff. de pig. act. (13.7), l. 37. ff. h.t., l. 18. §. 2. et l. 33. ff. h.t. - His non obstantibus plures alii sunt, qui contrariam prorsus tenuerunt ac tenent sententiam ex his rationibus: a) Plures leges sunt, quae non solum dicunt possessionem in facto consistere, sed quod magis est, penitus excludunt eamdem in iure consistere. Habemus l. 1. §. 3. ff. h.t. = Possessio res facti non iuris est =; l. 1. §. 4. eod. = res facti =, l. 29. eod. = est facti =, l. 2. §. 3. ff. si serv. vind. (8.5), dicit quod in interdicto possessionis non de iure sed de facto quaeritur; l. 23. pr. et §. 1. ff. h.t. oppositio inter iura et possessionem statuitur - b) Idem a ratione iuridica firmatur deducta ex ipso possessionis conceptu, qui in rei detentione consistit. - Demum sunt qui mediam incedunt via, duce Savigny, op. cit. §. 5. Iuxta hanc sententiam possessio et in facto et in iure simul consisteret. Id demonstrant a) ex l. 49. §. 1. ff. h.t. = Possessio non tantum corporis est sed et iuris est = b) Ex his iuris locis, quae hanc sententiam implicite indicant, et sunt: l. 19. ff. ex quib. caus. mai. (4.6) = Possessio autem plurimum facti habet = Paulus S. 11. 2. = Non tam in iure quam in facto con-

sistit =; l. 49. pr. ff. h. t. = Plurimum ex iure possessio mutuetur. = - c) Ex exigentia textum contrariorum, quibus patroni contrariarum sententiarum utuntur ad invicem. - d) Demum ex iuridica ratione; possessio enim quoad suam naturam non est nisi res facti; quae tamen iuri aequivalet quoad suos iuridicos effectus. - In tanta DD. discrepantia ut quod retinendum nobis sit, appareat, rite quaestionis statum in antecessum declaremus oportet.

Iuxta ordinariam significationem ius prout facto opponitur non est nisi moralis facultas personae competens ad aliquid iuste habendum vel faciendum: factum vero est quod contingit, hinc ius ad idearum factum ad eventuum ordinem spectat; ideoque distincta ad invicem prorsus inveniuntur. At quamvis id verum sit; ex altera tamen parte verum quoque est inter ius et factum plures ad esse posse relationes. Quod ut pateat, recolendum est, iuris nomen dupliciter praecipue accipi posse; in sensu nimirum obiectivo pro ipsa lege; et in sensu subiectivo pro iuridica facultate, quae personae competit. Iam 1°) si ius hoc altero sensu accipiatur, factum aliquod dupliciter relationem dicere potest ad illud: a) tamquam causa ad effectum; quatenus ex facto oriatur ius; ad iuris enim existentiam requiritur semper facti alicuius existentia, quod sit veluti iuris ipsius substratum. Facta haec dici

solent facta iuridica. Ex hac relatione inter factum et ius fit, ut quaestio de horum factorum existentia necessario debeat etiam secumferre quaestionem de existentia iuris, quod ex eo facto orietur, quamvis utriusque conceptus distinctus essentialiter permaneat: ex. gr. mancipatio, contractus, etc. Sua habent iura; hinc quaestio de existentia mancipationis contractus etc. per se importat etiam quaestionem de existentia iuris inde descendentibus. Attamen per hoc non fit, ut mancipatio, contractus etc. desinant esse facta iuridica distincta prorsus a iuribus, quae inde derivant. - b) Tamquam potentia moralis ad actum; quatenus quis legitimam obtineat facultatem factum ponendi. - 2°) Quod si priori sensu ius accipiatur, quatenus nimirum significat legem ipsam, tunc alia specialis adest relatio inter factum et ius hoc sensu acceptum. Tunc enim apud romanos J. Ctōs. ea, quae ipsa civili lege constituta sunt, iuris, in iure consistere; ea vero, quae propria natura consistunt, facti, in facto consistere dicuntur. Quod si aliquid et propria natura et iure civili insimul consistat, si consideretur iuxta suum naturalem conceptum, dicitur in facto consistere, si vero consideretur relate ad ea, quae iure civili constituta sunt, in quantum conforme est normis iuris eiusdem, dicitur in iure consistere. Demum si in complexu res considere-

tur iuxta utrumque elementum, prout unum alteri praevalet, dicitur quod res magis in facto, quam in iure consistat vel viceversa.

Haec prae oculis habentes iam ad propositae quaestionis solutionem accedamus. Et imprimis quod possessio ipsa sua natura non iuris sed facti sit, est res adeo evidens, ut dubium hac super re oriri non possit nisi ex idearum confusione. Tota possessionis natura in rei detentione consistit, detentionem vero facti esse nemo non videt. Quod si quaeratur an possessio tale factum sit, quod cum iure saltem relationem dicat, id affirmandum omnino est. Quinimo ut mox videbimus, omnes relationes, quas diximus, factum habere posse cum iure, eas omnes inter possessionem et ius existere certum est. At quid inde? Quemadmodum in omnibus factis, quae ius nostrum considerat, adesse, possunt relationes illae omnes cum iure, quin desinant esse vera facta, ita nec possessio facti naturam amittet, quamvis eas omnes relationes cum iure habeat. Caeterum sententia haec apertissime apparet ex legibus superius relatis. Non manet igitur nisi ut quam vim habeant contraria argumenta videamus.

Sit 1º) De eorum argumentis, qui tenent possessionem in iure consistere.

Ad a - b - c). Ex iis, quae praemissimus,

apparet, obiectas leges nihil probare contra possessionis naturam, quae in facto consistit. Et sane quod spectat l. 36. ff. h.t. et l. 2. ff. uti poss., in quibus asseritur, plus iuris habere qui possidet, quam qui non possidet; pariter l. 44. pr. ff. h.t., l. 5. §. 1. ff. ad l. iu. de vi pub., l. 5. Cod. de lib. caus. et l. 7. Cod. ad l. iu. de vi, in quibus ius possessionis proponitur, quod inquam spectat has leges, ipsae referendae sunt ad effectus iuridicos possessionis, ut patet ex ipso contextu. Possessio quidem in facto consistit, sed in facto iuridico, eo quia legis dispositione eidem iuridica vis adnexa est. Hinc optime dici potest ius possessionis, seu ius ex possessione derivans, et plus iuris habere possessionem, quam non possessionem; eodem modo, quo optime dici potest emptionem plus iuris habere quam non emptorem; quod per se non facet, ut emptio in facto non consistat. Quod vero spectat l. 2. §. 38. ff. ne quid in loc. pub. et l. 10. fin. Cod. h.t., illud ius possessionis, ut patet ex ipsis legibus, indicat praecise iustam originem possessionis, seu indicat legitimam facultatem possidendi, qua conductor fruitur, et super qua vacillat ac dubitat reus conventus, pendente iudicio. - Nec demum difficultatem faciunt eiusdem legis 10. pr. Cod. h.t. verba = Nemo ambigit, possessionis duplicem esse rationem, aliam quae iure consistit,

aliam quae corpore =. Cuiacius ad hunc titulum Cod. IX. 1006. ita explicat hanc legem: Possessio quae iure consistit ea est, quae retinetur iure et animo domini, iuxta detentore credente se esse dominum: possessio vero, quae corpore consistit, est quae retinetur citra ius affectionemque domini, non tamen citra ius aliquod affectionemque: primam vocat civilem, alteram naturalem. At non videtur quomodo in iure debeat consistere possessio, eo tantum quia possessor credit se esse dominum. Alii communiter cum Savigny dicunt, in ea lege possessionem, quae corpore consistit, eam esse, cuius obiectum res corporalis est: quae vero iure consistit, eam esse, quae ius pro obiecto habet. Verum si res ita se haberet, imperator potius dicere debuisset: in iure, in corpore. Qua de re aliter putamus interpretandam propositam legem. Recolantur hic, quae praemissimus in num. 2° Imperator Constantinus nil aliud sibi voluit in citata lege, quam significare, aliam esse possessionem, quae civili iure consistit, nimirum, quae habitualiter vel per alium detinetur; aliam vero, quae natura sua genuina consistit, scilicet physica rei detentione, seu corpore. Cum hac interpretatione consonant analoga, ut notavit loc. cit. ipse Cuiacius verba S. Augustini in sermone de vita clericorum, ubi loquens de possessione, quae per

alium retinetur, ait = Exiguum est, quod videtur possidere, sicut iurisperiti loquuntur, iure non corpore =. Nil igitur haec lex habet commune cum nostra quaestione.

Ad d) Ratio quae affertur neganda prorsus est inspecta factorum iuridicorum natura.

Ad e) Verum est in pluribus iuris nostri fragmentis sermonem esse de possessionis translatione. At impropria locutione id dicitur. In hac enim translatione non ita se res habet ut actualis possessor, ut talis sit successor antecedentis possessoris; sed sunt duae distinctae possessiones: vetus, quae cessavit, possessio antecessoris, et nova, quae nunc existit, actualis possessoris; ad quam legitime obtinendam ordinarie requiritur consensus antecedentis possessoris, qui desinant possidere ad hoc ut nova possessio incipiat in alio. Hoc praecise est quod in conventionis obiectum deduci solet, non ipsa possessio, quae cum in facto consistat proprie de uno in alium transferri non potest.

2°) De eorum argumentis qui mediam tenent viam.

Ad a-b) - In fragmentis omnibus, quae opponuntur, ius et factum ea sumitur significatione, qua indicetur conformitas ad normas iuris civilis, vel ad naturalem possessionis conceptum. Ea quae in definitione pos-

sessionis tradidimus, coniungenda hic sunt cum iis, quae diximus in praemissis n.º 2º., et aptanda obiectis fragmentis.

Ad c) dicendum, ius quod possessioni inest, extrinsecus possessioni accedere, non vero partem cum illa constituere ita, ut natura ipsiusmet possessionis mixta ex iure et facto dici debeat; possessionis enim natura tota in facto detentionis consistit; ius autem nunquam in hanc naturam ingreditur, sed simpliciter tamquam effectus consequens a facto illo pendet.

Concludamus igitur, possessionis naturam totam in facto consistere, quod tamen factum, quin desinat esse tale, plures habere potest cum iure relationes, ratione quarum tantummodo aliquando possessio iuris esse dicitur.

§. 2.

De variis possessionis speciebus.

Possessionis species, quae in iure romanorum apertissime proponuntur hae sunt:

1º) Inspecta origine, alia est iusta, alia iniusta. Iusta possessio est, quae nec vi, nec clam, nec momentaneo precario; iniusta vero, quae aut vi, aut clam, aut precario acquisita est, l. 3. pr. ff. uti poss. Haec dici solet etiam vitiosa possessio, prior autem non vitiosa, l. 13. §. 1., l. 53. ff. h. t. Gai. IV. 151.- Vi acquiritur possessio, cum pos-

sessor, ad obtinendam possessionem, vim fecit corpori aut voluntati possessoris antecedentis: clam, cum acquisitionis actus absconditur possessori, ne obsistat. Demum precario, cum quis ideo in possessione est, quia prior possessor eidem id concessit, at cum animo ad libitum redeundi in eamdem possessionem. Iniusta possessio in genere nequit opponi adversus eum relate ad quem iniusta est; verum adversus extraneos prodesse potest, l. 53. ff. h.t. Exinde est quod in summa possessionis non multum interest, iuste quis an iniuste possideat; l. 3. §. 5. ff. h.t.

2°) Inspecto subiecto, alia est bonae fidei, alia non bonae seu malae fidei l. 3. §. 22. ff. h.t. Distinctio haec a priori differt tamquam opinio a veritate in se inspecta. Dicitur enim in genere bona fide possidere qui credit se iuste possidere, dicitur mala fide possidere qui credit se iniuste possidere. Ulterior huius rei explicatio tradetur cum sermo de usucapione erit.

67 3°) Inspecta natura, alia naturalis est alia civilis. Distinctio haec fundamentalis est in re nostra. Mirum est quot quantaque a DD. prolata sint hac in re. Cfr. Ruggieri op. cit. §. 83. seqq. Verum tamen bene attendamus oportet, quod in iure nostro traditum invenitur. Iavolenus l. 24. ff. h.t. ait = Quod

possessio civilis habet effectus iuridicos {usucapionis / interdicta}; ceteroquin est possessio naturalis

ex iusta causa corporaliter a servo tenetur, id in peculio servi est; et peculium, quod servus civiliter quidem possidere non posset, sed naturaliter tenet, dominus creditur possidere. Ulpianus l. 38. §. 7. ff. de V.O. (45. 1) = Haec quoque stipulatio possidere mihi licere spondes? utilis est; quam stipulationem servus an possit utiliter in suam personam concipere videamus. Sed quamvis civili iure servus non possideat, tamen ad possessionem naturalem hoc referendum est; et ideo dubitari non oportet, quin et servus recte ita stipuletur = §. 8. = Plane si tenere sibi licere stipulatus sit servus utilem esse stipulationem convenit, licet enim possidere civiliter non possit, tenere tamen eos nemo dubitat = Papinianus demum l. 49. §. 1. ff. h. t. docet = Qui in aliena potestate potestate sunt, rem peculiarem tenere possunt, habere possidere non possunt; quia possessio non tantum corporis sed et iuris est = Ex his patet possidere naturaliter idem esse ac corporaliter possidere, tenere; civiliter idem esse ac iure civili possidere. Hinc manifestum est; naturalem possessionem esse simpliciter physicam rei detentionem; civilem vero esse iuridicam possessionem, seu possessionem iuxta ius civile. Porro ut possessio habeatur iuxta ius civile non solum requiritur omne id, ex quo possessionis actus constituitur, seu corpus et animus, sed et subiectum et obiectum, quod

9 Solieri: 1901.

Aliquis dicitur possidere bona fide quando suam possessionem rationabiliter putat nemini iniuriam facere.

possessionis capax sit iure civili. Unum ex his si deficiat, possessio non erit amplius civilis sed naturalis. Uno verbo: possessio naturalis est, quae in facto exteriori iuxta suam primigeniam naturam consistit; ea vero civilis est, quae est vera possessio a iure nostro recognoscitur. Haec si prae oculis habeantur, quaestionum omnium, quae hac de re institui solent, solutio non difficilis erit. Sic ex. gr.: a) defectu animi non civiliter sed naturaliter possident, qui rem quidem detinent, sed animo alieno; hinc naturaliter tantum possident (l. 2. §. 1. ff. pro herede, l. 38. §. 10. ff. de usuris) commodatarius, depositarius, conductor, (12 et 49. pr. ff. h. t.), fructuarius (l. 3. §. 5. ff. h. t. l. ult. §. 1. ff. de prec), qui rem precario detinet ect. - b) Defectu iuridicae capacitatis in subiecto naturalis est possessio peculii retenti a filiofamilias vel a servo; civilis vero possessio retinetur a patre vel a domino, l. 24. ff. h. t. - c) Defectu iuridicae capacitatis in obiecto est naturalis possessio notae alieni vehiculi, l. 7. §. 1. ff. ad exhib. (10. 4) etc. Si quis cupit perfectam videre applicationem huius doctrinae, adeat Ruggieri op. cit. §. 105. seqq.

Praeter expositas alia a Savigny proponitur possessionis distinctio in originariam et derivatam. Vidimus iam qua ratione hanc distinctionem proposuerit Savigny, ut nimirum occurreret difficultati, quae ex sua possessio-

nis notione oriebatur, quoad eos, qui vere possidere dicuntur in iure nostro, quamvis domini animum non habent, ut sunt pignoratarius, sequestratarius, et qui rem precario detinet. Originaria possessio iuxta Savigny ea est, quam habet is, qui rem animo proprio detinet; qui vero rem animo alieno retinet proprie non ipse est possessor, sed ille, cuius animo res possidetur. At hic verus possessor potest ius possessionis transferre in eum, qui rem non detinet animo proprio, et per hoc fieret verus possessor. Haec est derivata possessio. Verum tamen quidquid sit de hac possessionis distinctione in se inspecta, certum est eam nullum in iure nostro fundamentum habere. Ideoque merito reiicienda videtur.

§ 3.

De possessionis subiecto.

Omnes possunt esse possessionis subiectum, his exceptis 1°) Ex defectu animi furiosus et pupillus non possunt incipere possidere, quia affectionem non habent, licet maxime corpore suo rem contingant, sicuti si quis dormienti aliquid manu ponat, l. 1. §. 3. ff. h. t. Pariter municipes ac entia moralia per se nihil possidere possunt, l. 1. §. 3. ff. eod. 2°) Ex iuris dispositione civiliter possidere nequeunt a) servi et filiifamilias, b) captivi

quoad res in patria relictas, l. 5. §. 2. ff. de capt. (49. 15), l. 23. §. 1. ff. h. t. - c) liber homo, qui bona vel mala fide ab alio possideatur, l. 1. §. 6. ff. h. t., l. 54. §. 4. ff. de acq. rer. dom. (41. 1).

§. 4.

De possessionis obiecto.

Ad hoc ut aliquid possit esse possessionis obiectum requiritur 1°) ut sit res corporalis, 2°) res in commercio; et 3°) res certa.

1° Res corporalis. - Cum possessio in physica rei detentione consistat, apparet proprie possideri non posse nisi quae corporalia sunt, l. 3. pr. ff. h. t., incorporalium enim nulla physica detentio intelligi potest, l. 4. §. 27. ff. de usurp. (41. 3). Iurium hinc natura ea est ut possideri non possint. Attamen romani I. Cti. iurium etiam quamdam non proprie possessionem sed quasi possessionem agnoverunt, quae in habituali servitutum aliorumque iurium exercitio consistit, eique fere omnia aptarunt quae de rei possessione tradita sunt.

2°- Res in commercio. - Non solum corporalis sed et in hominum commercio posita debet esse res, ut possideri queat; quod enim extra commercium est, aut non est res, aut saltem ab hominum activitate exempta est. Hinc a) nequit esse possessionis obiectum homo liber, cum res proprie non sit, l. 23.

§. 2., l. 30. §. 1. ff. h. t. His obstant l. 1. §. 6. ff. h. t. §. 4. Inst. per quas personas cuique acq. (2. 9) et §. 1. Inst. de usucap. (2. 6). Non una redditur conciliationis ratio. Savigny pag. 109 et n. 2° ait, intelligi posse hominis liberi possessionem, qui tamen servus proprius vel alienus putetur. Alii distinguunt sic: non intelligitur hominis liberi possessio, si ut talis agat et agnoscatur publice contra vero si agat et agnoscatur tamquam servus. Demum sunt qui absolute tenent liberi hominis possessionem intelligi non posse; textus autem in contrarium adductos explicant de impropria, seu de apparenti possessione. Gai l. IV. - b) Res divini iuris, l. 30. §. 1. ff. h. t. - c) Res naturali iure omnium communes, ut aer, aqua profluens, mare, et per hoc litora maris. At evenire potest, ut pars aliqua harum rerum in hominum commercio fiat, et tunc optime possideri potest, ut si quis in litore maris aedificium extruat, l. 5. §. 1. l. 6. pr. l. 10. ff. de rer. div. (1. 8). l. 14. pr. l. 30. §. 4. ff. de acq. rer. dom. (41. 1), l. 2. §. 8. ff. ne quid in loc. pub. (53. 8).

3° Res certa. - Demum requiritur, ut res certa sit, nimirum ut de ea constitui valeat quid, quale, quantumve sit. Hinc v. g. si quis tibi hoc modo tradat: quidquid mei iuris in eo fundo est; vel si plures sint in fundo, qui ignorent quantum quisque partem possideat, vel si quis fundum emat, cuius quidem

partem scit alienam esse, et quaenam sit ignoret, eamque nolit possidere, in his omnibus casibus non intelligitur possessio, l. 3. §. 2. l. 26. ff. h.t. Huc pariter referenda est l. 32. §. 2. ff. de usurp. (41.3), ubi verba illa = mera subtilitate = ita interpretanda esse videntur, ut ad proximum verbum, possidere referantur. Horum omnium ratio ex ipsa possessionis natura petenda est, quae secumfert exclusivam activitatem in re possessa; quod intelligi nequit nisi res certa sit. Porro ad hoc ut res vel rei pars certa sit non est necesse ut res vel eius partes pro diviso possideantur, sed sufficit etiam est pro indiviso habeantur.

73 His praemissis iam ad nonnullas quaestiones evolvendas accedamus. Et 1°) quidem quaeritur: an eiusdem rei possessio apud plures in solidum inveniri possit? Quaestionem hanc exagitat Paulus in l. 3. §. 5. ff. h.t. ubi reprehendens Sabini ac Trebatii opiniones, cum Labeone concludit, plures eamdem rem in solidum possidere non posse; non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris. Ratio hinc propositae regulae in exclusivitate activitatis ponitur, quae non patitur coexistentiam duplicis plenae activitatis in eadem re. His tamen non obstan-

Respondetur pr. ... lum in uno ... possibile ... Quando unus ... habet possessionem ... stam, alter ... iustam.

tibus, duplex solidalis possessio proponitur in l. 6. §. 1. ff. h. t. l. pr. ff. uti possi (43. 17) l. 13. §. 4. et l. 19. pr. ff. deprec. (43. 26). Ut conciliationis ratio appareat, notandum est, totum propositae regulae fundamentum in plena activitatis exclusivitate positum esse. Hinc si evenire possit aliquando, ut duo plenam quidem in eadem re activitatem, vel in actu vel in potentia habeant, quin tamen inde absoluta ad invicem exclusivitas ob nonnullas speciales circumstantias oriatur; iam patet propositam regulam in hoc casu fallere, duplicemque solidalem possessionem haberi. Atqui id revera evenire potest in casu, quo quis nudo animo rem possideat, idque dupliciter. Sane a) dum Tusculanum possideo, at ad nundinas profectus eum nudo animo possideo. Accidit ut Titius, me absente, fundi Tusculani possessionem clam occupat, in eoque suam exercere incipiat activitatem. Est praecise species legis 6. § 1. ff. h. t. Iam dubitari non potest, quin ego adhuc retineam fundi Tusculani possessionem l. 28. §. 3. ff. h. t.: pariter dubitari nequit, quin Titius eumdem fundum clam possidere videtur, omnia enim adsunt ad possessionem constituenda necessaria elementa. Attamen ex utraque parte deest absoluta exclusivitas actionis in fundo: deest ex parte Titii, quia eius positio talis a iure in

ipsa clandestina occupatione innixa praesumitur, ut me revertentem nolit repellere; hinc non obstante hac occupatione remanet mihi activitas et disponibilitas ad retinendam possessionem necessariam: deest ex parte mea, quia mea possessio non impedit, quominus Titius actualiter suam exerceat activitatem in fundo. En igitur duplex solidalis eiusdem rei possessio, cui proposita regula aptari non potest. Nulla ergo est oppositio inter l. 3. §. 5. ff. h.t. et l. 6. §. 4. ff. eod. - b) Idem esset dicendum si inspecte proposita Sempronius non quidem clam sed vi fundi Tusculani possessionem occupet eiiciens Titium, qui fundum clam possidet. Ex hac violenta occupatione et Sempronius possessionem acquirit et ego meam possessionem conservo ex iisdem rationibus in altero casu allatis. Quin igitur proposita regula obstet, fieri potest ut eiusdem rei possessio apud duos in solidum inveniatur, cum scilicet unus iniustam, alter iustam sed solo animo retineat possessionem. Ad haec referendae praecise sunt aliae obiectae leges seu l. 3. ff. uti poss. l. 15. §. 4. l. 19. ff. de prec. - Si haec prae oculis habeantur non solum manifestum fiet nullam inter citatas leges adesse oppositionem, sed et iure Labeonem reprehendisse Sabini et Trebatii opinionem, ac insuper non difficilem esse interpretationem l. 12. §. 1. ff. h.t. admodum

quidem controversae.

2°) Quaeritur an plures ita diversas integri corporis partes possidere valeant, ut quisque unius partis absolutus et solus possessor sit? 75 Quaestio haec agitari potest tum quoad partes, quae pro indiviso, tum quoad partes, quae pro diviso possidentur. De utraque hypothesi singillatim agendum. Sit igitur a) de partibus pro diviso. Casus est omnino diversus ab eo, de quo in priori quaestione actum est; ibi enim sermo erat de pluribus eiusdem rei simultaneis possessoribus; hic vero de pluribus non eiusdem rei sed distinctae possessoribus. Iam ad solutionem propositae quaestionis distinctione opus esse arbitramur; vel enim agitur de re mobili, vel de re immobili: quoad mobiles negative respondendum; affirmative quoad immobiles, reiecta omnino distinctione ab aliis proposita inter partem, quae conservet, et partem quae non conservet propriam individualitatem. Ratio decisionis haec est: ante omnia notandum, quod qui alicuius rei partem tangit, totam rem ob partium cohaesionem tangere videatur; sic ex. gr. qui columbam tenet per alam non dicitur alam sed columbam ipsam tenere, l. 21. pr. ff. de furt. (47.2). Iam hoc principium in rebus mobilibus non solum ob legem physicam, sed et ob voluntatem operantis necessariam habet applicationem, talis enim est harum rerum

natura, ut nequeant ad proprium finem adhiberi, nisi in earum integritate adhibeantur, ut est in statua, annulo, vehiculo, navi, equo, ect. Hinc qui harum rerum partem tenet, integram rem sua activitate complectitur. Exinde impossibilitas coexistentiae plurium possessorum partium rei mobilis pro diviso. Huc pertinet lex 8. fin. de rei vind. ff. (6.1). Contra vero cum immobilium natura non talis sit, ut nequeant nisi in integritate ac totalitate adhiberi, sed optime possit in parte aliqua activitas exerceri, non obstante partium continentia, quae a voluntate operantis restringitur; rei immobilis partes pro diviso a pluribus possideri posse manifeste consequitur, l. 26. ff. h.t. - b) Quod si quaestio de partibus pro indiviso instituatur, tunc absolute affirmativa danda est responsio propositae quaestioni, nulla facta distinctione inter rem mobilem et immobilem, l. 26. et 43. pr. ff. h.t., l. 4. §. 1. ff. pro empt. (41.4), l. 1. §. 7. ff. uti poss. (43.17), l. 1. §. 6. ff. quod legat. (43.3). Ratio petenda est ex ipsa natura partis pro indiviso, quae cum non secumferat materiales partis limites non restringit activitatem ad aliquam partem tantummodo, sed ad omnes extendit, non quidem absoluta exclusivitate, sed relativa ad propriam portionem, ut patet in exemplo condominii eiusdem fundi vel aedificii etc. l. 42. pr. ff. h.t.

§ 5.

De acquirenda possessione.

Possessionem vel per nosmetipsos vel per alios acquirimus. Sit

I. De acquirenda per nosmetipsos possessione.

Paulus l. 3. §. 1. ff. h. t. hanc exhibet regulam: Adipiscimur possessionem corpore et animo, neque per se animo, aut per se corpore. Consonat l. 8. ff. h. t., l. l. 153. ff. de R. J. (50. 17) Rec. Sent. V. 2. 1. Duo igitur ad acquirendam possessionem concurrere debent, corpus scilicet et animus. Videamus quid utrumque secumferat.

1º) De Corpore. Corporis actum necessarium esse ad acquirendam possessionem ex ipsa possessionis natura evidenter apparet. At quinam corporis actus requiritur et sufficit? Gravissima inter DD. extat hac in re controversia. Veteres iuris nostri interpretes retinebant, corporis actum consistere debere vel in occupatione, vel in accessione, vel in traditione sive vera sive ficta. Savigny, quem fere omnes nunc sequuntur, veterem opinionem evertere conatus est, contendens, op. cit. §. 14. corporis actum ad acquirendam possessionem necessarium non in alio proprie consistere, quam in possibilitate agendi immediate in ipsam rem, ceterosque ab eadem excluden=

di. Hinc reiicit fictas veterum traditiones, eas ad dictam possibilitatem revocans. Verumtamen putamus non hanc fuisse romanorum J. Ctorum. de acquirenda possessione theoriam. Quod ut pateat, tres distinguamus oportet traditionis species, (1) propriam, (2) impropriam, (3) fictam; non enim quaeque traditio, quae propria non sit, hoc ipso ficta dicenda est; ficta proprie traditio tunc tantum dicitur, cum revera nullimode extat, sed a iure fingitur ob graves extare rationes. Iam si non extet quidem tactus corporalis apprehensionis, in quo propria consistit traditio; extet tamen alter corporalis actus, qui physicae apprehensioni aequivaleat; apparet hanc traditionis speciem proprie fictam dici non posse, cum revera actus corporalis intercesserit; neque propriam dici posse cum tactus corporalis defuerit. Erit ergo impropria traditio, quae tandem aliud non est, quam extensio quaedam propriae ac strictae traditionis

Iam a) propriam traditionem esse actum corporis sufficientem ad possessionem acquirendam, res adeo clara est, ut explicatione haud indigeat. Immo ad hoc necesse non esse singulas rei partes contrectare, sed sufficere ut pars rei tantum apprehendatur, manifeste patet ex iis quae iam diximus in n. IV. Quaer. 2. Verum quamvis tactus physicus sit

sufficiens non tamen est absolute necessarius ad possessionem acquirendam; secus enim non nisi difficulter, et quidem paucarum omnino rerum possessio acquiri posset. Hac ratione moti romani J. Cti. improprias introduxerunt traditiones ad possessionem acquirendam.

b) Impropria traditio. - Diximus iam improprias traditiones non esse nisi propriae traditionis ampliationes ac extensiones. Verumtamen putandum non est, ius nostrum indiscriminatim has extensiones admisisse tamquam corporis actus sufficientes ad possessionem acquirendam. Certos enim statuit limites, quos praeterire nefas, certasque exegit conditiones, quibus extantibus tantum impropriam possessionis acquisitionem agnovit. Hi limites, haeque conditiones ad haec commode reduci posse videntur: 1º = Existat necesse est secura physica disponibilitas. = Quod sic interpretandum est: Ad hoc ut admitti possit impropria possessionis acquisitio, requiritur imprimis, ut existat facultas physice rem apprehendendi, quae facultas secura insuper debet esse, seu talis, ut inverosimilia futura impedimenta usui eiusdem appareant, ut esset v.g. morbus, negotia extranea, actio contraria ect. Porro disponibilitas haec existere censetur, quoties inspectis praesentibus facti circumstantiis non solum praesumi, quin imo moraliter certum ac indubium esse possit, quod

Prima conditio

possessor, si vellet, posset nunc physice rem ap=
Secunda conditio prehendere. 2° = Ut aliquis corporalis actus
ab actu quidem diversus intercesserit, quo
initium sive immediati sive mediati saltem
exercitii activitatis in ipsa re indicetur. Duo
haec a J. Ctis romanis statuta sunt tactus
physici defectum, positaque sunt tamquam
fundamentum singularum specierum acqui=
sitionis impropriae, de quibus nunc breviter
agendum, ut insimul et veritas propositorum principiorum appareat et romani iu=
ris hac de re expositio fiat.

Prima quae nobis sese hic exhibet est traditio quam longa manu appellant. Impro=
pria haec traditio non est nisi propriae ~~ex~~ pe=
tensio quasi longa manu quisnam attigis=
se videatur. Corporis actus, qui in hac tradi=
tione intercedit, consistit oculis et affectu,
hinc si adsit ex altera parte physica dispo=
nibilitas, haec traditio sufficiens erit ad pos=
sessionem acquirendam. Huc spectat species
l. 18. §. 2. ff. h. t. qua J. Ctōs Celsus definit, quod
si venditor vicinum mihi fundum mercato
in mea turre demonstret, vacuamque se pos=
sessionem tradere dicat, non minus possi=
dere caeperim, quam si pedem finibus intu=
lissem. Iavolenus l. 29. ff. de solut. (46. 3) simi=
lem pertractat speciem quoad eum, qui ius=
sit pecuniam aut aliam rem sibi debitam
in conspectu suo poni: hoc modo pecuniam

ait ei acquisitam ac quodammodo manu longa traditam existimandam esse. Eadem habet Paulus l. 1. §. 21. ff. h. t., ubi proposita specie de eo, qui iusserit venditorem procuratori rem tradere, cum ea in praesentia sit pro eidem tradita haberi censet hanc reddens praecise rationem: = non est enim corpore et tactu (tactu) necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis et affectu. = Aliam demum huius iuris applicationem habemus in l. 51. ff. h. t., cuius tamen non una a DD. traditur interpretatio. At si prae oculis habeantur quae hucusque dicta sunt non difficilis eiusdem evadet explicatio.

Secunda impropriae acquisitionis species habetur in rei illatione in domum aut in fundum vicinum acquirentis; siquidem et hic intercedit actus corporalis non quidem immediatus sed mediatus et indirectus in ipsa rei illatione in domum aut fundum meum, quae veluti apprehensionis instrumentum mihi sunt: extat insuper certa physica disponibilitas fundata in ipsa domus aut fundi mei propinquitate. Neque est ut quis l. 3. §. 3. ff. h. t. opponat. Huius legis species haec est: Fundum meum Tusculanum possideo, in quo thesaurus positus est. Quaeritur an et thesaurum possideam? Paulus reiectis Neratii et Proculi nec non Bruti et Manilii sententiis, Sabino consentit iuxta quem ad hoc ut ego et thesaurum possideam

non sufficit ut fundum possideam, ut putant Brutus et Manilius; sed insuper requiritur, ut sciam thesaurum in fundo meo positum iuxta Neratii et Proculi opinionem; sed neque hoc sufficit, nec enim alias quis scit thesaurum possidet, nisi si locus motus sit; quia non sit sub custodia nostra. Ex quibus videretur non sufficere ad acquisitionem, quod aliquid in fundo nostro illatum sit, sed insuper requiri, ut physica apprehensione rem loco moveamus. Verum si bene attendatur, defectus acquisitionis in casu non ideo habetur, quia deficit sufficiens actus corporalis; sed potius quia deficit certa physica disponibilitas, cum nesciatur praecisus locus in quo thesaurus positus est. Hinc J. Ctūs. in casu requirit insuper, ut loco moveatur; quod non taxative sed demonstrative intelligendum est: Caeterum interpretatio haec vehementer suadetur ab ipsa ratione, quam affert J. Ctūs: = quia non sit sub custodia nostra =. Quin igitur infirmetur potius hac lege confirmatur quod supra diximus de hac altera impropriae acquisitionis specie. Ad hanc pertinet, quod Celsus tradit l. 18. §. 2. ff. h. t. = Si venditorem quod emerim, deponere in mea domo iusserim, possidere me certum est, quanquam id nemo dum attigerit = Huc pariter referenda Proculi disputatio l. 55. ff. de acq. rer dom. (41.1). Species haec est: In laqueum, quem venendi causa Titius posuerat, aper in=

cidit: cum eo haereret, exemptum eum abstu=
lit Sempronius. Quaeritur a) num Sempronius
videatur Titii aprum abstulisse? b) Et si Titii
iam fuisset, si solutum eum in silvam Sempro=
nius dimisisset, an Titii esse desiisset, vel mane=
at adhuc? - c) si desiisset Titii esse, quam actio=
nem haberet Titius adversus Sempronium; num
actio in factum? - Proculus antequam ad solu=
tionem deveniat, varias proponit distinctiones;
videndum nimirum, ait, an Titius laqueum in
publico an in privato posuerit; et si in privato,
utrum in suo an in alieno; et si in alieno, u=
trum permissu eius cuius fundus erat, an non
permissu eius posuerit: praeterea utrum in eo
ita laeserit aper, ut expedire se non possit i=
pse, an diutius luctando expediturus se fue=
rit. Hisce praemissis dat conclusionis sum=
mam his verbis. = Summam tamen hanc puto
esse, ut si in meam potestatem pervenit, meus
factus sit: Sin autem aprum meum ferum
in suam naturalem laxitatem dimisisset,
et eo facto meus esse desiisset, actionem mihi
in factum dari oportere, veluti responsum est,
cum quidam poculum alterius ex nave eiecis=
set. = DD. hanc responsionem considerantes quae=
rere solent, ad quid Proculus eas omnes distin=
ctiones praemiserit, cum solutioni eas non a=
ptet? - Voet ad Pand. ad tit. de acq. rer. dom. n.
4. putat, ineptas et ad rem haud facientes eas
distinctiones esse. At contrarium prorsus di=

cendum apparet, si theoria a nobis proposita de actu corporali et de certa physica disponibilitate, proculeianae speciei aptetur.

Demum alia impropriae acquisitionis species habetur in clavium traditione; clavibus enim traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea traditae sint. l. 74. ff. de cont. empt. (18.1). Sane in ipsa clavium traditione duplex traditio continetur: propria ipsarum clavium; impropria mercium in horreis, quorum claves — sunt, conditarum. In hac impropria traditione habemus in primis actum corporalem mediatum in ipsas merces, quae repraesentantur a clavibus horrei: habemus insuper certam physicam disponibilitatem, quae fundamentum habet tum in ipsa clavium possessione, tum in horrei propinquitate. Exinde patet quid dicendum de veteribus, qui hanc symbolicam appellant. Profecto si ita appelletur traditio relate tantum ad claves in quantum repraesentant merces, tunc nulla difficultas, at si ipsa integra traditio symbolica dicatur, tunc locutio haec vera non esset; quod inter caetera evidenter apparet tum ex eo quod claves apud horrea tradendae sint, tum ex eo quod claves debent propriae illius horrei, in quo merces continentur.

C) Ficta traditio. - Diximus iam quomodo ficta traditio ab impropria distinguatur; in

ea enim desunt duo illa elementa, quae impropriam constituunt traditionem, eaque solo animo civilis acquiritur possessio. Siquidem tunc locum habere ficta traditio dicitur, cum iam apud eum est materialis rei detentio, deficiente tamen animo proprio, cui nunc vera possessio acquiritur. Ponamus rei alienae detentorem, qui tamen non animo proprio rem detineat. Si huius rei dominus eam detentori alienet, iam hic ficta traditione acquirit; quod enim desit naturali possessioni, id animus implet. In ficta igitur traditione res nuda voluntate peragitur. At putandum non est, et alterum corporis scilicet elementum deesse; hoc enim iam praeexistit, et quia praeexistit, fingi nunc potest quod iterum intercedat. Hinc patent Pauli verba l. 3. §. 3. ff. h.t. = Solo animo non posse nos acquirere possessionem, si non antecedat naturalis possessio = Modus hic acquirendi possessionem a veteribus dictus est traditio brevi manu. Eius introducendae ratio ac fundamentum in eo est, ut inutiles removeantur circuitus et res recto tramite eo perducantur, quo omnibus servatis tandem perducerentur. Caeterum ad rectam legum interpretationem recolendum apprime hic est, non illico, sed sensim sine sensu introductas ac agnitas in iure nostro fuisse has fictas traditiones, adeo ut a simplicioribus ad com=

plicatiores casus nonnisi tractu temporis et mitioris iurisprudentiae opera deventum sit. Exinde petenda conciliationis ratio quoad ea, quae diversimode inter J. Ctōs tradita inveniuntur. Cfr. Gai. 3. 129, l. 15. ff. de reb. cred. (12.1.) Coll. l. 34. pr. ff. mand. (17.1).

2°) De Animo. - Non solum corporis, de quo hucusque egimus, sed et animi actus concurrat necesse est ad acquirendam possessionem. Animus, qui ad acquirendam possessionem iure romanorum exigitur, non est animus dominantis et multo minus animus domini; expressiones huiusmodi originem ducunt a graecis interpretibus. Apud romanos J. Ctōs. animus hic non est nisi animus seu affectio possidendi, qua quis non solum intendat rem simpliciter detinere, sed ad hoc praecise detinere, ut suam in re activitatem exclusive et non momentanee exerceat, l. 41. ff. h.t. Ex his petenda ratio decidendi l. 30. pr. ff. h.t. Quod si error in transferenda possessione intervenerit, si quidem error in rei nomine tantum ceciderit, non impedietur translatio possessionis; sin vero in corpore erratum sit, nulla acquiretur possessio, l. 34. pr. ff. h.t.

...requuntur ...actus humanus ...sunt ve actus ...hominis.

II. De acquirenda per alios possessione.

Hactenus egimus de possessione acquirenda per nosmetipsos; nunc manet videndum quo-

modo nobis acquiramus possessionem per alios. Duae hic quaestiones occurrunt: 1° Quid requiratur ad hoc ut possessionem per alios acquiramus? 2° Per quas personas nobis possessionem acquirere possumus?

Ad 1.^am Ad possessionem per alios acquirendam requiritur: a) animus et voluntas acquirendi ex parte eius, cui acquiritur; ut enim ait Paulus l. 5. 2. 1. = Possessionem acquirimus et animo et corpore; animo utique nostro: corpore vel nostro vel alieno =; et l. 3. §. 12. ff. h. t. = caeterum animo nostro, corpore etiam alieno possidemus. = b) Ex parte acquirentis animus et voluntas nobis acquirendi, l. 1. §. 19. et 20. ff. h. t. c) demum ut acquirens possit esse instrumentum iure civili capax acquirendae nobis possessionis. Ad quod duo concurrere debent: a) ut per eum nobis acquiri in genere possit: b) ut adsit in nobis physica disponibilitas, seu facultas immediate agendi in ipsam rem. Haec autem disponibilitas tunc censetur haberi cum acquirentis positio relate ad nos talis sit, ut, eadem inspecta, nostra actio corporalis in re posset in praesens verificari. Haec omnia insimul concurrant necesse est, ut per alium nobis acquiri possit possessio.

93

Quoad 2.^am Mox expositorum principiorum applicationem apertissimam videbimus, recensentes personarum seriem, per quas nobis po-

test possessio acquiri. Id autem efficiemus, Gai (2. §. 86. 95) vestigiis inhaerentes.

a) Acquiritur nobis possessio per eos, quos in potestate habemus, Gai 2. 89; cuius enim rei possessionem servi nostri filiique familiàs adepti fuerint, id nos possidere videmur. Concurrunt hic omnia superius exposita requisita, ut evidens est; quin imo ex defectu unius vel alterius requisiti ducenda ratio decidendi, l. 1. §. 19., l. 50. pr. ff. h.t. Difficultas tantum occurrit in eo, quod primo loco posuimus: requiriturne animus et voluntas domini, aut patrisfamilias? distinguendum est, an filii vel servi ex iusta causa peculiariter; aut ex maleficiis vel extra peculia causam acquirant. In priori casu etiam ignoranti domino, vel patrifamilias acquirunt, l. 1. §. 15, l. 3. §. 12, l. 24, l. 44. §. 1. ff. h.t. Rationem dat Paulus l. 1. §. 5. ff. h.t. = Quia nostra voluntate intelligantur possidere, qui iis peculium habere permiserimus = adeo ut = videmur eas res eorundem et animo et corpore possidere = l. 3. §. 12. ff. h.t. In altero vero casu, cum haec fictionis ratio deficiat, necessaria apparet domini vel patrisfamilias scientia, l. 44. §. 1. ff. h.t., l. 2. §. 11. ff. pro empt. (41.4). Ea vero, quae ex maleficiis apprehenduntur, ad domini vel patris possessionem ideo non pertinent, quia nec peculii causam apprehendunt, l. 24. fin. ff. h.t. Caeterum et per eum servum, in quo usumfructum

habemus, vel quem bona fide possidemus quamvis alienus sit vel liber nobis possessionem acquiri, constat ex l. 1. §. 8. et 6. ff. h. t.

b) Per liberas personas, quae in potestate nostra non sunt, acquiri nobis nihil potest; sed per procuratorem acquiri nobis possessionem utilitatis causa receptum est, Paul. r. s. 5. 2. 2. Pariter hic non est difficilis omnium, quas requiri diximus, conditionum inspectio. Verumtamen speciales quaedam hic sunt agitandae quaestiones.

Quaer. 1°) An nobis ignorantibus acquiri possessio per procuratorem possit? Habemus hac de re legem 1. Cod. h. t. (7. 32) qua Imp. Severus et Antoninus constituerunt, per procuratorem non solum scientibus, sed etiam ignorantibus nobis acquiri possessionem; usucapionem vero incoari non posse, nisi postquam scientia intervenerit. Id autem non de absoluta sed de actuali ignorantia intelligendum esse patet ex eo quod defectum quidem corporis non vero animi suppleri posse in iure nostro constat. Hinc ad acquirendam nobis possessionem non sufficit generale, sed requiritur speciale mandatum, quod non absolutam sed actualem tantum ignorantiam ex parte nostra secumferre potest. Ideo autem actualis haec ignorantia acquisitioni non obstat, quia habituali nostra voluntate et scientia peragitur. Quod si generale mandatum datum sit,

necessaria erit actualis scientia vel ratihabitio ex parte mandantis, l. 42. §. 1. ff. h. t. Neque his obstat l. 34. §. 1. ff. h. t., utpote in qua, si recte species instituatur, non deest habitualis mandantis voluntas.

Quaer. 2°) Quid si procurator erret in corpore? Videretur, quod non acquiratur possessio, deficiente animo ex parte procuratoris. Nihilominus Ulpianus l. 34. §. 1. ff. h. t. decidit magis esse ut mandanti acquiratur possessio. Ratio est quia animus acquirendi requiritur in mandante, animus vero qui in mandatario exigitur, est tantum ut velit nostrum esse acquisitionis instrumentum.

Quaer. 3°) = An nobis acquiratur, cum procurator noster non cum ea mente ut operam dumtaxat suam accomodaret, sed suo nomine nactus sit possessionem. Quoad hanc quaestionem ipsae leges in aperta extare contradictione videntur. Paulus l. 1. §. 20. ff. h. t. ait nobis non posse possessionem acquiri. Consonat Iulianus l. 37. §. 6. ff. de acq. rer. dom. (41. 1) = Si procuratori meo rem tradideris ut meam faceres, is hac mente acceperit, ut suam faceret, nihil agetur. = His contradicit Ulpianus l. 13. ff. de donat. (39. 6) = Si procuratori meo hoc animo rem tradiderit, ut mihi acquirat, ille quasi sibi acquisiturus acceperit, nihil agit in sua persona, sed mihi acquirit. Alii aliter haec ad invicem conciliare conantur. Nos ita rem com=

poni posse putamus. Quod spectat dominii acquisitioni nihil agitur, ut bene notat Iulianus; ad hanc enim utriusque et dantis et accipientis consensus conveniat necesse est. Huic theoriae proprie non contradicit Ulpianus, qui potius in subiecta liberalitatis materia aequitatem, ut ussolet, extollens, exceptionem proponit, ne perfidia procuratoris, amici liberalitas in mandantis damnum pervertatur. Quid vero Paulum spectat, optime ait, mandanti possessionem non acquiri; eo quia procurator noluit operam suam eidem accomodare, quod omnino requiri diximus ad hoc ut nobis per alium acquiri possit possessio. Bene vero in casu possessio ab ipso procuratore acquisita, cum utrumque, corporis et animi, elementum concurrat.

c) Per tutorem curatoremve nobis possessio acquiritur, l. 1. §. 20. ff. h.t. Hac in re distinguamus oportet infantes ab eis qui fari possunt sive minores sive pupilli sint. Imprimis quoad minores vel pupillos, auctore tutore, vel curatoris consensu possessionem acquirere possint, nullum dubium est, l. 1. §. 3. ff. h.t., l. 4. §. 2. ff. de usurp. et usuc. (41. 3). - Quod si pubertati proximi sint, etiam sine tutoris auctoritate per semetipsos possessionem acquirere posse constat ex l. 1. §. 3. l. 32. §. 2. ff. h.t., l. 4. §. 2. ff. de usurp. (41. 3). At minoribus vel pupillis ignorantibus acquirine possessio potest per tutorem curatoremve? Videretur obstare non unum ex his, quae re=

quiri diximus ad acquirendam per alium possessionem. Nihilominus Neratius l. 13. §. 1. ff. de a. r. d. (41. 1), Ulpianus l. 11. §. 6. ff. de pig. act. (13. 7), Paulus l. 1. §. 20. ff. h. t., affirmative respondent. Incongruum enim nimis visum est, ut non possit per tutores, quod per procuratores potest suppleri, inspecta praesertim minorum vel pupillorum conditione. Quod vero infantes spectat, cum ipsi iudicio careant; receptum in iure est, ut ipsi tutores pro his iudicium suscipiant, l. 1. §. 2. ff. de adm. et peric. (26. 7). Hinc actus, qui personalem infantis animum requirerent, in infante non intelliguntur; cum nec ipse infans, utpote iudicio carens, per se eos emittere possit; nec tutor, qui sua auctoritate posset tantummodo supplere pupilli iudicium. Huius vi actum esse de possessionis acquisitione manifestum est. At tractu temporis, aequitate suadente receptum fuit, ut per solum tutorem possessio infanti acquireretur. Exinde ulterius progressum est, et utilitatis causa receptum, ut infantes auctore tutore per se acquirere possessionem possent. Id nobis ostenditur ab Imp. Decio Const. 3. Cod. h. t., cuius non una ab interpretibus exhiberi solet interpretatio. Verba haec sunt: = Donatarum rerum a quacumque persona infanti vacua possessio tradita corpore quaeritur. Quamvis enim sint auctorum sententiae dissentientes; tamen consultius videtur interim, licet animi plenus

non fuisset affectus possessionem per traditionem esse quaesitam: alioquin sicut viri consultissimi Papiniani responsio continetur, ne quidem per tutorem possessio infanti poterit acquiri.= Sunt qui putant, duce Alibrandi op. cit. n. 45. legem hanc fuisse a Triboniano corruptam; ut eam Iustinianus accomodaret legislationi, qua adamussim, iuxta hos DD. receptum fuit contra iuris veteris dispositionem; posse infanti per tutorem acquiri possessionem. Alii e contra ita hanc legem interpretantur, ut retineant, infantes posse per se possessionem acquirere, innixi praesertim prioribus legis verbis, nec non l. 1. §. 11. ff. h.t. Verum huic sententiae fortiter obstat principium, quod solo corpore acquiri possessio nequeat. Lex vero 1. §. 11. ff. h.t. generaliter de pupillis loquitur. Hinc Paulus optime ponit illud maxime ad indicandum pupillos omnes, sint vel non sint infantes, posse auctore tutore possessionem acquirere, dum sine tutoris auctoritate non possunt nisi qui infantes amplius non sunt, l. 32. §. 2. ff. h.t. Exinde patet retinendam omnino esse Cuiacii, Donelli, Savigny aliorumque sententiam, docentium, nullo unquam tempore receptum in iure nostro fuisse, ut infans solus posset per se possessionem acquirere. Alii demum cum Ruggieri Op. cit. §. 277., ita propositam legem interpretantur, ut admittant possessionis

acquisitionem, auctore tamen tutore; adeo ut iuxta Imp. Decium infans corpore quidem acquirat, animus vero a tutore suppleatur; quod confirmant ex ipsa Imperatoris ratione: = alioquin nec quidem per tutorem possessio infanti poterit acquiri =; quasi diceret, si non admittimus, tutorem posse animum supplere infantis ad possessionem acquirendam, qui fieri potest, ut amplius admitti possit tutorem solum posse infanti possessionem acquirere? Interim ex his manifeste consequitur quod antea diximus, nimirum primum in iure nostro receptum fuisse, ut tutor solus posset infanti possessionem acquirere, ac postea quasi per consequens, ut ipse infans posset auctore tutore.

§ 6.

De amittenda possessione.

Necesse non est ut specialiter de retinenda possessione agamus, tamdiu enim possessionem retinemus, quamdiu eam non amiserimus. Sufficit igitur ut de amittenda possessione tractatio tantummodo instituatur. Hac pariter in re distinctim agamus oportet de possessione, quam per nosmetipsos et de ea, quam per alios retinemus.

I. - De amittenda possessione quam per nosmetipsos retinemus.

Ad hoc ut possessio retineatur, necesse est ut in possessore continuo verificentur elementa, ex quibus possessionis natura resultat, scilicet a) possidendi animus sive actualis sive habitualis: b) corporis actus sive actualis sive potentialis. Exinde consequitur, quod amittatur possessio vel a) animo et corpore, b) vel animo tantum, c) vel tantum corpore; uno enim ex essentialibus rei elementis deficiente, et integra res deficiat necesse est; l. 3. §. 6. l. 44. §. 2. ff. h. t. His tamen fortiter obstare videtur l. 8. ff. h. t. = Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est. = Consonat l. 153. ff. de R. S. (50. 17). Savigny putat, illud utrumque indeterminatam habere etiam posse significationem, adeo ut indicet vel unum aut alterum; idque pluribus in medium allatis exemplis demonstrare conatur, op. cit. pag. 310. seq. Conveniunt cum Savigny Windscheid §. 156., Arnds §. 142., Alibrandi §. 23. aliique plures. Aliam Ruggieri §. 292 proponit interpretationem. Putat ipse in oppositis legibus contineri unum ex modis, quibus ea, quae contraria sunt, dissolvuntur, scilicet actis contrariis, adeo ut quemadmodum obligationibus

iisdem in contrarium actis modis, quibus obligati sumus liberamur, in hypothesi, qua modus hic extinctionis electus sit, ita eodem in contrarium acto modo, quo possessio acquisita est, amittitur, posito, quod modus hic amittendae possessionis eligatur. Non ergo excluditur, quod vel uno essentiali elemento deficiente, et ipsa possessio deficiat. Triplex igitur est modus amittendae possessionis, animo et corpore, animo, corpore.

a) Amittimus possessionem animo et corpore vel cum rem animo amittendi possessionem derelinquimus, l. 44. §. 2. ff. h.t., vel etiam cum rem alteri tradimus eo animo ut in eum possessionem transferamus. At quid si traditio talis intercesserit, ut accipiens per eam non possit possessionem acquirere, tradens amittet ne nihilominus possessionem? Quaestio haec in hanc alteram resolvitur: Continetur ne in traditione tacita conditio, qua unus non amittat possessionem nisi ab altero acquiratur? Celsus l. 18. §. 1. ff. h.t. huic quaestioni negative respondet; illud enim ridiculum est dicere, quod non aliter vult quis dimittere, quam si transferat; immo vult dimittere; quia existimat se transferre: At Ulpianus l. 34. pr. ff. h.t. contrarium sustinet; si enim accipiens non acquirit, ergo nec amittit possessionem qui quodammodo sub conditione de possessione. Fere omnes recentiores DD. realem inter Celsum et Ulpianum di=

screpantiam opinionis agnoscunt, aliique stant pro Celso; et alii pro Ulpiano. At putamus cum Ruggieri § 295 hanc realem opinionum discrepantiam haud adesse, si bene utriusque legis species attendatur. Celsus enim agit de possessionis traditione furioso facta ab eo, qui illum sanae mentis esse existimabat. Error hinc est tantum quoad terminum ad quem, qui proinde non impedit, quominus vera amittendae possessionis voluntas adfuerit in tradente, qui proinde amittet possessionem. Contra Ulpianus aliam pertractat speciem, illius nimirum, qui mihi fundi Corneliani possessionem tradidit, dum aestimabamus eum esse fundum Sempronianum, cuius revera traditio facienda erat. Error hinc est in corpore seu in obiecto traditionis. Ideoque in tradente non potest supponi absoluta voluntas amittendae possessionis fundi Corneliani. Hinc si propter errorem in corpore, fundi corneliani possessio ab accipiente non acquiritur, propter eumdem errorem nec amittitur a tradente.

b) Animo amittimus possessionem per actum contrarium voluntatis, quo perseverantis animi possidendi praesumptio destruatur. Actus hic in l. 3. § 6. l. 12. § 1. l. 30. § 4. ff. h. t. exprimitur: si nolis, si nolimus possidere, quisque constituit nolle possidere. Exinde est, quod furiosus nequeat desinere animo possidere, l. 22.

ff. h.t.; quemadmodum et pupillus sive natura sive lege deficit animus ad amittendam possessionem sufficiens, l. 29. ff. h.t.

c) Corpore demum amittimus possessionem quoties contrarium aliquod physicum factum eveniet, quo destruatur penitus disponibilitas illa, qua possessionem sive nostro sive alieno corpore retinebamus. Haec si prae oculis habeantur, difficilis non erit intelligentia legum quae hac de re agunt sive quoad mobilium, sive quoad immobilium possessionem. Cfr. praesertim l. 3. §. 13., l. 25. pr., l. 13. pr. l. 3. §. 17., l. 31. §. 3., l. 6. §. 1., l. 3. §. 8., l. 7., l. 3. §. 9. etc. ff. h.t.

II. - De amittenda possessione quam per alios retinemus.

Quoniam hanc possessionem animo quidem nostro, corpore vero alieno detinemus; hinc quod spectat eiusdem amissionem, necesse est distinctim consideremus et personam quae animo proprio et corpore alieno, et eam, quae corpore proprio, animo vero alieno possidet; seu personam, quae vere possidet, et personam per quam possidetur. a) Imprimis persona, quae possidet, animo quidem amittit possessionem eodem modo, ac si animo et corpore proprio possideret, corpore vero amittere nequit, quia eam non corpore proprio sed alieno detinet. b) Quod si consideremus personam, per

quam possidemus, quoniam eiusdem corporis actu possessionem retinemus, hinc tamdiu eam retinebimus, quamdiu actus hic corporis perdurabit. Qua de re amittemus possessionem, quoties actus hic corporis alieni eventu aliquo contrario destruetur. Porro eventus hi contrarii oriri possunt vel ab extrinseco, vel in animo personae, per quam possidemus. De utrisque singillatim breviter agendum. - a) De externis eventibus. Possessionem amittimus, si illi qui nostro nomine erant in possessione vi ex ea deiiciuntur, l. 1. §. 22. ff. de vi (43.16); pariter si ipsi ex causa non temporanea sed perpetua v. g. emptionis venditionis, alteri rem tradiderit, l. 33. §. 4. ff. de usurp. (41. 3). Amittimus quoque si illi, qui nostro nomine possident, mortui sint, et post mortem eorum adipisci possessionem neglexerimus, et alius interim eam apprehenderet. Itaque statim ipsis mortuis, eam non amittimus: quod sane specialiter propter utilitatem receptum est, cum tunc proprie neque nostro, neque alieno corpore rem detineamus, l. 3. §. 8.; l. 25. §. 1., l. 40. §. 1. ff. h. t. - At quid si possessionem ipsi dereliquerint? Certum est quod si non eo animo derelinquant, ut eam deserant, nos non amittimus possessionem, l. 31. ff. h. t. Quod si discedant animo deserendae possessionis, utrum nos possessionem amittamus, controversia erat inter Proculeianos et Sabinianos, istis affirmantibus l. 31. 40. §. 1. l. 3. §. 8.

13. Solieri. 1901.

l. 44. §. 2. ff. h. t.; illis negantibus, nos amittere possessionem l. 31 ff. de dolo (4. 3), dummodo tamen post desertionem alter non occupaverit possessionem; quo in casu Proculeiani cum Sabinianis conveniebant in amissione possessionis, l. 40. §. 2. ff., l. 44. §. 2. ff. h. t. Hac super quaestione data est a Iustiniano celebris constitutio Codicis 12. h. t., cuius brevis hic expositio facienda. Verba haec sunt: = Ex libris Sabinianis quaestionem in divinas nostri numinis aures relatam tollentes, definimus, ut sive servus, sive procurator, vel colonus, vel inquilinus, vel quispiam alius, per quem licentia est nobis possidere, corporaliter nactam possessionem cuiuscumque rei eam dereliquerit, vel alii prodiderit, desidia forte vel dolo, ut locus aperiatur alii eamdem possessionem detinere nihil penitus domino praeiudicii generetur; ne ex aliena malignitate alienum damnum emergat =. Fere omnes conveniunt, quod duae sint, quae in hac lege proponuntur quaestiones: prima simplicis desertionis, altera desertionis et subsequentis occupationis ab altero factae. Cuiacius in l. 3. §. 8. et 9 ff. h. t., aliique plures putant Imperatorem primam quidem favore Proculeianorum solvisse quaestionem; alteram vero integram reliquisse, adeo ut quemadmodum antea, ita et post hanc constitutionem in eo casu amittatur possessio. Sententia haec non satis convenire

videtur cum integro legis contextu. Hinc alii, inter quos Vinnius ad §. 5. Inst. de interd., Savigny p. 354. Arndts §. 143 etc. putant Iustinianum utramque solvisse quaestionem et constituisse in utraque hypothesi nostram salvam manere possessionem. At non satis videtur quomodo in secunda hypothesi non amittatur sed retineatur possessio. Eo vel magis quod, ut vidimus nulla ante Iustinianum fuerat controversia inter J. Ctōs, quod in eo casu amittatur possessio. Qua de re probabiliter retinemus sententiam Ihering. op. cit. pag. 89. seqq. Iuxta hanc sententiam dicendum, Imperatorem quoad primam quaestionem statuisse quidem cum Proculeianis nos non amittere possessionem ideoque interdictum retinendae competere nobis; at quoad alterum casum certe non introduxisse legislationem iuri veteri contrariam, quasi nos non amittamus possessionem, sed tantummodo constituisse, ut = nihil penitus praeiudicii.... nullo modo aliquid discriminis domino generetur = ex occupatione ab alio post desertionem factam. Porro id non necessario secumfert, ut nos non amittamus possessionem, sed potius ut nobis, qui ex aliena malignitate possessionem amissimus consulere voluerit Imperator per novum interdictum, quod Ihering vocat momentariae possessionis, quo nobis possessionem restituendam censuit.

b) De internis eventibus. - Non solum modis hucusque expositis nos amittimus possessionem, quam per alios retinemus; sed et aliis, qui in ipso harum personarum animo evolvuntur. Ex his, quae dicta sunt, manifeste consequitur, quod sicut ad acquirendam per alium possessionem, requiritur ut hic habeat voluntatem ac animum nobis acquirendi; ita ad possessionem per alium retinendam requiratur, ut hic perduret in animo ministerium suum nobis praestandi, qui semper praesumitur, usquedum positivo contrario actu non revocetur. Principalior ac insimul difficilior quaestio, quae hac in re agitari solet, ea est, an amittamus nos possessionem, si persona quae nomine nostro eam detinet, mutato animo, incipiat eam detinere animo proprio. Videretur dicendum per hoc nos possessionem amittere, cum non amplius nostrae possessioni ministerium alienum praestetur. At contra est; iure enim nostro apertissime receptum est, ut non amittamus possessionem, l. 3. §. 18. et 19. ff. h. t. Duplex traditur in citata lege huius iuris ratio: prima, quae valet tantummodo pro rebus mobilibus, ex eo ducitur, quod solo animo furtum non admittatur: altera autem, quae tum mobilibus, tum immobilibus communis est, ducitur ex celeberrima regula = Nemo sibi ipse causam possessionis mutare potest. = Detectis Gai

comment. (2. 52. seq.), apparet primaevam vel saltem graviorem huius regulae applicationem fuisse in lucrativa usucapione pro herede; qua quilibet possidens anno res hereditarias quarum possessionem heres nondum nactus erat, poterat dominium nancisci. Veteres noluerunt hanc doctrinam ad eos extendere, qui iam civiliter vel naturaliter possidebant, dum adhuc in vivis esset dominus; aptantes praecise regulam, quod nemo sibi ipse causam possessionis mutare potest, l. 2. §. 1. pro hered. ff. (41. 5). Exinde explicari potest l. 3. Cod. h. t. Haec est ut ita dicam originalis regulae applicatio. At non infra lucrativae usucapionis limites regula haec permansit; sed eadem aequitatis ratione suadente, extensa fuit et ad alios casus non solum civilis sed et naturalis possessionis; quo factum est ut si persona, quae nostro nomine possidet, inciperet animo proprio possidere, huiusmodi animi immutatio nihil eidem proficiet, cum non possit sibi ipse causam possessionis mutare; ideoque nos per hoc non amittamus possessionem.

Propositae tamen regulae nonnullae fieri solent exceptiones: a) in casu quo causae mutatio nec mutanti lucrum usucapionis, nec possessionis damnum veteri possessori affert, quod evenire solet cum quis propriam civilem possessionem in naturalem mutat: puta, si quis illud, quod hactenus suo nomine

possedit, deinde velit ac possit alieno nomine possidere; qualis possessionis transferendae modus vulgo constituti possessorii venit appellatione, l. 18. pr., l. 19. pr. ff. h. t. - b) Si mutatio bona fide fiat et absque animo fraudolento, l. 30. §. 20. ff. h. t., l. 32. pr., l. 33. §. 1. ff. de usurp. (41. 3). - c) Si dimissa possessione prima, eiusdem rei denuo ex alia causa possessionem nancisci velit, l. 19. §. 1. ff. h. t., l. 5. Cod. eod.

§ 7.

De effectibus possessionis.

Ad possessionis tractationem perficiendam manet, ut de eiusdem effectibus breviori, quo fieri potest sermone agamus. Non conveniunt DD. in adsignando numerum effectuum, qui ex possessione derivant. Non defuere qui usque ad septuaginta duos accurata enumeratione protraxerint. At si bene attendatur, fere omnes ex his, qui enumerari solent, proprie non sunt possessionis effectus, sed potius consequentiae ex aliis generalioribus iuris principiis. Sane si dicatur quod melior sit conditio possidentis, qui proinde in iudiciis non tenetur probare, id potius ex necessitate derivat, qua adstringitur actor suam petitionem cum relativis probationibus proponendi. Pariter si dicam, possessorem habere ius retentionis, id ex eo derivat, quod iudex

damnare reum non soleat, nisi actor ipsius iustitiae aut aequitati satisfecerit ex parte sua. Et ita porro. Hinc est quod communiter DD. quatuor tantummodo assignare solent possessionis effectus, scilicet a) Publicianam in rem actionem: b) fructuum perceptionem: c) Usucapionem: d) Interdicta. Verumtamen neque numerus hic certus apparet. Sane quod imprimis spectat publicianam, hanc non esse possessionis effectum inter caetera apparet ex ipsa huius actionis origine; siquidem praetor hanc introduxit actionem, ut defenderet dominium in bonis; possessio exigebatur tamquam conditio usucapionis, quam praetor impletam fingebat, ut realem daret actionem. Quid dicendum de fructuum perceptione? Putamus neque hanc proprie esse possessionis effectum. Quod ut manifestum fiat, integram, quam nos retinemus, de fructuum perceptione theoriam exponamus oportet. 109

De fructuum perceptione. - Imprimis distinguatur necesse est bonae et malae fidei possessor. Malae fidei possessorem non facere suos fructus, quos percipit ex fundo alieno certum est apud omnes. Contra bonae fidei possessorem suos facere fructus, quos ex fundo bona fide possessio percipit, pariter certum apud omnes est. At quaenam proprie est ratio iuridica, propter quam bonae fidei possessor suos

facit fructus perceptos? Si rem bene attendamus, non in possessione sed in ipsa bona fide ratio haec invenitur. Hinc iuris nostri principium, l. 136. ff. de R. S. (50.17) = Bona fides tantumdem possidenti praestat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est = Posteriorum verborum effectus est, ut bonae fidei possessor non faciat suos fructus pendentes, qui fundi dominium sequuntur, l. 44. ff. de R. V. (6.1); antecedentium vero, ut ipsa separatione suos fructus faciat, ad discrimen usufructuarii et coloni, qui nonnisi perceptione suos faciunt fructus, §. 36. Inst. de rer. div. (2.1): huius discriminis ratio evidentior apparet ex l. 25. §. 1. de usur. ff. (22.1): = bonae fidei possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominus praediorum tributum est = et l. 48. pr. ff. de a. r. d. (41.1) = Quia quod ad fructus attinet loco domini pene est. = Hinc vox perceptio non stricte, sed late hic accipienda est, quatenus nimirum ipsam e solo fructuum separationem indicet. His videretur obstare §. 35. Inst. de rer. div. (2.1), ubi alia ratio, qua possessor bonae fidei suos faciat fructus, assignatur ab Imperatore, cultura nimirum et cura. Ut conciliatio appareat, notandum est in locis superius citatis tribui quidem fructuum perceptorum dominium b. f. possessori; at id non impedit quominus domino fundi personales dentur actiones adversus

possessorem ut fructus restituat, usque dum aliae non verificentur conditiones ex parte ipsius possessoris, quae quodammodo compenset domini damnum. Siquidem nimis durum visum est, ut sola materiali separatione, fructuum, qui existentiam substantiamque ex fundo tandem receperunt irreparabilem poteretur dominus iacturam, certum possessor faceret lucrum. Aequitate hinc suadente personalis data est actio domino ad fructus repetendos, nemo enim fieri debet locupletior cum aliena iactura. Consonat his Paulus, l. 48. pr. ff. de a. r. d. (41.1), cum ait, possessorem b. f. suos interim facere fructus. Porro illa personalis actio non alia videtur fuisse quam condictio sine causa, at constat sive ex huius ipsius actionis natura, sive ex l. 78. ff. de R. V. (6.1), ubi adhibetur formula = dare oportet = quae indicat praecise condictionem. Verumtamen si praeter haec ex parte possessoris aliae nonnullae verificentur conditiones, ex quibus quodammodo aequilibretur illa aequitas, quam pro domino militare vidimus, consequens omnino erit, ut cessante aequitate, cesset et condictio, quae propter illam aequitatem domino competebat. Iam id evenit praecise si consideremus culturam et curam possessoris; profecto haec non est per se ratio sufficiens, qua b. f. possessor valeat fructuum dominium acquirere; nemo tamen negabit per eandem constitui gravem admodum convenientiae motivum

ad illam acquisitionem substinendam. His nunc addamus fructuum consumptionem bona fide factam a possessore, qua quodammodo culturae ac curae praemium constituitur, qua fit, ut propria locupletatio possessoris non amplius extet, non amplius extet res quae clamat ad veterem dominum. Haec omnia, in quam, si consideremus, apparebit, quod dum augetur ex parte possessoris aequitas, ut in facta fructuum acquisitione substineatur; ex parte domini imminuitur, quin imo destruitur. Ex his patet: bonam fidem esse iuridicam rationem, qua b.f. possessor fructuum dominium nanciscatur: haec ratio usque ad fructuum separationem comitatur ab alia culturae et curae: at ex his rationibus dominium acquisitum adhuc revocationi per condictionem subest; cessat haec penitus, cum illis additur consumatio, adeo ut post consummationem ad nihil amplius teneatur b.f. possessor, etsi ditior factus sit; l. 4. §. 2. ff. fin. reg. (10.1), l. 40. ff. de a. r. d. (41.1), l. 22. Cod. de R. V. (3.32). Iam hanc praecise esse Imperatoris mentem in loco obiecto (§. 35. Inst. de rer. dis.) ex ipsa textus lectione evidenter apparet; ait enim: = Fructus quos percepit eius esse ex cultura et cura. Et ideo si postea dominus supervenerit, et fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest =. Si haec prae oculis habeantur non difficilis evadet conciliatio inter l. 48. pr. ff. de a.

r. d. (41. 1), et l. 45. ff. de usur (22. 1). Paulus in l. 48 ait, b. f. possessorem suos fructus facere non tantum eos, qui diligentia et cura eius pervenierunt, sed omnes. Pomponius vero in l. 45. ait, b. f. possessorem eos tantum suos fructus facere, quos sui operis acquisievit, qui ex facto eius nascuntur. Mirum est quot quantaque ab interpretibus hac de re dicta sunt. At si applicatur proposita theoria, omnia clara apparebunt; posito enim, quod ratio, qua consumptione suos irrevocabiliter facit fructus b. f. possessor, in cultura et industria consistat, cuius quodammodo praemium sit ipsa consumptio; naturaliter consequitur, quod ubi habeatur fructus sine industria et cultura nostra, licet consumpti sint, subdantur tamen condictioni. Omnium omnino fructuum dominium ipsa separatione acquirit b. f. possessor; et hoc est quod dicit Paulus. At dominium hoc irrevocabiliter non acquiritur nisi eorum, qui cum nostra diligentia et cura ad nos pervenerint, consumpti sunt, et hoc est, quod dicit Pomponius.

Ex hucusque dictis, haec habemus: a) malae fidei possessores ex re aliena nullos sibi lucrari fructus, sed teneri ad omnium non modo extantium, aut iam consumptorum, sed et percipiendorum fructuum restitutionem faciendam domino vindicanti: b) bonae fidei possessores, qui ob ipsam bonam fidem loco domini penes sunt, ipsa separatione ante litem conte-

statam omnium omnino fructuum domini=um acquirere, industrialium quidem con=sumptorum irrevocabiliter, licet ditior inde factus sit, dummodo tamen non agatur de hereditatis petitione; caeterorum omnium revocabiliter. Actio, quae domino competit ad hos fructus revocandos, si sermo sit de perce=ptis post litem contestatam est sine dubio rei vindicatio; si de perceptis ante litem con=testatam et extantibus, vel naturalibus con=sumptis contra Vinnium, Voet, Cuiacium, a=liosque putamus non rei vindicationem esse, quae non datur adversus dominum, qualis in casu est possessor b.f., sed actionem persona=lem, seu condictionem sine causa. Notandum tamen est, in posteriori iurisprudentia rece=ptum fuisse, hos fructus officio iudicis debe=ri. His omnibus tamen non obstantibus, prae=tereundum non est, aliam proponi hac de re theoriam a cl. Alibrandi in op. cit. §. 120. seqq., qui putat, iure anteiustinianeo receptum fuis=se, b.f. possessorem suos irrevocabiliter fructus fecisse ipsa perceptione; Iustinianum vero, hoc iure immutato, constituisse ut non perceptio=ne, sed consumptione suos faceret fructus b.f. possessor; exinde, subdit, corruptionem fragmen=tum ex qua confusio et contradictio in colle=ctionibus iustinianeis inducta. Idque cona=tur pluribus ostendere argumentis, quae ta=men ad examen revocantur a cl. Ruggieri,

ut videre est in eius Op. §. 360. seqq.; - c) Demum ex dictis habemus, quod in huius disceptationis initio proposuimus, scilicet fructuum perceptionem propre non esse possessionis effectum.

Hinc retinenda videtur Savigny sententia, iuxta quam duo tantummodo sunt veri possessionis effectus, usucapio scilicet, et interdicta; de quibus singillatim agendum.

I. De Usucapione.

Usucapio definitur a Modestino l. 3. ff. h. t. = Adiectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. = Ulpianus fr. 19. 8. iisdem verbis usucapionem definit, hoc tantum dissimile ponens, quod usucapionem vocet adeptionem dominii, non adiectionem. Sed utrumque rectum est. Fortasse etiam adiectio verbum est in usucapione significantius; adeptio enim est verbum generale omnem acquisitionem significans; adiectio vero indicat acquisitionis speciem, cum ad id quod prius habuimus in re aliqua, dominium adiicitur. Quod soli convenit usucapioni. Ex omnibus modis, quibus iure gentium aut iure civili dominia acquiruntur, una est usucapio maxime utilis, ac prope necessaria ad dominia constituenda. Ex caeteris enim in certitudo dominiorum relinquitur maxima ex parte:

sola usucapio in civitate praecipue certum facit, quid nostrum sit, quid alienum; bono siquidem publico, ut ait, Gaius l. 1. ff. h.t. usucapio introducta est, ne scilicet quarumdam rerum diu et fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. Ex quo apparet, non solum nihil esse in republica usucapione magis utile, sed insuper ius de usucapione sic esse constitutum, ut absit longe ab iniuria, nec minus certa ratione aequitatis nitatur.

Ex ipsa usucapionis definitione constat a) eam esse eiusdem vim, ut eum dominum faciat, qui antea talis non erat, sive quia a non domino habuit, sive quia a domino quidem habuerit, sed vel non servatis civilis iuris solemnitatibus, vel a domino, qui alienandi facultate carebat. Hisce casibus propria, ut ita dicam, constituitur usucapionis provincia, infra cuius limites tantummodo suam exercere valeat vim. b) Usucapionem esse possessionis effectum, adeo ut sine possessione usucapio contingere non possit, l. 25. ff. h.t. At id non eo accipiendum est sensu, ut usucapio ex intrinseca possessionis natura oriatur; quisque enim videt possessionis naturam, quae in nudo facto consistit, imparem per se omnino esse ad usucapionis ius producendum. Totus nexus inter possessionem et usucapionem ab extrin-

seco repetendus est, ab ipsa nimirum lege, quae ob bonum publicum, ut superius diximus, hanc vim possessioni attribuit, ut ius usucapionis gignere valeat. Veruntamen lex hanc vim non cuicumque attribuit possessioni, sed ei tantummodo, quae nonnullas praeseferret qualitates ac requisita, quae hoc ipso non sunt nisi qualitates ac requisita usucapionis eiusdem. Haec autem requisita sunt: 1° ut plenum habeatur exercitium activitatis in re. - 2° bona fides - 3° iustus titulus - 4° iusta possessio - 5° iustum tempus - 6° subiectum capax. - 7. demum res apta. In horum omnium expositione universa continetur usucapionis doctrina. De singulis igitur agendum nobis est.

1. Plenum activitatis exercitium. - Ut vidimus de possessionis natura agentes ad hanc constituendam non requiritur animus dominantis, et multo minus animus domini, sed sufficit animus seu affectio possidendi. Verum quamvis id verum sit, possessionis natura in se inspecta; tamen lex ad hoc ut possessio ius usucapionis gigneret, voluit ut non sufficeret simplex animus possidendi, sed insuper requireretur animus dominantis, seu animus exercendi talem activitatem sive actualiter sive habitualiter in re, qualem verus dominus exercere solet: aliis verbis lex illi tantum possessioni hanc vim attribuit, quae animo hoc dominantis (animo di padroneg-

giare) detineatur.

2° Bona fides. - Possessio haec de qua mox locuti sumus, debet esse bona fide acquisita. At quid venit nomine bonae fidei? Fere omnes in eo bonam fidem ponunt, quod possessor errore facti ductus debeat certo credere, se rei, quam detinet esse dominum. Exinde consequeretur bonam fidem concipi non posse extra opinionem domini. Atqui id non verum videtur; siquidem constat bonam fidem adesse posse etiam in eo qui non credit se esse dominum; sicut deesse potest in eo, qui se dominum credat. Sane bona fides, et per consequens usucapio recognoscitur in eo, qui rem ab eo accepit, qui non habebat alienandi facultatem, licet id sciverit accipiens; exemplum exhibet Africanus l. 28. ff. de noxal. act. (9.4); recognoscitur pariter in eo, qui rem accepit quidem a domino, sed non servatis iuris civilis solem. Actibus, ut habemus apud Gaium 1. 21. 6.; 2. 41. 63. 204.; Ulpianum 1.16. F. V. 1.; etc. Quin imo concipi etiam potest casus bonae fidei, quamvis sciamus nos a non domino accepisse; ut est in l. 5. pr. ff. pro derel. (41.7). Ex altera vero parte evenire potest, ut in eo bona fides deficiat, qui se dominum esse putat, ut est in l. 48. ff. h.t., l. 2. et 7. §. 6. ff. pro empt. (41. 4). l. 3. ff. pro suo (41.10). Exinde videtur quod bona fides non proprie in eo poni debeat, quod quis credat se dominum esse; sed potius in eo

quod quis animo dominantis rem possidens errore ductus credat se per hoc nullam iniuriam, nullumque iniustum detrimentum iuri proprietatis afferri. Ut per se patet, opinio haec verificari potest etiam in eo, qui se credat dominum non esse, et viceversa deesse potest in eo, qui se dominum credat. Si hic bonae fidei conceptus retineatur nulla amplius erit difficultas argumentorum, quae contra alteram sententiam allata sunt. Verumtamen putamus contra Savigny, opinionem hanc non negativam sed positivam esse debere; i.e. non sufficere absentiam malae fidei, sed requiri positivam possessionis opinionem credentis, se rem animo dominantis tenentem, nullum damnum iuri proprietatis afferre, ut evidenter demonstratur ex l. 32. §. 1. ff. h.t. Caeterum recolendum est, errorem iuris, cum non excuset, bonam fidem non parere. At quid si extent quidem omnia ad usucapiendum requisita, possessor tamen falso credat aliquid deesse v.g. non intercessisse iustum titulum, cum revera intercesserit? Haec subiectiva possessoris opinio obstat ne quominus usucapio procedat? Huc referenda est l. 2. §. 2. ff. pro empt. (41. 4), ubi J. Ctus Paulus proponit, quod aliquis emerit fundum sub conditione, et quamvis primo an pendente conditione, eum usucapere possit, et dicit non posse. Quaerit secundo, quid si conditio extiterit, sed emptor ignoret conditionem extitisse, an quam=

15. Solvevi. 1901.

diu ignorat, illum usucapere possit, et Sabinus putabat, usucapionem inchoari posse, ex iuris regula, quod plus sit in veritate, quam in opinione; nec non ex paritate, quod si quis emeret a vero domino, quem dominum non esse credebat; traditione facta nihilominus dominium acquireret. Paulus tamen satis insinuat, usucapionem non inchoari, cum ait = est tamen nonnulla diversitas =, simulque refellit argumenta Sabini; et recte, deerat enim positiva bona fides. Aequidem quod spectat allegatam iuris regulam ea locum habet quoties actus ab opinione non dependeat. Consonat huic sententiae l. 32. §. 1. ff. h. t.

Bona haec fides, de qua hucusque locuti sumus, de iure civili oportet et sufficit, ut initio usucapionis existat: neque obstat si postea mala fides superveniat. l. 48. §. 1. ff. de a. r. d. (41. 1), l. unic. Cod. de usuc. transf. (7. 31). Initium vero usucapionis intelligitur esse tempus traditionis, sic ut non intersit, cum stipulor, sciam rem alienam esse, nec ne, si modo eo tempore, quo res mihi traditur, bona fide sim. l. 48. ff. h. t. In emptione tamen et contractus et traditionis tempore bona fides requisita est, l. 10. et 48. ff. h. t. Cur autem iure singulari id in emptione receptum sit, non una est DD. sententia, nonnullis etiam putantibus, ut Voet Pand. h. t. et Maynz §. 199. n. 33, rem in obscuro adhuc esse. Ceterum vix est, ut vobis hic recolam, Ius

Canonicum voluisse ut per totum possessionis tempus bona fides habeatur, adeo ut secus usucapio non valeat in utroque foro tam civili quam ecclesiastico, et contrariam Romani Iuris dispositionem abrogasse tamquam peccaminosam, cap. 5. et 20. de Praesc., Cap. 2. de Reg. iur. in 6.

ratis translativae, dominii.

3.° Iustus Titulus. - Praeter bonam fidem requiritur et iustus titulus seu causa habitis ad transferendum dominium, sine qua, licet intercesserit traditio nulla procedere potest usucapio, l. 46. ff. h.t., l. 7. §. 5. ff. pro empt. (41. 4). l. 4. ff. pro her. (41. 5). l. 1. §. 1. 2. ff. pro don. (41. 6). Porro non debet confundi bona fides cum iusta causa, aliud enim est possidere ex iusta causa, aliud bona fide, adeo ut possit quis possidere ex iusta causa, et nihilominus mala fide, ut qui emit rem alienam sciens; et contra possit possidere bona fide qui nulla ex causa possideat, ut qui putat causam subesse, quae non est, errans in facto aut in iure. Huius discriminis intima ratio ex natura utriusque requisiti petenda est; bona enim fides se tenet tota ex parte subiecti, contra iusta causa se tenet ex parte obiecti; siquidem, ut superius diximus, lex usucapionem introducit ad sanandum dominii defectum, qui ex eo derivet, quod vel acquisitionis actus auctorem non habuerit eum, qui poterat alium dominum facere; vel emissus non fuerit, servatis omnibus iuris civilis solemnitatibus. Acquisitionis ergo a=

ctus in usucapione semper supponitur. Atqui actus hic sine titulo concipi iure romano nequit, non enim nudis voluntatibus dominia rerum acquiruntur. Ergo ut usucapio procedere valeat requiritur titulus translativus dominii, i. e. iusta causa; idque independenter omnino a subiecto, sed ex ipsa obiecti necessitate derivat. Ex his iam per se soluta manet notissima quaestio, an ad usucapionem requiratur titulus verus, vel sufficiat putativus. Varie hac in re sentiunt DD. Dissensus autem omnis ex eo procedit, quod hinc inde habeantur iuris textus. Verumtamen si prae oculis habeantur quae mox diximus retinendum videtur, iure romano in genere verum titulum requiri, adeo ut, quem volumus pro emptore possidere, seu ex causa emptionis, vere emerit; qui pro donato aut legato, aut dote etc., hinc vere res donata, legata, aut in dotem data sit. Si hoc non est, nulla causa est, eoque nulla usucapio; l. 27. h.t., l. 2. §. 2. ff. pro empt., l. 1. §. 4. pro dot., l. 1. pr. pro don., l. 6. pro derel., l. 2. et 3. pro leg., l. 4. Cod. de usuc. pro her. (7.29); §. 11. Inst. h.t. (2.6). In quibus omnibus duplex haec statuitur regula: a) nemo sibi ipse potest mutare possessionis causam, cuius sensus hic est; ut qui nulla ex causa possidet, non possit efficere hoc animo, ut ex aliqua possideat: b) Error falsae causae non parit usucapionem. In genere ergo dicendum veram cau-

sam ad usucapionem requiri, et nihil hic cogitationem, nihil errorem possessoris ei prodesse ut usucapere possit, quamvis aliquam causam sibi fingat, aut etiam bona fide putet subesse. Verumtamen in genere id retinendum dixi; interdum enim, qui iustam causam subesse putat, in hoc errore usucapere potest. Quod receptum est si iustam aliquam erroris causam habeat, l. 5 ff. pro suo (41.10), l. 11. ff. pro empt., l. 44. §. 4. ff. h. t. Ad hanc rationalem exceptionem praecise pertinent illae leges, quae contra nostram sententiam facere videntur. Quod ut pateat animadvertendum est, iustam causam erroris hac in re nobis oriri posse aut ex facto nostro, aut ex alieno. Ex nostro, si quid ipsi gessimus, in quo sit iusta possidendi causa, si quidem iure consisteret; nunc autem iure non consistit; sed cur non consistat, in re et facto est, quod ignoramus. Exemplum extat l. 2. §. 15. et 16. ff. pro empt. Ex alieno autem facto nobis iusta causa erroris obiicitur, partim ex facto procuratoris nostri, eorumve, qui nobis acquirere potuerunt; partim ex facto defuncti, cuius heredes extitimus. Ex facto priorum, cum hi, quibus emendi, contrahendi, aut ex quavis causa rem nostro nomine accipiendi potestatem fecimus, rem ad nos deferunt et persuadent, se emisse, aut ex alia causa, quam volebamus accepisse. Hic quoque usucapio nobis procedet, quoniam recte

his credidimus, penes quos rei gerendae potestas fuit, et de quibus nulla causa fuit, cur eos mentiri velle putaremus. Ex facto defuncti, si ego putem, defunctum, cui successi, emisse; quia is dum viveret, pro emptore possidebat. Huic quoque iuste credidi a quo possidendi causam habeo. Porro iusta haec erroris causa non praesumitur, ut bona fides, sed demonstrari debet ab ipso possessore. Ceterum quisque videt, quanta aequitate huiusmodi propositae fuerint exceptiones regulae generali, quod error falsae causae non pariat usucapionem.

Iam si ex hac, quae iustum titulum respicit, generali theoria ad singularia descendamus, dicendum est, tot esse iustos titulos usucapionis, quot sunt causae acquirendi dominii, l. 3. §. 21. ff. de a. v. a. p. (41. 2). Ex horum numero specialiter de nonnullis agitur in sequentibus Pandectarum titulis, qui cum nullam habeant difficultatem, hic vix memorandi sunt.

a) Pro emptore (41. 4). - Est titulus seu causa emptionis, qua possidet ad usucapionem, qui revera emit, vel conventus in iudicio pro aliqua re, litis aestimationem praestitit, quia litis aestimatio emptioni similis est.

b) Pro herede (41. 5) - Duplex distinguenda est possessio et usucapio pro herede: una ordinaria, altera extraordinaria. In ordinaria, quae regitur principiis generalibus expositis

titulus pro herede ille est, qui natura sua capax est transferendi dominii vi immediatae successionis hereditariae. Duo sunt eius requisita: a) ut vere sit heres, qui asserit se pro herede possidere: b) ut defunctus iustum titulum acquisitionis habuerit. Effectus huius possessionis est, ut heres usucapere possit pro herede quod defunctus usucapere poterat ex alio titulo, v.g. pro emptore, pro donato etc. Exinde titulus pro herede est indeterminatus et generalis, qui alio particulari semper comitatur, l. 3. §. 1. de a. v. a. p. (41.2), l. 4. Cod. de usuc. pro her., l. 1. Cod. eod. (7.29). Verumtamen et hic iusta causa erroris easdem inducit exceptiones, quas superius vidimus, cum scilicet possessor demonstret se iusta causa errare credidisse, vel verum heredem esse, vel defunctum habuisse iustum titulum possessionis, l. 3. ff. h. t. Praeter hanc adest et alia pro herede usucapio, quae extraordinaria est, et de qua loquitur Gaius 2. 52. seqq. In hac non requiritur bona fides, ut patet ex eodem Gaio, qui consulendus omnino est, et cui vos remitto, brevitatis causa.

c) Pro Donato (41.6) - Hoc titulo usucapiet ille, cui inter vivos donatum est.

d) Pro Derelicto (41.7). - Si dominus rem suam pro derelicto habeat, necessaria non est usucapio, ut alter eam acquirat, quia fit primi occupantis. Sed si quis rem alienam occu=

pet, et deinde derelinquat, et ego putans eam a domino derelictam possedero, eam usucapiam titulo pro derelicto.

e) Pro Legato (41.8).- Est titulus usucapionis quoad rem legato relictam.

f) Pro Dote (41.9).- Titulus est usucapionis et quidem iustissimus, qui appellatur pro dote, ut qui in dotem rem accipiat, usucapere possit. At cum sine matrimonio nulla dos sit, antequam nuptiae contractae sint, nemo pro dote usucapere potest.

g) Pro suo (41.10).- Demum titulo pro suo usucapiet qui rem iusta ex causa habuit. Exinde patet, titulum hunc generalem esse, ut comitem habere alium specialem titulum. Idque tamen non semper verificatur, ut ex. gr. in possessione rerum venatione vel piscatione quaesitarum, in possessione fructuum, etc. haec titulo pro suo simpliciter possidentur.

4º Iusta Possessio.- Ad usucapionem insuper requiritur, ut non sit vitiosa possessio, ut nempe non fuerit acquisita nec vi, nec clam, nec precario. Hoc requisitum fere semper refundi solet in alia, de quibus iam locuti sumus. At adest casus, in quo licet extet possessio animo dominantis, bona fide, tituloque iusto, tamen non procedat usucapio ob vitium possessionis, ut est in l. 8. ff pro legat. cuius haec est species. Per vindicationem mihi legatum relictum est. Ego vi possessionem

rei legatae obtineo. Hic adest meus animus dominandi; adest bona fides, quia credo me dominum esse; adest iustus titulus pro legato. Et tamen usucapio non procedit, quia vitiosa fuit mea possessio. Ergo praeter dicta requiritur, ut nec vi, nec clam, nec precario possessio inceperit.

5.° Iustum tempus.- Quamvis possessio omnibus expositis qualitatibus ornatam se praebeat, non tamen id sufficit adhuc ad hoc, ut inde ius usucapionis oriatur. Exigitur insuper ut continuo perduret tempore lege constituto; atque ita fiat ea possessio, quae in definitione usucapionis dicitur possessio temporis lege definiti. Hoc autem tempus lege XII Tab. in usucapione rerum mobilium erat annus, in immobilium biennium, Gai 42. 54. Sed post transformatam per Iustinianum, ut postea videbimus, usucapionem in praescriptionem longi temporis, tempus praestitutum ad usucapionem in mobilibus est triennium, in immobilibus decem anni inter praesentes, viginti inter absentes, l. unic. Cod. de usuc. trans (7. 31). Praesentes alia lege a Iustiniano definiti sunt, qui degunt in eadem provincia, licet res, de qua agitur, sita sit in alia provincia etiam remotissima; absentes autem, qui sunt in diversis provinciis etiamsi res sit in confinio utriusque provinciae, l. ult. Cod. de praescr. long. temp. (7. 33.) Quodvero spectat statuti tem-

poris computationem communiter receptum est, quod dies inceptus habeatur pro completo. At Ruggieri, de Obligationibus pag. 214. seqq. plu=ribus ostendit, diem extremam coeptam pro im=pleta non esse habendam; sed absolvendam eam esse ad hoc, ut spatium temporis absolutum di=catur. Quidquid sit de hac quaestione, illud apud omnes certum est, tempus hoc ad usucapiendum praefinitum continuum esse debere, ut constat ex ipsa definitione; intelligitur autem conti=nuum quoties possessio per hoc tempus inter=rupta non sit. Quibus vero modis interrumpa=tur possessio, iam a nobis expositum est cum ageremus de amittenda possessione. Uno ex il=lis modis interrupta possessione, interrumpi=tur et usucapio, quae coeperat, ita ut amplius ad eam implendam nihil possessori prosit possessio interrupta. Haec usucapionis interru=ptio usurpatio appellari solet in iure nostro, l. 2. ff. h. t.

Atque hic iam sponte sua occurrit quaestio de accessionibus possessionis: quaeritur vi mi=rum utrum temporis lege praefiniti possessio ad usucapionem sic exigatur, ut qui usucaptu=rus est, necesse sit ipsum tot annos possedis=se, tot implesse; an vero si ab alio possessionem acceperit, possit ad eam rem uti possessionis eius accessione. Prima fronte videretur dicen=dum quod qui usucapturus est, ipse debeat tempore lege praefinito possidere: aliena enim

possessio, nostra possessio fieri non potest. At benigne humanaque iuris interpretatione accessiones has recipi placuit, l. 14. ff. de div. temp. praescr. (44.3). Quae humanitas et benignitas interpretationis in eo est, ut possessio nostra sic accipiatur, quasi sit res per se consistens, quae, ut caeterae res nostrae, possit a nobis in alios transferri, ut cum translata erit, tam illi possint eam suam dicere, quam possunt res alias; si eas a nobis accepissent. Receptum ergo iure est, ut tempus, quo antecessor possedit cum eo, quo successor, ad implendum legitimum usucapionis tempus coniungi possit. Verumtamen ut accessio huiusmodi legitime fieri possit, tria concurrant necesse est: a) ut inter unum et alterum possessorem revera successio intercesserit per iustum aut a lege recognitum titulum, sive hic universalis sit, sive particularis; b) ut duae possessiones continuae sint, seu ut aliquis intermedius possessionem non habuerit: c) ut demum ambae possessiones iustae sint, seu aptae ad usucapionem. Exinde patet quid respondendum sit alteri quaestioni: utrum mala fides antecessoris noceat successori. Quo vero res haec penitius intelligatur, distinguamus oportet universales a singularibus successoribus. Quoad universales successores seu heredes, quoniam defuncti personam gerunt, huius possessio, quasi iuncta ad eos descendit, l. 14. pr. de div. temp. praes.

Ex titulo universali aliquis succedit in tota iura
Ex " particulari " solum " " particularia iura.

(44.3). Ideoque in ipsis accessio non voluntaria sed necessaria est. Ex hoc descendit, quod mala fides antecessoris noceat semper successoribus universalibus non solum si velint uti accessione, sed et si nolint, l. 11. ff. de div. temp. praes. l. 3. Cod. com. de usuc. (7.30), l. 11. Cod. de a. et r. p. (7. 32). Viceversa mala fides successoris usucapioni non obstat, dummodo bona fide fuerit antecessor, l. 43. pr. ff. h.t., l. 2. §. 19. ff. pro empt. Ex eodem principio pariter descendunt ea omnia quae singulari iure quoad heredes in usucapionis materia recepta sunt. Sic receptum est, ut procedat heredi usucapio etiam ante aditam hereditatem, et dum hereditas iacens est. l. 31. §. 5., l. 1 40, l. 44. §. 3. ff. h.t., quamvis heres nec aditione rerum hereditariarum possessionem acquirat, l. 33. pr. de a. v. a. p. (41.2), nec hereditas iacens sit capax possessionis subiectum. Quod relate ad successores universales primitus introductum fuerat, id Severi et Antonini temporibus ad successores etiam singulares extensum est, ut nimirum accessionibus possessionis uti possent, l. 76. §. 1. ff. de cont. empt. (18.1), l. 13. §. 6. 11. ff. de a. v. a. p. (41. 2), l. 2. §. 20. ff. pro empt., l. 14. §. 1. seq. l. 15. §. 1-6. ff. de div. temp. praes. (43. 3). Verum quoniam in istis antecessoris personae gestio deest, hinc quoad eos non necessaria, sed voluntaria accessio est. Exinde mala fides antecessoris non impedit quominus successores singulares, si no-

lint accessione uti, usucapere valeant l. 5. pr. ff. de div. temp. praes. (44. 3), l. 4. §. 27. et 31. ff. de dol. mal. (44. 4). Viceversa mala fides successoris obstat propriae usucapioni, licet antecessor in bona fide fuerit. l. 2. §. 17. ff. pro empt.

6.° Subiectum capax. - Ab usucapiendo non solum excludebantur qui possidere non poterant, sed etiam peregrini, utpote incapaces iuris quiritarii, quod usucapione acquirebatur. Prohibitio haec viguit usque ad Caracallam, et Iustinianum, qui ius civitatis ad omnes extenderunt.

7.° Demum Res Apta. - Qui rem possidet animo dominantis, si bonae fidei initium iustae possessionis fuerit, iustoque titulo rem detinuerit, et impletum possessione sit tempus, et possessio non interrupta; is usucapionem implevit, si modo et res possessa ea fuerit, quae possit usucapi. Itaque hoc etiam superest ad usucapionem perficiendam; ut, sicut propositum est, quae res usucapi possint, videamus.

At hic in antecessum operae praetium est, historice nonnulla scitu omnino necessaria praemittere: Usucapio, de qua hucusque locuti sumus, lege XII. inducta, non erat nisi modus civilis acquirendi dominii ex iure Quiritium: ea hinc respicere non poterat nisi res quae dominii ex iure Quiritium capaces agnoscebantur, et mobilium quidem omnia, immo-

bilium biennia possessione perficiebatur. Verum tractu temporis eadem utilissima ac vehementissima boni publici ratio, propter quam usucapio introducta fuit extare visa est quoad eas res, quae non erant obiectum dominii quiritarii; scilicet quoad solum provinciale. Ut huic boni publici rationi satisfieret, aliud analogum usucapioni introductum est institutum, quod dictum est longi temporis praescriptio. Triplex extitit ab initio inter usucapionem et longi temporis praescriptionem discrimen, in rebus, in tempore, in acquisitionis effectu; in rebus, cum praescriptio frequentaretur in praediis dumtaxat provincialibus; in tempore cum praescriptio consumaretur decem annis inter praesentes, viginti inter absentes, demum in effectu; praescriptio enim non proprie dominium conferebat, seu non erat acquisitionis modus, sed exceptionem tantum tribuebat, qua is, qui bona fide, iusto titulo, legitimoque tempore rem possederat, uti poterat adversus dominum vindicantem, idque ipsa voce denotatur praescriptiones enim inde dictae, quod non ponerentur cum aliis exceptionibus post intentionem, sed formulae praescriberentur. Ut deinde factum est, ut maiorem vim haec exceptio obtineret, transiretque in utilem in rem actionem, qua rem amissam recuperare posset possessor apud quemcumque detentorem, licet

qui sunt in eadem provincia

fuerit ipse dominus, qui si opponeret exceptionem iusti dominii, excludebatur replicatione longi temporis. Exinde ultimum discrimen inter usucapionem et longi temporis praescriptionem evanuit ferme. Tandem sublata omni iuvidica differentia inter cives et peregrinos, inter solum italicum et provinciale; usucapio et longi temporis praescriptio practice iam non amplius differebant, quam temporis duratione, adeo ut possent commode in unum conflari. Id effecit Iustinianus Const. unic. Cod. de usuc. transf. (7. 31), voluitque ut una eademque esset praescriptio et usucapio, eaque siquidem legitimis qualitatibus expositas praedicta sit, mobilium acquireretur dominium triennali possessione, immobilium vero decennio inter praesentes, vicennio inter absentes, sive italicum sive provinciale praedium sit. Reiicienda prorsus hinc est eorum sententia, qui putant, in legislatione Iustinianea adhuc usucapionem a praescriptione distingui ita, ut illa mobilium, haec immobilium sit. Potius alia hic notanda est distinctio, quae revera extat in collectionibus Iustinianeis, nimirum inter ordinariam et extraordinariam praescriptionem. Ordinaria ea est, quam conflatam voluit una cum usucapione, et cui quae hucusque a nobis pertractata sunt, aptari debent; extraordinaria vero, quae et

longissimi temporis praescriptio dici solet, antiquitus usque a temporibus Theodorii II non habebat nisi vim extintivam; ea enim triginta annorum spatio rei vindicatio excludi poterat. At Iustinianus statuit extraordinariam longissimi temporis, seu triginta vel quadraginta annorum praescriptionem non solum extinctivam, sed et acquisitivam vim habere, l. 8. Cod. de praes. 30 vel 40 ann. (7.39). Hinc duplex usucapio seu praescriptio in legislatione Iustinianea, una ordinaria, altera extraordinaria. Inter utramque discrimen non solum in tempore est, sed et in eo, quod extraordinaria bonae quidem fidei initium, sed non iustum titulum requirat, eaque praescribebantur, quae nequeunt ordinaria praescribi. Quod si neque bonae fidei initium habeat, tunc non quidem acquisitivam sed tantum extinctivam vim obtinet.

His praemissis, iam unde discessimus, redeamus; videamusque, quae res usucapi vel praescribi possint. Principium generale est: omnes res usucapi possunt, quas licet per leges usucapere. Porro earum rerum, quae usucapi prohibentur, natura sua sola usucapionis lege quaedam prohibentur, quaedam alia extrinsecus lege lata. Ad primam classem pertinent ea quae natura sua nullam usucapionem recipere possunt, et sunt ea ipsa, quae possideri nequeunt. Ad alteram vero

classem pertinent ea, quae natura quidem sua admitterent usucapionem, at aliis legibus iustis de causis usucapi prohibentur. Id autem lege fit dupliciter: vel indirecte, in quantum rei alienationem prohibeat; vel directe in quantum aperte usucapi vetet. Quoad primum ab usucapione exemptae sunt omnes res ad eos pertinentes, quibus lex alienandi facultatem non dat; quique tamen in ea conditione sint, ut valeant easdem vindicare. Ratio prohibitionis ex eo est, quod secus inutilis evaderet legis dispositio, qua alienandi facultas adimitur; cum usucapio speciem quamdam alienationis contineat. l. 28. pr. ff. de V.S. (16.16). Quoad alterum quaedam a lege prohibentur usucapi favore eorum, ad quos eae res pertinent; quaedam odio possessorum. Ex priori capite usucapi nequeunt a) res fiscales, §. 9. Inst. h.t. (2.6.): b) res principis patrimoniales, Cod. (7.38): c) res civitatis propriae, l. ult. Cod. de SS. Eccl. (1.2): d) res Ecclesiarum, aliorumve piorum locorum etiam mobiles, l.c. Hic notandum omnes has res usucapi quidem non posse ordinaria praescriptione; posse tamen praescriptione quadragenaria, l. 4. Cod. de praesc. 30. vel 40. an. (7. 39). Auth. Quas actiones. Cod. de SS. Eccl.; e) Res omnes ad eos pertinentes, qui in ea conditione versantur, ut nequeant rei vindicationem instituere; siquidem contra non valentem agere non procedit praescriptio. Hinc usucapi nequeunt res pupillorum, minorum filiorumque familias —

17. Solieri. 1901.

quoad bona adventitia. Notandum antiquitus ipso iure procedere potuisse harum rerum usucapionem, et tantum datam fuisse restitutionem in integrum At Iustinianus statuit, ut non procederet usucapio sive ordinaria sive extraordinaria contra pupillos; contra minores vero et filiosfamilias procederet quidem extraordinaria, seu triginta annorum; nullo modo procederet ordinaria. l. 3. Cod. Quib. non obs l. t. p. (7. 35), l. 1. § 2. Cod. de an except. (7. 40). Ex altero demum capite seu ex odio possessorum prohibentur usucapi plures species rerum, res furtivae ex lege XII. Tab. et lege Atinia, Gai (2. 45), §. 2. Inst. h. t. (2. 6): res vi possessae, ex lege Iulia et Plautia, l. c. res magistratui, qui iurisdictioni praeest, donatae aut donationis causa remissa, ex lege Iulia repetendarum. Hae autem res a nemine usucapi possunt ob vitium, quo affectae sunt, et cum quo transeunt ad quemcumque possessorem, usque dum vitium purgatum non sit; quod fit si res in domini et possessoris prioris redierit.

II. De Interdictis.

Nimis nostra protraheretur tractatio, si vellemus ex professo omnia hic exponere, quae de interdictis praesertim a recentioribus tradi solent. Quoniam ex aliena parte nec temporis angustiae id nobis permitterent, hinc

summis, ut ita dicam labiis, quae necessaria ac utiliora sunt delibabimus.

Ex Gaio (4.139), et ex Inst. pr. h.t. (4.15) interdicto aliud olim non erant, quam formulae et conceptiones verborum, quibus praetor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibita est. Quod ut ita intelligitur recolendum est apud romanos quatuor extitisse iuridicorum remediorum classes, quibus quisque poterat ius suum iudicio persequi, actiones nimirum, praetorias stipulationes, extraordinarias cognitiones, et interdicta. Interdictis praetor aut proconsul principaliter auctoritatem suam finiendis controversiis interponit; quod tum maxime facit, cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contenditur. Utile enim, imo necessarium aliquando visum est, ut salvo manente iudicio petitorio, uni ex litigantibus tribueretur possessio; quod maxime locum habebat in rei vindicatione, ut scilicet determinaretur penes quem ex litigantibus deberet esse possessio tempore, quo super proprietate litigaretur. Quinam vero deberet esse hic possessor, plerumque ex ipsis circumstantiis apparebat; quando vero id ex circumstantiis erui nequibat, praetor aequitatis normam secutus est hanc, ut scilicet ille possideret, qui antea possedit; et huic vindicias dabat. Exinde independenter etiam a lite super proprietate factum est.

ut possessoris conditio tutelam defensionemque a praetore reciperet, interdictis introductis ac datis. Et quoniam possessoris conditio triplex esse potest, vel eius qui petat possessionem, quam nondum nactus est; vel eius qui exposcat, ut possessionem, quam habet quiete valeat retinere, vel demum eius qui de amissa possessione recuperanda laboret, hinc pariter triplex interdictorum species constituta est; vel scilicet adipiscendae, vel retinendae, vel recuperandae possessionis. Porro interdicta partim in iure, partim in iudicio locum habebant. Siquidem posita inter aliquos controversia de possessione, litigantes adibant praetorem, qui interponens auctoritatem suam, aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, formulae et verborum conceptiones, quibus in ea re utebatur praetor, decreta antiquitus dicebantur, si fieri aliquid iuberet interdicta si fieri aliquid prohiberet. At tractu temporis distinctio haec sublata est, et omnes praetoris hac in re iussiones sub generico interdictorum nomine venerunt, quae in edicto posita sunt ut singulis casibus aptarentur. Cum autem interdicta haec vel exhibitionem, vel restitutionem, vel demum prohibitionem aliquam respicerent; hinc omnia interdicta aut restitutoria, aut exhibitoria, aut prohibitoria dicta sunt. Rebus sic stantibus proposita actoris intentione, praetor in-

terdictum iubebat, seu verba solemnia interdicti ab actore invocati proferebat adversus reum; cui, si conveniret praetor tempus ad satisfaciendum assignabat; sin vero negaret, statuebatur inter eos controversia, quae solvenda remittebatur iudici vel recuperatoribus, apud quos editis formulis, quaerebatur, an aliquod adversus praetoris edictum factum sit, vel an factum non sit, quod is fieri iusserit. Et quidem modo cum poena agebatur, modo sine poena: cum poena velut cum per sponsionem agitur, sine poena, velut, cum arbiter petitur. In prohibitoriis interdictis semper per sponsionem agebatur; ex restitutoriis vero, vel exhibitoriis modo per sponsionem, modo per formulam agebatur, quae arbitraria vocabatur. Cf. Gai 4. 161. seqq. Exinde patet interdictum proprie constitutum fuisse a praetoris decreto, et tandem, ut bene notat Theophilus, qui in iuria reprehenditur a Cuiacio, Vinnio et Potthier; nihil aliud erat nisi enuntiatum praetoris non decidens causam possessoriam, sed quomodo de ea iudicandum sit iudicem informans. Ceterum interdicta aut simplicia sunt, in quibus actor unus, alter reus est, qualia sunt omnia restitutoria aut exhibitoria; duplicia, in quibus par est utriusque litigantis conditio; nec quisquam praecipue reus vel actor intelligitur; talia sunt interdicta uti possidetis, et utrobi. Gai 4. 196. seqq.

His in genere expositis, sciendum est non omnia interdicta possessionem respexisset id tantam ea, quae erant vel adipiscendae, vel retinendae, vel recuperandae possessionis. De his singillatim brevissime agendum.

Interdicta adipiscendae possessiones. - Quinque enumerantur huius classis interdicta.

a) Quorum bonorum (ff. 43-2). - De hoc interdicto iam egimus in tractatu de bonorum possessionibus. Competit directe quibus a praetore data est bonorum possessio: utiliter vero cuivis heredi civili sive ex testamento sive ex lege, adversus eum, qui rem corporalem hereditarium possidet pro herede vel pro possessore, aut dolo mala desiit possidere. Tendit autem ad id ut actor rerum hereditariarum corporalium possessionem assequatur. Hinc est ea differentia inter hereditatis petitionem et hoc interdictum, ut illa locum habeat in petitorio et ius hereditarium assequatur, hoc in possessorio et possessionem respiciat. Eius formula haec erat = Quorum bonorum ex edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro herede aut pro possessores possides, possideresve, si nihil usucaptum esset, quodve dolo malo fecisti, ut desineres possidere, id illi restituas. =

b) Quod legatorum (43. 3). - De hoc interdicto iam a nobis actum est pag. 35. Eius formula haec fuisse videtur: = Quod de his bonis legatorum nomine, non voluntate eius, cui bono-

rum possessio data est, possides, quodque dolo fecisti quominus possideres, si satisdatum sit, aut per bonorum possessorem non stat, quominus satisdetur, id ei restituas. =

c) <u>Interdictum possessorium</u> (Gai 4.145). Interdictum hoc competit bonorum emptori; eiusque formula sic restituitur a Rudorff. = Quae bona ex edicto meo ille emit, quod de his bonis possides, dolove malo fecisti quominus possideres, id illi restituas. =

d) <u>Interdictum sectorium</u> (Gai 4.140) - Est simile possessorio, daturque sectori, seu ei qui publice bona mercatur. Eius formulam sic restituit Rudorff. = Quae bona ex edicto meo ille publice emit, quod de his bonis possides, dolove malo fecisti quominus possideres, id illi restituas. =

e) <u>Interdictum salvianum</u> (Gai 4.147) Hoc interdictum nomen sumpsit a suo auctore; eoque utitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset. Eius formulam sic exhibet citatus auctor: = Si his homo, de quo agitur, est ex iis rebus, de quibus inter te et illum convenit, ut quae in fundum illius invecta, illata, importata, ibi nata, factave sint ea pignori illi pro mercede eius fundi essent, neque ea merces illi soluta, eove nomine satisfactum est, aut per illum stat quominus solvatur, ita, quo minus illi eum hominem inde abducere

liceat, vim fieri veto.=

Interdicta retinendae possessionis. - Quinque interdicta mox enumerata non eo tendebant ut tuerentur possessionem, sed ut uni potius quam alteri possessio concederetur. Proprie ad tutelam possessoris proposita sunt interdicta retinendae possessionis, quae tria erant:

a) Interdictum uti possidetis (43. 17. ff.) Hoc interdictum reddi solet, cum ab utraque parte de proprietate alicuius rei controversia est, et ante quaeritur, inter ex litigantibus possidere, et uter petere debeat. Et quidem uti possidetis interdictum de fundo vel aedium possessione redditur, et in eo illum potiorem esse praetor iubet, qui eo tempore, quo interdictum redditur, nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possideat. Eius formula distincta erat tum pro fundo rustico, tum pro urbano. = Uti hunc possidetis eum fundum, quo de agitur, quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, ita possideatis; adversus ea vim fieri veto =. = Uti eas aedes quibusdam agitur, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possideris, quominus ita possideatur vim fieri veto.=

b) Interdictum utrubi (43.-31)-Hoc pariter interdictum in eumdem finem redditur, de rerum tamen mobilium possessione in eoque eum potiorem esse iubet praetor, qui maiori parte eius anni nec vi, nec clam, nec pre-

cario ut adversario possederit. In hoc interdicto non solum sua cuique possessio prodest, sed etiam possessionis accessio datur annus vero retrorsus numeratur: hinc si tu v.g. 8 mensibus prioribus possederis, et ego posterioribus, ego potior ero. Iustinianus tamen aequiparavit utraque haec interdicta, adeo ut in utroque et actualem exegerit possessionem, at possessionis accessionem permiserit, Inst. §. 4. h. t. = Eius formula erat = Utrubi hic homo, quo de agitur, nec vi, nec clam, nec precario ab altero fuit, apud quem maiore parte huiusce anni fuit, quominus is eum ducat, vim fieri veto. = Ceterum tum uti possidetis, tum utrubi interdicta duplicia erant, eorumque specialis ac perplanissima executio videri potest apud Gaium 4. 166. seqq.

C) Interdictum de migrando - (43-32) - Hoc interdicto praetor tuetur inquilinum, qui, soluta pensione, migrat et aufert res, quae pignoris nexu in securitatem pensionis locatori vinculata erant. Eius formula haec est: = Si is homo, quo de agitur, non est ex his rebus de quibus inter te et actorem convenit, ut quae in eam habitationem, qua de agitur, introducta, importata, ibi nata factave essent, ea pignori tibi pro mercede eius habitationis essent, sive ex his rebus esset, et merces tibi soluta, eove nomine satisfactum est, aut per te stat quominus solvatur, ita quominus ei,

qui eum pignoris nomine induxit, inde abducere liceat, vim fieri veto. =

d) Interdicta recuperandae possessionis. - Huius demum classis interdictis defenduntur possessores vi e possessore deiecti, nec non hi, qui rem precario dederunt. Ad eiectorum defensionem comparata sunt interdicta unde vi, et de vi armata. Formula interdicti unde vi erat: Unde tu aut familia, aut procurator tuus illum aut familiam aut procuratorem illius in hoc anno vi deiecisti, cum ille possideret, quod eius nec vi, nec clam, nec precario a te possideret, eo illum quaeque tunc ibi habuit restituas =. De altero interdicto loquitur Cicero, Pro Tullio. 20. et in Orat. Pro Coecin. § 19. nobis exhibet eius formulam: = Unde tu aut familia, aut procurator tuus illum aut familiam, aut procuratorem illius si, hominibus coactis, armatisve deiecisti, qua de re agitur, eo illum, quaeque tunc ille habuit, restituas. = Inter utrumque interdictum discrimen in eo erat, quod interdictum de vi armata redderetur etiam de vitiosa possessione, et licet annus transactus iam esset, Gai 4. 154. seq. In digestis (43. 16) secundum hoc interdictum praetermittitur, et Tribonianus Iur. Ctorum ad hoc interdictum commentarios copulavit cum iis, qui ut interdictum unde vi ab iisdem facti sunt. Ad defensionem vero eius, qui rem precario dedit, propositum erat interdictum

de precario (43.26), cuius formula erat haec: =Quod precario ab illo habes, aut dolo malo fecisti ut deinceps habere, qua de re agitur, id illi restituas.=

Hisce praehabitis de genuina possessionis ratione, profecto animadvertimus ius canonicum illam accepisse. At quod pertinet ad subiectum et obiectum possessionis ex iure civili et canonico illi certam rem possidere possunt qui eamdem in suum patrimonium sibi acquirere possunt et vicissim ea possideri possunt quae taliter possunt acquiri, quare ea non valent possideri quae extra commercium sunt. Laici in Ecclesia ex decreto iuris canonici sunt incapaces usus aut possessionis quorumdam iurium aut officiorum. Obiectum autem naturale possessionis res tantum corporales sese exhibent, at quoad res incorporales seu iura recognita est iure romanorum quasi possessio quae cum clarissimo Ruggeri (il possesso e gl'istituti di diritto prossimi ad esso) definiri potest: =Iuris quasi-possessio est phisica operatio in re aliena per actus suapte natura non momentaneos sub forma exercitii iuris servitutis= Verum ius canonicum institutum possessorium ad omnia iura personalia ac spiritualia extendit. Ita in cap. 3. de caus. poss. et proprietatis X (2-12) recognoscitur quasi possessio iuris eligendi praelatum et decernitur vocandos esse ad electionem illos etiam qui sunt in quasi-possessione iuris

eligendi. In c. 8. 10. 12. de rest. spoliatorum X (2. 13) statuitur iura coniugalia possideri. Et sane relatio materialis inter possessorem et ius possessum verificatur cum quis ius exercet, si vero possessor habeat huius iuris etiam plenam disponibilitatem patet nihil prohibere quominus veram et propriam possessionem recognoscamus. Ipsa tuitio possessionis efficacior iure canonico facta est ob praesertim exceptionem spolii iuxta principium = spoliatus ante omnia est restituendus = quae exceptio est praeiudicialis et dilatoria.

Quod vero pertinet ad interdicta cum iure canonico sit constitutum in cap. 2. X. de off. iud. (1-32) quod = iudicis officium ubicumque pro actione proponitur = ante et post ingressum causae potest ad hoc sine litis contestatione, haberi recursus =, simulque quod spoliatis ante omnia possessio restituenda est, patet quod interdicta uti possidetis - utrobi iure canonico potius vocata sunt remedia manutentionis, et interdicta adipiscendae possessionis refusa sunt in remedia immissionis possessionis nempe a iudice dandae. Canonistae autem omnes inter remedia possessoria recensuerunt = Officium iudicis. (De Luca de iud. dis. 44. n. 8) Quoad vero pertinet ad interdicta recuperandae possessionis non levem immutationem praesertim ex praxi forensi civili subierunt, quae vix ius canonicum accepit. Quod interdictum

retinendae possessionis omnino vigent iure canonico patet ex cap. 9. de prob. in X. (2-19) At opera iuris canonici remedium recuperandae possessionis perfectionem suam nactum est. Sane romanorum iure aderant utique actiones possessoriae sed omnino desiderabantur exceptiones possessoriae quibus repellerentur a limitibus iudicii invasores. Quare ius canonicum spoliato comparavit exceptionem spolii (cap. 1. de rest. spol. in 6. (2-5), cui postea addita est ipsa actio spolii (cap. saepe contingit de restit. spoliat.). Quid autem quoad praescriptionis institutum immutaverit ius canonicum postea videbimus.

Articulus 2.us
De rerum proprietate.

Omittimus quae iuxta sanam philosophiam de dominii origine ac fundamento retinenda sint, an scilicet dominii origo a natura repetenda sit vel non, an eius fundamentum proinde sit ipsa natura, vel potius pactum sive tacitum sive expressum, vel civilis lex uti nonnulli somniarunt. Uti Grotius lib. II. c. 2. part. 2. n. 5. - Puffendorfius Cap. 4. par. 4. - Hobbesius Leviathan Cap. 2. par. 5. - Montesquieu Esprits des lois III. XXVI. 15. ect. Cf. Zigliora Summa philosoph. ius naturae. Si potius dominii naturam iuxta iuris philosophiam consi=

deramus, ita dominium definiri potest = ius in re tota ex quo descendit facultas pro lubito de ea re utendi, fruendi, disponendi cum aliorum exclusione. = Incassum tamen quis apud iuris romanorum auctores dominii definitionem inquireret. Siquidem apud romanos dominium cum re ipsà confunditur nec ius reale appellatur. Dominium ita exprimebatur:: haec domus mea est, hic servus est tuus, ille fundus noster est; = rarius omnino in fragmentis dominium denominatur I. 59. pr. ff. ad S.C. Trebelli (36-1) I. 63. §. 4. ff. de acquir. dom. (41-1) I. 4. Cod. (3-44), vel ius proprietatis I. 5. Cod. de distr. pign. (8-28).

Verum etiamsi expresse dominii definitio apud romanos non inveniatur tamen quae ad dominii essentiam ac naturam constituunt indubitanter etiam Romani admiserunt. Duo dominii elementa enumerantur unum positivum, alterum negativum. Primum est quod dominus re uti frui, disponere imo ea abuti idest eam consummare I. 5. §1. (7-5) pro arbitrio possit. Hinc Romani dominum vocaverunt arbitrum moderatorem rei suae. I. 21. C. Mand. (4-35) Inst. §. ult. de usufr. (2-4). Imo si de fundi dominio agatur haec facultas ad ea etiam extenditur quae sub solo sunt imo etiam ad coelum quod supra solum intercedit quoties natura patitur ac utilitas ex his proveniat. I. 1. pr. ff. de s.p.u. (8-2).

l. 9. cod. l. 8. §. 5. - l. 14. §. 1. ff. si serv. vind. (8-5). l. 26. ff. de damno inf. (39-2) l. 1. §. 11. 21. ff. (39-3) - l. 24. §. 2. ff. quod vi (43-24) - l. 22. §. 4. (43-24). Cf. etiam l. 13. §. 1. ff. (8-4) - l. 7. §. 13. 14. - l. 8. pr. ff. sol. matr. (24-3) l. 26. - l. 1. §. 12. ff. (39-3). Alterum elementum autem est quod caeteri omnes a domino excludantur. Hinc etiam Romani duorum dominium in solidum absolute reiecerunt. l. 5. §. 15. (13-6) - l. 19. §. 3. (49-17). Cfr. Tullier i.e. droit civil. français T. III. Quod tamen non exigit ut nihil iuris in eamdem rem habeat alter. Ita in lege 25. pr. de V. S. dicitur: = Recte dicimus eum fundum totum nostrum esse etiam quum ususfructus alienus est quia ususfructus non dominii pars sed servitutis sit uti via et iter, nec falso dici totum meum esse cuius non potest ulla pars dici alterius esse: hoc et Iulianus et est verius. = Ex his deducitur etiam romanos conceptum dominii retinuisse quem ipsa iuris philosophia exhibet.

Verum tum quoad elementum positivum, tum quoad negativum dominium limitationes recipere potest. In primis quodammodo imo improprio omnino sensu dominium a condominio limitatur. Iuxta dominii datam definitionem impossibile est ut dominium pluribus competat in re tota cum aliorum exclusione: = duorum in solidum dominium esse non potest = l. 5. §. 15. ff. Comm. (13-6) et l. 19. cit.,

l. 1. pr. et §. 1. ff. de ligno iuncto (47-3). Attamen res a pluribus pro partibus intellectualibus idest indivisis communis esse potest l. 5. ff. de stip. serv. (45-3) l. 7. §. 4. ff. (20-6) l. 64. ff. (21-2). Hoc dicitur condominium. Condominus iure romanorum non poterat de re disponere sine consensu aliorum l. 28. ff. (10-3) l. 2. ff. (8-1) l. 8. - l. 26. - l. 27. §. 1. ff. (82-2), l. 1. - l. 4. Cod. (4-52). excepto fisco l. 2. Cod. ibid., poterat partem suam indivisam alienare l. 68. ff. (17-2) l. 14. Cod. (4-38) l. 3. l. 4. Cod. (4-52). ac petere per actionem de communi dividendo divisionem rei communis. l. 5. Cod. (3-37). Condominium non confunditur cum dominio quod plures in re pro partibus divisis idest realibus ac materialiter determinatis habent; l. 25. §. 1. ff. de V.S. (50-16); nec cum dominio quod moralibus personis competit Inst. §. 6. de rer. div. - l. 6. §. 1. ff. de div. rer. 1-8. quae ut una persona iuridica considerantur Cfr. l. 11. ff. si serv. vind. (8-3), l. 8-27. §. 1. ff. de s. p. c. (82) l. 28. ff. comm. div. (10-3) - l. 26. ff. (8-2) Cfr. Arndts-Serafini op. cit. §. 133

Sensum autem proprio dominium limitatur 1) vel quia dominus aliquid quod sibi iure dominii competeret in re sua in favorem alterius non agit, vel quia tollerare cogitur ut alter aliquid in ea re faciat. Quae aut ex iure tertio acquisito vel ex legis dispositione derivant. quae ita disposuit aliquando ne commune bonum ac civium concordia in discrimen vocaretur; aliquando autem ut ipsis do=

minis prospiceretur. Ad primam classem pertinent leges romanae 1) quae ad res divinas sese referunt L. 7. pr. L. 8. pr. L. 12. pr. et §. 1. L. 45. ff. De Relig. (11.-7). 2) quae viarum publicarum et navigationis curam respiciunt L. 14. §. 1 ff. (8-6) §. 9. de Rer. div. (2-1). 3) quae pertinent ad causam redituum publicorum vel privatae industriae L. 3. Cod. de metallor (11-6). 4) quae agricolturae probe consulunt L. 1. et sqq. ff. de arb. ced. (43. 27) L. un. ff. De glande leg. (43-28) - L. 14. §. 1. Cod. De serv. (3-34) L. 1. et sqq. ff. De Aq. et aq. pluv. (39-3). 5) quae ad publicam aedificiorum ac aedificandi curam referuntur. L. 1. §. 17. ff. de O. N. N. (39. 1) L. 14. ff. de serv. praed. urb. (8. 2) L. 12. §. 3. §. 5. Cod. de aedif. priv. (8-10) L. 1. pr. de tign. iusto (47. 3) L. 52. ff. de contr. empt. (18-1) L. 48. ff. de dam. inf. (49-2) L. 1. sqq. Cod. De aed. priv. (8-10). Hae servitutes legales appellantur. Ad alteram classem leges pertinent quae proprietatis liberum usum non sinunt ut dominus consulant vel propter sexus infirmitatem, vel ab aetatis maturae defectum, vel ab ingenii imbecillitatem, vel ob aliam rationabilem causam.

Alienatio quae contra legis dispositionem L. 5. ff. L. 16. ff. de fundo dotali (13-5). aut etiam magistratus competentis L. 12. ff. (41-3) L. 7. §. 5. ff. pro empt. (41-4) L. 8. ff. (50-12). fiat, dominium non transfert, L. 3. 11. 15. Cod. de praed. (5-71), ita ut res etiam post alienationem vindicari possit apud quemcumque possessorem etiamsi

19. Solieri. 1901.

contra alienantem qui l. 10 13. ff. l.c. 27.-9. l. 10. 14. 16. Cod. (5-71) l. 17. ff. (21-2) agit doli exceptio aliquando opponi possit; quae dicenda haud sunt si alienatio contra dispositionem extremae voluntatis contingat; l. 114. §. 14. ff. de leg. 30. l. 1. 3. §. 3. Cod. comm. de legat (6.43).; profecto non obstat quin tertius ius in re alienata acquirat quod ei a testatore relictum est. Cfr. Arndts Serafini op. cit. l. cit. Similiter nulla dici non debet alienatio quae contra contractus prohibitionem locum habuerit l. 61. ff. de pactis (2.14)., sed contra alienantem personali actione agitur vel ut rem restituat l. 3. Cod. de cond. ob caus dot. (4-6)., vel aestimationem praestet l. 75. ff. de contr. empt. (18-1) l. 21. § 5. ff. (19-1) l ult. Cod de pact. int. empt. (4-34) l. 135. §. 3. de V.O. (45-1), aut poenam solvat. l. 11. ff. de relig. (11-7). Tandem nullae non habentur alienationes quae tantummodo propter ius ad alterum pertinens contingerunt. l. 1. pr. ff. de fundo dot. (23-3) l. 3. §. 1. l. 7. §. 1. ff. de reb. eor. (27-9) l. 13. ff. fam. erc. (10-2).

Postremo notamus quod iura quae liberum dominii usum impediunt ac coarctant strictae sunt interpretationis. l. 1. l. 3. §. 2. l. 68. pr. ff. de usufr. (7-1) - l. 13. §. 1. in f. l. 29 in f. ff. De S. P. R. (8-3) l. 13. §. 1. ff. Comm. praed. (8.4). Quapropter in dubio pro dominii libertate standum est, l. 8. l. 11. Cod. De Serv. (3.34) l. 9. l. 14. Cod. 3-34., ac iis quocumque modo sublatis ipso

iure dominium redintegratur L. 3. §. 2. ff. De Usufr. (7-1) §. ult. Inst. I (2-4) - L. 30. pr. ff. De S O V. (8-12) L. 6. pr. ff. Quib. mod. pign. solv. (20-6).

Dominium autem actione defenditur quae rei vindicatio appellatur. Hinc diversa ab auctoribus dominii definitiones datae sunt. Bartolus a Donello laudatus definit dominium: = ius de re corporali statuendi ut quis velit nisi si quid iure prohibeamur = De iur. civ. IX. c. 8. Heineccius in Pand: = ius in re corporali ex quo facultas nascitur de ea disponendi eamque vindicandi, nisi vel lex vel conventio, vel testatoris voluntas obsistat. = Muhlenbruch = Ius sibi habendi et possidendi rem corporalem, arbitrio suo eadem utendi atque abutendi, eaque illam abdicandi, alioque modo de ea constituendi, denique in rem actionibus eamdem repetendi sibique vindicandi = ect. Doct. Pand. §. 245.

Verum etiamsi iure romanorum dominii obiectum res corporalis recognosceretur, tamen iure canonico quemadmodum ex evolutione conceptus possessionis, ita ex evolutione conceptus dominii seu proprietatis ortum habuit quasi-dominium, quod est dominium quod spectat ad res incorporales ac resolvitur in ius in re incorporali cum plena et exclusiva facultate exercendi actus qui ad eam pertinent.

Ex dictis patet quod dominii conceptus

unus esse debet. Etiamsi a Romanis haec conceptus unitas quae in iure gentium fundatur postea acceptata fuerit tamen usque ad legislationem Iustinianeam triplex distinguebatur dominium. Refert Gaius, (2-40)(1-54)., quod olim apud Romanus unum fuerat dominium; aut enim ex iure Quiritium unusquisque dominus erat, aut non intelligabatur dominus. Hoc autem nomine intelligebant plenam in re potestatem quae tamen omnem vim suam ex ipso iure Quiritium obtinebat, adeo ut eiusdem subiectum et obiectum esse non poterant nisi personae et res quae iure civitatis gauderent. Verum tractu temporis factum est ut divisionem acceperit dominium, et alius posset esse ex iure Quiritium dominus, alius in bonis habere. Exinde tres hypotheses verificari poterant, vel quod quis plenum ex iure Quiritium in re dominium haberet cum nimirum non solum rem in bonis haberet, sed et eiusdem ex iure Quiritium dominus esset; vel quod nudum ius Quiritium haberet; vel demum quod rem simpliciter in bonis haberet. Videamus quid quaeque hypothesis secum ferret.

1) Qui obtineret dominium plenum ex iure Quiritium omnibus proprietatis iuribus gaudebat adeo ut pro libito posset de re disponere, aliosque omnes ab ea arcere. Ad quod eidem ex iure civili comparata erat realis actio

quae dicta est rei vindicatio qua uti poterat adversus quemcumque rei possessorem. Ad hoc autem ut quis plenum ex iure Quiritium in re dominium habere posset tres conditiones requirebantur, videlicet ut persona commercium iuris civilis haberet, ut res esset ex eorum quae iure civitatis gauderet, ut demum legitimis acquirendi modis rem obtinuerit.

2) Res simpliciter in bonis alicuius fieri dicebatur cum extarent quidem duae priores conditiones dominii ex iure Quiritium, deficeret tamen legitimus acquirendi modus. Res his acquisita modis naturalibus aut praetoriis quia iure civili non agnoscebantur apti ad transferendum dominium ex iure Quiritium, tuebantur tamen a praetore, in bonis fiebat sic v.gr. si tibi rem mancipi neque mancipavero neque in iure cessero sed tantum tradidero, in bonis quidem tua ea res efficitur, ex iure Quiritium vero mea permanebit, donec tu eam si mobilis sit, anno si immobilis biennio possidendo usucapias. Hoc autem in bonis habere omnes conferebat materiales utilitates ex dominio provenientes. Hinc qui in bonis habebat gaudebat iure utendi fruendi re, obtinebat dominicam potestatem in servos (Gai 1-51) per quos proinde ei tantummodo acquirebatur (Gai 2-88), rem alienare poterat, et dominium ex iure Quiritium usucapiendo obtinere. Eidem insuper comparata erant reme-

dia sive exceptione sive actione data; exceptione quidem doli ad repellendam rei vindicationem a tradente vel eius successoribus sive universalibus sive particularibus institutam (l. 3. ff. de except. rei vend 21-3) actione vero ad rem a quocumque possessore repetendam. Haec autem actio erat utilis rei vindicatio idest publiciana in rem actio, quae etiam intentari poterat adversus ipsum tradentem si forte res in eiusdem redierit possessionem quin ipse posset opponere exceptionem iusti dominii quae replicatione excludebatur. l. 23. pr. ff. de rei vind. (6-1). Hisce tamen non obstantibus non erat par conditio illius qui in bonis habebat, ac eius qui plenum obtinebat dominium ex iure Quiritium. Ille enim nequibat directa rei vindicatione uti, nec civiles transferendi dominii modus adhibere ut sunt mancipatio, in iure cessio ect.; item civiles non poterat constituere servitutes in rebus quas in bonis habebat; nec demum servum manumittendo civem romanum facere sed latinum. Ulp. frag. 1. 16.

Nudum ius Quiritium quis retinet cum res in bonis alterius est; ipse a lege recognoscitur uti legitimus dominus, ideoque ipse habet rei vindicationem quae efficaciter uti potest adversus tertium detentorem, non vero adversus eum in cuius bonis res est nec adversus eiusdem successores. Ceterum

si ab his praescindatur hoc non erat nisi merae et vacuae formae dominium, cum ius omne utendi fruendi ad eum spectaret in cuius bonis res erat; quin imo non solum vacuum sed transitorium erat dominium cum tamdiu perduraret, quamdiu non usucaperetur ab alio in cuius bonis res erat.

Verum cum illa realia discrimina quae extabant inter dominium ex iure Quiritium et in bonis esse sensim sensimque deficerent. Imperator Iustinianus antiquae subtilitatis ludibrium expellens lata constitutione nullam esse differentiam definivit inter quos vel nudum ex iure Quiritium vel tantummodo in bonis reperitur. Constit. unic. Cod. (7-25). Sublata enim differentia inter res mancipi et res nec mancipi, inter res civitatis iure gaudentes, et res provinciales dominii conceptus suam unitatem obtinuit.

Articulus 3.um

Quo ordine agitari debeant quaestiones de possessione et de proprietate.

Per se licitum est prius agere de proprietate, quam de possessione rei, at non expedit agere de proprietate quando in promptu habeatur possessorium interdictum cum facilius possessio probetur quam proprietas. Etenim 1) si agatur de possessione acquirenda sufficit te-

stamentum non iniustum, nempe quod legibus aperte non opponatur, vel concessio titulis iuridice facta ab eo qui titulum concedere poterat 2) si agatur de possessione retinenda sufficit factum quod quis nec vi, nec clam, nec precario possederit. Quod factum probari potest vel per instrumentum adeptae possessionis, vel per veram rei apprehensionem, vel per fictam et symbolicam immissionem possessionis. Quod si pares probationes de possessione ex utroque litigante proponatur in causis beneficialibus, neutri favendum est quia duobus concedi beneficium non potest, in aliis causis iuxta interdictum uti possidetis ita possideatis uterque litigans conservabitur in possessione suae rei, usque ad exitum iudicii proprietatis. 3) si agatur de recuperanda possessione sufficit ut actor probet se aliena vi a possessione deiectum fuisse. E contra qui vult probare dominum esse rei, ostendere debet titulum dominii originem tituli legitimum translationem dominii iure factam quae omnia sunt difficilis probationis.

Causa possessionis et proprietatis ab eodem iudice etiam delegato videndae sunt = nisi causa proprietatis distincti fori existat a causa possessionis. Uti in causis ecclesiasticis quaestio de possessione potest pertinere et ad iudicem laicum si contra laicum instituatur, non vero quaestio de proprietate seu de iure. Quia

quaestio de possessione etiam in causis ecclesiasticis est circa factum civile et temporale quaestio e contra de iure est circa aliquid spirituale.

Causae possessionis et proprietatis agitari possunt in eodem iudicio quod dicitur causas cumulare nisi excipiatur interdictum adipiscendae possessionis quod ab actore instituatur dum reus proprietatis iudicium instituit. In hoc casu inutiliter de possessione quaeritur cum agatur de proprietate. Quare cumulantur hae causae 1) si actor simul proponat utramque quaestionem, nam saltem utile est ut actor declaretur legitimus possessor relate ad praeteritum pro fructibus iam perceptis et consumptis. Neque difficultas est quoad interdictum retinendae possessionis quia ut ait Ulpianus in l. 12. de adquis. poss. = non videtur possessioni renunciasse qui rem vindicavit = 2) si actor instituat iudicium petitorium et reus promovat exceptionem possessionis; nam reo possessore adiudicari potest pro ante acto tempore et quidem quoad fructus. 3) si actor instituat iudicium possessorium et reus opponat exceptionem proprietatis.

Caput III.

De causa spolii.

Videbimus 1) Quando causa spolii locum ha-

20 Solieri. 1901.

beat 2) quaenam sint in re iuris exceptiones 3) quid veniat restitutione spoliatorum.

Articulus 1.us

Quando causa spolii locum habeat.

Spolium definiri potest = Deiectio a possessione rei, vel quasi-possessione iuris ex magna et notoria iniustitia. = Hinc est etiam spolium deiectio a possessione ex iudicio evidenter iniusto, in quo scilicet iuris solemnitates ad essentiam necessariae servatae non sunt. = Unde non oritur causa spolii ex sententia iniusta = Iure Romano deiecto ex magna et notoria iniustitia a sua possessione, dabatur interdictum unde vi, quo poterat spoliatus possessionem recuperare. Hoc interdictum erat personale ita ut daretur contra ipsum spoliantem, vel mandantem, vel in consentientem in spolium nomine suo patratum, minime vero contra tertium possessorem rei spoliatae. Hoc remedium accepit ius canonicum et ampliavit: in can. 3. caus. 3. q. 1. spoliata datum fuit remedium redintegranda, idest exceptio contra quemcumque etiam tertium possessorem sive bona fide possideret, vel mala fide, sive ad eum res cum titulo, sive absque titulo pervenisset. Remedium hoc consistit quod Episcopi vel clerici spoliati de rebus suis vel suarum Ecclesiarum debeant de

omnibus rebus sublatis reintegrari, et quidem in loco ubi ablatae fuerunt. 2) Cum hoc remedium esset insufficiens cum exceptio opponi non possit nisi instituatur actio Innocentius III. c. 18. qui a possessione deiectus fuerit dedit actionem contra tertios detentores rei qui rem per spolium ablatam fuisse iuraverint. Haec remedia competunt spoliatis eorumque heredibus et successoribus qui probare possedisse et vi fuisse possessione privatos adversus quemcumque apud quem res ablata reperiatur eo fine ut rei possessio restituatur antequam quaelibet alia iudicialia acta contra spoliatos eorumque heredes instituti possint.

Haec remedia dantur etiam predoni occulto vi rebus possessis a tertia persona etiam a domino ex intervallo non autem incontinenti spoliato. Dicitur non incontinenti alioquin esset Domini rei defensio, non spolium.

Quare in causa spolii receptum est principium = Spoliatus ante omnia restituendus est = Qui spolium comisit non auditur in iudicio nisi purget spolium, nisi restituat rem ablatam, quamvis rei proprietatis exceptionem proponat.

Articulus 2.us

Quando iuris exceptionibus causa spolii non admittatur.

Sunt 1) Spoliatus ante omnia non est restituendus si consentiat in iudicium petitorium non facta restitutione.

2) Si notorius sit defectus proprietatis in eo a quo ablata est possessio dummodo simul constet sufficienter rei proprietatem pertinere ad spoliantem iuxta iuris regulam = Dolo agit qui petit quod restituere oportet eumdem =

3) Restitutio non fit si spolianti adsistat ius commune, cuius praesumptio spoliato resistat. Quia praesumitur possessionem iniustam fuisse.

4) In causis matrimonialibus in quibus primitus finienda est causa iuris et iudicium petitorium quam possessorium quoties exposcenti possessionem obiiciatur exceptio nullitatis matrimonii. Spolium autem in matrimonio verificatur solum post matrimonii consummationem, vel post matr. ratum si pars, exceptis iuris privilegiis, ab altera privata auctoritate discedat: quo in casu restitutio facienda est solum relate ad habitationem eo quia plena non erat alterius partis possessio ante matr. consummationem.

5) Si spoliatus ante spoliationem sponte do-

minio suae rei renunciaverit quam deinde spoliator occupaverit.

6) Si spoliatus post spoliationem ineat pactum cum spoliatore quo promittat se non acturum fore iudicio possessorio recuperandae possessionis.

7) Si post spolium persona spoliata fiat inhabilis ad agendum.

Articulus 3.us

Quid veniat in restitutione spoliatorum.

Vel agitur de possessione bonae fidei vel malae fidei. Possessor bonae fidei ante litis contest. restituit rem una cum omnibus partibus et accessionibus exceptis fructibus consumptis, quos suos facit irrevocabiliter tantum enim valet bona fides quantum veritas ubi lex impedimento non est etiamsi ditior factus sit. Ad fructuum extantium restitutionem compellitur vero actione personali cum sit dominus etsi sit simul debitor cum ratio non sit ut maneat dominus. Post litis contestationem restituit omnes fructus etiamsi post litis contestationem consumptos vi quasi-contractus quem ipsa litis contestatio inducit. Attamen ad rem habendam utitur dominus actione reali quae dicitur rei vindicatio.

Quod si agatur de possessore malae fidei rem ipse restituere debet cum omnibus fru-

ctibus et etiam consuptis, et accessionibus tam ante quam post litis contestationem quae omnia dominus exigere valet unica actione reali rei nempe vindicatione, cum possessor malae fidei nullos fructus suos faciat.

Caput IV.

De rei examine seu de constituto.

In causarum criminalium discussione primus actus iudicis est per examen rei statum litis determinare et quantum fieri potest restringere. Instruct. S. Congr. EE. et RR. art. 25. et sqq. = Cum reus comparuerit supponitur examini at si alicuius momenti sint quae deducit debito in pretio habenda sunt. Subinde transitus fit ad contestationem facti culpabilis, litem coarctando ad ea quae reum traducunt tamquam culpabilem et canonicis poenis obnoxium. =

Circa rei examen advertatur.

a) Interrogatoria quae a iudice fieri solent latino sermone, scriptis mandantur per Notarium seu Actuarium Curiae, et responsiones quae a reo dantur in lingua vulgari, scribantur pariter ab Actuario lingua vernacula pronti per ipsum dantur. Quod si reus linguam latinam non cognoscat interrogationes ei explicantur lingua vernacula, et ipsa vulgaris explicatio non scribitur cum iam scri-

pta sint latine.

b) Interrogatoria subtiliter et singillatim concipienda sunt a magis generalibus ac remotis incipiendo et gradatim ad proximiora et graviora in causa descendendo: ita ut reus a principio minus quam fieri possit persentiat difficultatem aperiendi veritatem, et dein a veritate deflectere retineatur metu sibimet contradicendi.

c) Si examen unica vice ad exitum perduci nequit interrumpendum est antequam deveniantur ad indicia proxima et urgentiora, alioquin reus non sic facile veritatem fatebitur. (Pellegr. Prax. Vicar. p. 4. Sect. 9. n. 37).

d) Ceterum iudex vitare debet interrogationes suggestivas, et captiosas cum potius ad reum illaquendum quam ad veritatem detegendam inductae videantur.

e) Examen rei appellari solet = Constitutum = quia incipere solet iuxta praxim forensem = Constitutus personaliter in camera et coram R. Vicario Generali ..... fuit per eumdem Vicarium Generalem interrogatus ect.=

Huiusmodi examen fit quando lis contestatur ut determinetur status quaestionis ex negationibus aut rei confessionibus.

Caput V.

De dilationibus

Dilatio in genere nil aliud est = quam indul-

tum seu concessio temporis intra quod aliquid agi potest. Dilatio alia est iudicialis, alia est extraiudicialis prouti ad actum aliquem iudicialem vel extraiudicialem conceditur = Iudiciales dilationes aliae sunt legales, aliae conventionales legales si dentur a lege vel statuto aut consuetudine; Conventionales si ex partium consensu. Tandem dilationes aliae dicuntur citatoriae quae a citatione usque ad litis contestationem dantur, de quibus iam diximus agentes de citatione; aliae dicuntur probatoriae quae conceduntur a litis contestatione ad sententiam definitivam exclusive, aliae definitoriae et executoriae quae conceduntur post sententiam definitivam - De his singulis aliquid dicendum.

Articulus 1.us
De dilationibus probatoriis.

Dilationes probatoriae quadrupliciter distinguuntur tum in civilibus tum in criminalibus 1) aliae dantur ad articulandum, 2°) aliae ad dicendum contra articulos 3) aliae ad producendum omnia 4) aliae ad dicendum contra producta. - Quas omitti non posse a iudice citra invaliditatem processus si pars eas petat vel haud urgens et evidens negotium sit, tenent plures canonistae.

1) Ad articulandum seu ad proponendos ar=

ticulos = Articuli non sunt nisi assertiones factorum principalium ad causam pertinentium quos litigantium alter alteri proponit, eadem facta probare paratus si adversarius negat - In causis criminalibus istae assertiones appellantur Capitula, in civilibus articuli seu positiones. Differentia varii nominis forsitan ex diverso modo pendent quo assertiones huiusmodi enunciantur in civilibus ac criminalibus causis. Tam capitula quam positiones sint oportet simplices, et claritatis maxime, continentes facta non iusta, non captiosa nec suggestiva, non impertinentes non extravagantes, sed desumpta ex libello vel ex iis quae habentur in inquisitione pro notitia Curiae.

Statuta die articuli praesentantur et Actuarius adnotat in calce diem, mensem, annum quo praesentati sunt et nomen iudicis coram quo. Deinde iudex edit decretum quo renuntiat praesentatos esse, an omnes sint admittendi, vel nonnulli expungendi et qua de causa. Postea articulans iurat vera esse contenta in articulis.

2) Quibus peractis conceditur alia dilatio ad dicendum contra articulos. Statuto tempore reus praesentat sua responsa et iurat responsa vera esse. Procurator rei non admittitur neque ad articulandum neque ad respondendum articulis nisi habeat speciale—

21. Sotieri. 1901.

mandatum.

3) Tertius terminus dilationis conceditur tum actori tum procuratori fiscali tum reo ad probandum quod continetur vel in articulis vel in responsis.

4) Quo quidem tempore elapso datur utrique parti quartus terminus ad dicendum contra probationes tertio termino ab adversario productos.

Articulus 2us

De dilationibus definitoriis et executoriis.

In tertia parte iudicii conceduntur dilationes definitoriae, et executoriae. Definitoriae dantur ad causam finiendam, statuto scilicet certo tempore quod ad audiendam sententiam partes comparere debeant; executoriae dilationes dantur reo per sententiam damnato ad solutionem e. gr. faciendam. Quae quidem dilationes executoriae in actionibus realibus et criminalibus raro locum habent, cum statim executio in talibus negotiis fiat, nisi per accidens executionem quid impediat. Effectus cuiuslibet dilationis praecipuus est nec ea pendente, iudicium quiescit neque quidquam agendum est, aut innovandum super articulo seu capitulo super quo data est dilatio; nisi pars litigans cui concessa fuit dilatio hac non finita, agat in causa.

Caput VI

De probationibus in genere.

Videbimus 1) de probationibus seorsim sumptis 2) de probationibus actoris et rei inter se comparatis.

Articulus 1us

De probationibus seorsim sumptis.

Probatio in genere est = actus iudicialis quod per instrumenta aut testes aut idonea argumenta de re controversa iudici fit fides. = Probatio alia est plena, alia est semiplena. Plena facit plenam fidem de re in iudicium deducta ita ut ad sententiam ferendam iudex plene sit instructus. Semiplena est quae aliquam fidem non tamen plenam iudici facit ut ex ea iure ~~moneri~~ moveri possit ad sententiam ferendam pro hoc vel illa parte.

Probatio debet esse clara et determinata. ad hoc requiritur 1º) ut referatur ad unum non ad plura, 2º) respondere debet formae libelli et petitionis sive petitio proferatur per modum actionis sive per modum exceptionis aut reconventionis. Probanda sunt quae in iudicium deducta sunt.

Onus probandi in iudiciis 1) incumbit ei qui asserit non vero qui negat sive de actore sive de reo agatur. Reus enim excipiendo fit actor

2) ille tenetur probare contra quem militat praesumptio iuris sive sit actor sive sit reus. Probationes fiunt coram iudice vel alia persona a iudice deputata. Ceterum ut ait instructio S. Congr. Prop. Fide pro statis Foederatis Americae Sept. Ad admittendam veram rei culpabilitatem necessaria est probatio legalis quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis connectura inducatur quocumque rationabili dubio oppositi remoto.

Probationes proponuntur a litis contestatione usque dum conclusum fuerit in causa; attamen recipi possunt probationes ante litis contestationem 1) quoties sit periculum ne pereant 2) in iudiciis summariis in quibus vera et propria litis contestatio uti diximus non habetur 3) in iudiciis criminalibus quando iudex procedit ex officio.

Post conclusionem in causa non recipiuntur probationes nisi) agatur de causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam, sive) de causis beneficialibus, aut) criminalibus. Ceterum minores, et Ecclesiae habent beneficium restitutionis in integrum.

Effectus plenae probationis sunt 1°) ut iudex procedere possit ad sententiam proferendam 2°) ut etiam coram alio iudice possit inter easdem personas in eadem causa sumi ad fidem faciendam.

causae transeunt in rem judicatam quando
non
... appellatur intra decem dies contra sententiam.

Effectus probationis semiplenae est actore non probante reus absolvitur. At iudex potest in causis civilibus minus arduis deferre iuramentum suppletorium parti quae semiplena probavit, et ita conficere plenam probationem; vel reo intimare purgationem canonicam interposito iuramento.

Articulus 2.us

De probationibus actoris et rei inter se comparatis.

Ad dignoscendum quaenam debeant probationes praevalere si tam ab actore quam a reo probationes adducantur huiusmodi criteria exhibentur.

1.º Criterium.

Si agatur de probationibus contrariis hae regulae servantur.

a) Videndum est an probationes inter se conciliari possint etiamsi ad hoc sit necessarium ut referantur ad diversos actus, vel ad diversas loci aut temporis circumstantias.

b) Si probationes sint prorsus inter se contrariae valet principium = maior probatio minori, praefertur ita ut minor pro non adducta habeatur; = et simul regula servatur = actore non probante reus absolvitur. = Quare plena probatio destruit semiplenam probationem.

c) Si equales et contrariae sunt probatio-

nes, quae conciliari nequeunt inter se invicem eliduntur. Attamen quaelibet superveniat probatio secumfert praevalentiam minus prae alia.

Excipiuntur causae privilegiatae in quibus pro causa privilegiata iudicari potest dum adsunt contrariae et aequales probationes; istae enim causae praeter probationem in casu pro se habent etiam praesumptionem iuris, uti est causa circa existentiam vinculi coniugalis, pro libertate hominis ect.

2º Criterium.

In comparatione probationum optima censetur ea quae fit per evidentiam facti seu per inspectionem oculorum vel iudicis, vel compromissariorum. Maxime valet haec inspectio in causis matrimonialibus circa consummationem matrimonii, vel de alterius coniugis impotentia.

3. Criterium.

Probatio specifica praevalet genericis probationibus; quia obiectum probationis specificae est factum determinatum.

4. Criterium.

In civilibus duae semiplenae probationes quae concurrant in eumdem finem possunt coniungi ad plenam probationem efficiendam.

In criminalibus tamen ordinarie non sufficiunt.

Caput VII.

De probationibus in specie.

Probationes in specie fieri possunt per testes, per rei confessionem, per instrumenta, per iuramentum, per accessum, per praesumptionem.

Articulus 1us

De probatione per testes.

Testis est = persona quae ad fidem alicuius rei, sua asseveratione adstruendam adhibetur. = Testis confirmatio aut adfirmatio sacris verbis roborata dicitur testimonium aut attestatio = De testibus videndum est 1) de eorum idoneitate, 2) de eorum scientia, 3) de eorum numero, 4) de eorum iuramento, 5) de eorum singularitate, 6) de eorum productione, 7) de eorum interrogationibus.

Quoad testium idoneitatem. = Testes sunt idonei 1) qui per canones vel leges non arcentur a testimonio ferendo et plerumque dicuntur omni exceptione maiores 2) qui fide digni sunt et a moribus probati. Etenim ut testes fidem faciant necesse est ut habeant scientiam de quo testificant et probitatem qua testare velint quod sciunt.

Nonnulli autem prohibentur in genere; alii in specie.

I. In genere a testimonio ferendo prohibentur

impuberes, pupilli, qui mentis infirmitate laborant, caeci si agatur de teste de visu, surdi si de auditu; muti et surdi simul, infames, criminosi, periuri, de crimine accusati vel excommunicati.

II. <u>In specie</u> nonnulli testes prohibentur testificare pro certis personis; alii contra certas personas; alii in certis causis.

a) Pro certis personis non admittuntur ob mutuum affectum 1) testis parens pro filio, aut filius pro parente, de quocumque ascendente agatur, nec maritus pro uxore, aut concubinarius pro concubina, sponsus pro sponsa. 2) Non admittitur ob potestatis dominicae subiectionem domesticos seu famulos praetio conductos pro domino 3) nec socius criminis pro complice.

b) Contra certas personas = 1) inimicus 2) laicus in causa criminali criminaliter acta contra religiosum; excipiantur crimina notoria, et scandalosa crimen haeresis, sodomiae ect. ita nec clericus in causis criminalibus criminaliter actis contra laicum propter periculum irregularitatis incurrendae si agatur de causa sanguinis; neque iudaei, pagani, heretici contra fidelem catholicum

c) In certis causis a) mulier etsi uti testis admittitur in causis civilibus vel criminalibus civiliter actis etiam in matrimonialibus, tamen virorum testimonium mulieris testimonio prae=

fertur.

b) in causis criminalibus criminaliter actis in iure canonico non admittitur mulier ad testificandum nisi agatur de crimine excepto, aut non possit aliunde haberi veritas vel testetur tantum ad rei innocentiam ostendendam.

c) Minores non admittuntur in causis civilibus nimis arduis, in criminalibus vero mulieribus aequiparantur.

d) Pauperes et vilis conditionis non admittuntur in causis arduis ad vitandum periculum falsae depositionis. Secus si agatur de testibus qui sint exceptione maiores.

e) Nemo est idoneus testis in causa propria.

Quoad eorum scientiam.

Verum non omnes testes, etsi idonei eamdem probandi vim habent. Alii enim sunt testes de scientia qui nempe deponunt se scire rem gestam esse eo quod proprio sensu v. gr. visu ea deprehenderunt quae testificantur; alii sunt de credulitate qui dicunt se ita ex coniecturis credere, alii de auditu alieno, alii de fama. - Testes de scientia vim habent probandi, testes de fama aut de alieno auditu vix semiplene probant, testes de credulitate non probant nisi de iis agatur quae ab artis peritia pendent. Insuper testis est vel vacillans qui sub dubio deponit, vel varius si facta diverso modo narrat, contrarius sibi. Te-

stis vacillans nullam fidem facit si dubium ex ignorantia oriatur, non vero ex timore, varius testis fidem facit quoad primam depositionem non quoad secundam contrarius nullam fidem facit nisi illico se corrigat, et nisi ex malitia se uti contrarium ~~exigat~~ exhibeat.

Quoad eorum numerum.

Ordinario ad rei gestae probationem in quacumque causa sufficiunt duo testes idonei et omni exceptione maiores. Sunt tamen aliquae causae in quibus de iure plures quam duo aut tres testes requiruntur. Quoad hoc diversa inducta sunt ex consuetudine; attamen consuetudo efficere non potest ut unus testis cuiuscumque dignitatis plene probet nisi gravis necessitas vel evidens utilitas consuetudinem talem aut statutum tale exigeret uti accidit in) causis criminalibus levioribus nihil tertio praeiudicantibus, in) causis summariis, in causis in quibus agitur de peccato vitando, in denunciatione inhabilitatum ad ordines suscipiendos, ad probandam rei innocentiam, ex consensu partium in uno teste.

Verum unus testis omni exceptione maior inducit saltem semiplenam probationem ad inquirendum ac citandum reum.

Ceterum testes separatim audiendi sunt.

Quoad eorum iuramentum.

Testis non iuratus nihil probat. Quare a teste antequam deponat iuramentum exigitur

non calumniae sed veritatis et 1) quod tantum veritatis amore ad testimonium ferendum moveatur 2) et quod eius depositiones ante eorum publicationem nemini sit revelaturus. Iuramentum fit tangendo Evangelium nisi consuetudo aut privilegium aliam praxim induxerint. Pars contraria tamen potest remittere hoc iuramentum exceptis causis criminalibus capitalibus, et causis matrimonialibus ubi agitur de valore matrimonii.

Testes deponunt viva voce non scriptis nisi consuetudo aut necessitas aliud suadeant.

Quoad eorum singularitatem.

Singulares testes dicuntur qui de diversis factis testantur, dum e contra contestes sunt qui de uno eodemque facto testantur. Testium singularitas est triplicis generis adversativa si eorum depositiones inter se pugnant; diversificativa si depositiones sint diversae non tamen contrariae; cumulativa sive adminiculata si depositiones sint diversae mutuo tamen inter se coadiuvantes. Plenam fidem faciunt certe contestes de uno eodemque facto testificantes ita ut conveniat non tam in substantia delicti sed etiam in tempore, loco, ect. Quoad autem pertinet ad testium singularitatem nullam fidem faciunt si singularitas sit contraria, si singularitas sit diversa inducunt contra reum praesumptionem, si sit cumulativa possunt ple-

nam fidem facere tum in civilibus tum in criminalibus si v. g. per plures singulariter habentur plena probatio de singulis factis ex quibus factum criminosum resultat.

Quoad eorum productionem.

Testes qui ad probandum adhibentur ad deponendum vocantur per legalem citationem. Ordinario tres tantum admittuntur productiones quarta ex iusta causa et cum legali solemnitate conceditur. Si testes producti sint alienae iurisdictionis, iudex debet ordinarium iudicem testium rogare per litteras ut eos ad locum iudicii mittat; eos enim citare nequit. Si gravi de causa testes accedere nequeant actorum moderator accuratam facit factorum ac circumstantiarum expositionem de quibus confirmatio requiritur, concinnatisque interrogationibus ac denique testium expositis nominibus omnia ad ordinarium transmittuntur loci in quo personae iuridicae audiendae commorantur, et suae Curiae praecipere faciat ut testes examinentur iuxta datas interrogationes. Ordinarius testium postea eorum depositiones ad iudicem transmittit. Si indicentur testes qui de factis vel circumstantiis ad meritum causae substantiale spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint vel quia non decet vel non licet eos citare in iudicium, vel quia rogati adesse recusant, necesse est id

in actis commemorare, eorumque de ~~scientia~~ deficientia suppletur testimoniis aliorum qui vel de relato vel aliter rem de qua quaeritur noverint.

Quoad testium interrogationes.

Praemittuntur interrogationes generales; circa nomen, aetatem, religionem, statum domicilium, hinc de facto controverso, de circumstantiis, de causa scientiae, de eorum credulitate, de fama, de certitudine.

Interrogationes speciales eruuntur ex visceribus causae, sive ex libello, sive ex depositione rei, sive ex positionibus capitulis, vel articulis quia partibus fortasse exhibiti sunt.

Articulus 2.us

De probationibus per rei confessionem.

Confessio in casu est = illius quod ab adversario intenditur in iudicio vel extra iudicium facta asseveratio = Hinc duplex est confessio iudicialis et extraiudicialis; illa fit in iudicio haec extra iudicium.

Ut confessio iudicialis faciat plenam fidem requiritur 1) ut fiat in iudicio coram iudice competente sedente pro tribunali in causis quae requirunt plenam causae cognitionem. 2) ut sit de re certa 3) de re quae neque naturae neque iuri adversetur 4) ut fiat praesente adversario vel eius procuratore vel saltem a iudice acceptatam absens adprobat.

5) ut fiat sponte et libere 6) ex certa scientia 7) ab eo qui maior est 25. annorum.

Confessio iudicialis fit vel expresse ac tacite; ut contra tacitam admittitur probatio in contrarium.

Effectus iudicialis confessionis est ut inducat plenam probationem non solum sed tollitur omnis iuris et de iure praesumptio, inducit notorium ita ut ferri possit post eam sententia definitiva etsi processus esset etiam nullus propter ordinem iudicialem non servatum.

Confessio tamen revocari potest in continenti si a parte adversa acceptata non fuerit, alioquin adversarius per acceptionem ius iam acquisivit; ex intervallo revocatur si error probetur antequam sententia lata sit.

Confessio extraiudicialis, parte adversa praesente facta et cum speciali causae expressione, in causis civilibus plene probat in iudicio contra confitentem si duobus testibus probari possit; parte vere absente facta aut causa nulla expressa, vel nihil probat vel solum semiplene contra confitentem. Nisi in priori casu confitens probet se evidenter errasse; in secundo casu nisi in instrumento facta sit confessio aut iuramento firmata, vel facta fuerit non ad obligandum sed ad liberandum ab obligatione; in hoc casu plenam facit probationem et si pars adversa tali confessioni non

adfuerit aut specialis causa expressa non sit.

In causis criminalibus confessio extraiudicialis non inducit nisi indicia apta ad inquirendum, vel ad imponendam purgationem canonicam, nunquam tamen facit nec semiplenam quidem probationem.

Articulus 3.us

De probationibus per instrumenta.

Instrumentum dici potest = quaelibet scriptura ad alicuius rei assertionem vel probationem facta.

Instrumenta sunt vel) publica vel) privata. Instrumentum publicum dicitur illa scriptura quae publica auctoritate sive publica persona uti est notarius, legitime et cum omnibus solemnitatibus est facta sive in iudicio sive extra iudicium, vel si a publica persona confecta non sit quoad effectum tamen probandi uti publicum habetur uti sunt acta iudicii iudicis auctoritate confecta, scripturae quae extrahuntur ex archivio publico, scripturae publico sigillo signatae, scripturae tribus testibus firmatae. Quae omnes scripturae fidem faciunt dummodo in eis nullus defectus, fraudis suspicionem inducat.

Quae autem publica scriptura propria est a notario confecta duplex est 1) aliud instrumentum authenticum originale. 2) Quae

ex hoc deducuntur exemplaria vocantur. Instrumentum publicum originale in eo quod dispositive continet plene valet ad probationem conficiendam tum pro contrahentibus tum contra eos donec invicte demonstretur contrarium. Exemplar publicum fidem per se non obtinet, sed tanti valet quantum constet illud referre documentum authenticum quod est instrumentum. Tamen etiam publicis instrumentis fides subtrahi potest exceptione falsitati quae pluribus testibus sit demonstrata.

Instrumentum privatum seu privata scriptura, tantum contra scribentem probat modo causa debiti sit expressa, excepta liberatoria confessione in qua creditur sibi solutum profitetur.

Articulus 4.us

De probationibus per iuramentum.

Iuramentum est = invocatio divini Numinis in testem eius rei quae promittitur aut asseritur. = Iuramentum est promissorium vel assertorium. Illud futurum respicit et solet adhiberi in contractibus, hoc respicit praesens aut ~~futurum~~ praeteritum tempus.

Assertorium triplex est voluntarium, iudiciale, et necessarium

1) Voluntarium est = quod alter alteri aut ex

conventu aut sine conventu extra iudicium defert, vel refert. Deferre iuramentum est adversario offerre ius iurandi conditionem; referre est suscipere hanc conditionem eamque in ipsum offerentem reiicere.

2) Iudiciale est = quod in iudicio alter litigantium alteri defert, iudice non cogente, sed approbante: dicitur etiam litis decisorium. =

3) Necessarium est quod iudex actori vel reo defert deficiente plena probatione, quo in casu dicitur iuramentum suppletorium = Iuramentum recusari nequit sine iusta causa =.

Iuramentum voluntarium defertur extra iudicium alteri parti ob periculum litis futurae sub ea conditione ut si ausa fuerit iurare, iuramentum pro veritate habeatur. = Iuramentum iudiciale quia importat transactionem ab iis solum deferri vel acceptari potest qui possunt transigere.

Deferri nequit 1) in causis matrimonialibus quoad vinculum quia non transeunt unquam in rem iudicatam 2) in causis criminalibus criminaliter actis 3) in causis iurisdictionis.

Iuramentum necessarium seu suppletorium non admittitur 1) quando sufficientes adsunt probationes 2) quando neque adest semiplena probatio 3) in causis criminalibus criminaliter actis; potest vero iudex deferre

iuramentum purgatorium quando contra reum indicia saltem militant quae communem praesumptionem faciant 4) in causis civilibus maxime arduis et magni praeiudicii

Articulus 5.us

De probationibus per accessum.

Inter probationes est etiam inspectio rei, quae a iudice adhibetur ut verbis subiiciat quae non satis certa et explorata sunt, atque ita controversiam expediat. Quod accidit ex. gr. in quaestionibus de finibus regundis, de novi operis nunciatione, in causis matrimonialibus in quibus quaestio adest de impedimento impotentiae ect.

Hac in inspectione iudex adhibet peritos rei de quo agitur, aut ipsis absolute iudicium committit.

Articulus 6.us

De probationibus per praesumptiones.

Praesumptio est = rationalis coniectura rei dubiae collecta ex argumentis et indiciis quae per rerum naturam frequenter eveniunt.

Alia) est iuris, alia) hominis. Praesumptio hominis est quae prudentis iudicis arbitrio relinquitur et est 1) levis seu temeraria, 2) pro-

babilis, 3) vel violenta prouti comititur indiciis levissimis, gravibus, gravissimis. Praesumptio levis nihil probat, gravis facit semiplenam probationem, et iudex procedit prouti de iure in casu. Gravissima transfert in civilibus onus probandi in alterum, et pro veritate habetur donec evidenter probetur contrarium. In criminalibus non est sufficiens ad ferendam sententiam.

Praesumptio iuris est quae a lege praescribitur alia) est iuris simpliciter, alia) iuris et de iure. Praesumptio iuris admittit probationem in contrarium etiam directam. Praesumptio iuris et de iure admittit probationem in contrarium solum indirectam. Praesumptio iuris transfert in alteram partem onus probandi et pro veritate habetur donec probetur contrarium. Praesumptio iuris et de iure non solum transfert onus probandi sed etiam removet adversarium a probationibus directis in contrarium afferendis.

Quod si praesumptiones inter se concurrant valet quod diximus de probationibus concurrentibus inter se comparatis hinc

1) maior praesumptio elidit minorem, 2) praesumptio iuris fortior est praesumptione hominis 3) specifica derogat genericae 4) quando actus positus est praevalet praesumptio quae est pro valore actus.

Tandem quaecumque sit praesumptio semper valet principium = praesumptio cedere debet ve-

vitati

Caput VIII.

De publicatione processus.

Absoluto processu probatorio redactor actorum idest Cancellarius summarium praecipuorum argumentorum quae ex ipso elucent, conficit. Iudex edit decretum quo declaratur publicatus processus. Verum quod testes aliquando ad testium damna vitanda expedit quod eorum nomina confusa et separata a dictis testium dentur ne possint scire quid ab eorum unoquoque dictum fuerit. Aliquando ad iustum tutamen testium oportet eorum nomina occultare, eaque si necessarium rei procuratori manifestare. Etsi enim sit essentiale in iudiciis manifestare partibus attestationes, tamen plena, rigorosa et stricta sumpta publicatio ad validitatem causae non est necessaria. Hinc reo fit facultas eligendi sibi defensorem de quo iam supra diximus. Rei defensor debitis cautelis inspiciet in Cancellaria processum et summarium ut reum tueatur; ipse quoque tenetur ad iuramentum de secreto servando si sit opportunum, ita de actore eiusque advocato. Processus eiusque summarium pariter ad procuratorem fiscalem transmittitur in causis criminalibus, ut officio suo fungi possit, dein ad ordinarium re-

mittitur qui ubi in plenam causae cognitionem devenerit diem constituet, in qua eius discussio ac decisio locum habeat idque inquisito significari curet.

Caput IX.

De exceptionibus et praescriptionibus.

Praestituta die causa coram Episcopo vel Vicario generali praesente procuratore fiscali, defensore, et Cancellario proponitur. Tunc locum habet disertatio Actoris vel Procuratoris fiscalis, et rei defensoris ex alia parte. Reus autem praeter alias defensiones quae ex aliis caribus causae, nempe ex probationibus allatis depromuntur, validam defensionem habet etiam in exceptionibus. Hinc videndum est 1) de exceptionibus in genere 2) de exceptione praescriptionis.

Articulus 1us.

De exceptionibus in genere.

Exceptio est = actionis vel intentionis actoris exclusio = Si perimat omnem actionem dicitur peremptoria et perpetua, si tantum ad tempus agenti obstat et causam ad aliud tempus, aut alium iudicem vel locum transfert dicitur dilatoria aut temporalis. =

Peremptoriae exceptiones aliae) ipsam litem

omnino excluderunt uti exceptio iusiurandi, rei iudicatae, transactionis si lis denuo sit inter easdem personas et ex eodem causa, et de eadem re. Aliae) vero tollunt solam determinatam actionem in parte particulari causae uti exceptio praescriptionis, doli mali, metus ect. Peremptoriae semper proponi possent quolibet litis tempore imo post rem iudicatam etiam in actione iudicati.

Dilatoriae respiciunt vel causam, actionem, vel iudicem si sit incompetens, vel suspectus: decernere de incompetentia pertinet ad ipsum iudicem salvo partibus iure appellationis; non vero de suspicione. Dilatoriae proponuntur a reo quolibet tempore quaestionis pronti apparet unum ipse iudicaverit nisi iuri suo expresse vel tacite renunciaverit; uti exceptio contra iudicem admitti non potest si consentiat reus in iudicio, et nisi a iudice datum sit congruum tempus ad eos proponendos; quo in casu postea proponuntur quas ignoraverat, aut quae postea ortae sunt.

Effectus exceptionis sunt 1) ut perimat vel differat actionenem 2°) ut reus actor efficiatur hinc et reus exceptionem probare debet iuxta superius dicta.

Contra exceptiones actor adhibet replicationes ad exceptiones tollendas. Replicatio igitur est exceptionis exclusio; contra replicationem reus habet duplicationem contra quem

actor habet triplicationem et ita porro. Verum iudex ex officio iis modum constituit et causam definit.

Articulus 2ᵘˢ
De exceptione praescriptionis.

Praescriptio est species exceptionis peremptoriae. Definitur adiectio sive acquisitio dominii vel quasi-dominii, aut alienius iuris sive realis sive personalis per continuatam possessionem tempore et modo a legibus vel sacris canonibus definito. Iure Romano dicebatur usucapio iuxta diversitatem obiecti, effectus et modi. Fundamentum praescriptionis est communis utilitas, imo et necessitas societatis ne dominia rerum incerta maneant, et litibus perpetuus aditus aperiatur.

Ut procedat praescriptio requiritur 1) subiectum capax 2) obiectum capax 3) bona fides praescribentis 4) iustus titulus 5) vera et continuata possessio tempore statuto.

1) Subiectum capax hinc laicus praescribere non potest e.g. iurisdictionem ecclesiasticam, etsi in iure admittatur praescriptio iurisdictionis translativa, non extinctiva.

2) Obiectum capax hinc res sacrae non praescribuntur, in genere non praescribuntur res quae non sunt in commercio.

3) Bona fides: qua possessor rationabiliter cre-

dit nemini facto suo iniuriam inferre at ad praescribendum requiritur etiam ut possessor bonae fidei possident animo domini. Quae bona fides iure canonico requiritur usque ad terminum temporis statuti. Ceterum quod successores in possessione iuris aut rei, si agatur de successore hereditario ei iuvat aut nocet bona aut mala fides antecessoris, secus si sit successor particularis dummodo non petat temporis accessionem. Verum mala fides Prelati impedit quominus Ecclesia vel Capitulum praescribat contra tertium.

4) Titulus iustus quatenus aliquis possessionem habuerit ex causa de se habili ad transferendum dominium; ita tituli iusti sunt emptio venditio, donatio, ect.: iniusti sunt pignus commodatum, depositum, ect. Tamen requiritur titulus verus, alioquin ~~ipse~~ non translatum esset dominium: sufficit tamen coloratus qui scilicet aliquo vitio intrinseco laborat, non autem putativus. Praescriptio enim sanat non titulum sed modum; vidimus enim quoad ad transferendum dominium requiritur titulus iustus et modus legitimus.

5) Iusta possessio continuata: de hoc iam diximus - dicitur continuata quatenus vel semper apud eamdem personam manet possessio vel titulo particulari de uno in alium transfertur. Interrumpitur continuatio possessionis si deficiat vel naturaliter vel praesumptione

iuris aliquod elementum necessarium ad possessionem praescribendam.

6) Tempus determinatum. Res mobiles cum titulo praescribuntur triennio. Res immobiles vel mobiles practicsae Ecclesiarum, nec non iura et actiones praescribuntur post 40 annos etiam sine titulo, dummodo praesumptio iuris, non faveat Ecclesiae quia tunc requiritur titulus coloratus. Inter privatas personas requiritur decennium inter praesentes vicennium inter absentes. Absentes sunt qui sunt in alia provincia. Quod si agatur de praescriptione 30 aut 40 annorum inter privatos quae dicitur longissimi temporis neque bona fides est necessaria.

Insuper adest praescriptio centenaria cuius initium ad centum annos protrahitur; immemorialis cuius initii memoria non extat. Centenaria est necessaria ad praescribenda bona et iura Ecclesiae Romanae.

Immemorialis autem dicitur in iure = melior titulus de mundo = et valet contra eum cui adsistit ius commune, neque indiget titulo, vim habet privilegii; nec censetur derogata nisi clausula = non obstante quacumque praescriptione etiam immemoriali. =

Titulus III.

De conclusione in causa.

Causa concluditur tum) per sententiam et rem

24. Solieri. 1901.

iudicatam, tum) per remedium contra sententiam idest per appellationem aut restitutionem in integrum.

Caput 1m

De sententia et re iudicata.

Audito fisci procuratore, aut actore, ac rei defensione sententia pronunciatur eiusque pars dispositiva Cancellario dictatur, expressa mentione facta si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur. Quae autem est sententia definitiva quae = scilicet controversiae finem imponens condemnationem aut absolutionem continet = at alia est sententia quae dicitur interlocutoria quae fertur pro aliquo incidente, vel emergente inter principium et finem causae et non terminat negotium principale = Interlocutoria alia) est simplex, alia) vim habens definitivae quae etiam appellatur provisionalis qua cum non plene constiterit de causa principali, ac proinde iudex ad sententiam definitivam procedere non possit, aliquem articulum pro rei necessitate provisorie definit.

Sententia definitiva differt ab interlocutoria sive simplici sive vim definitivae habente 1) quia definitiva scriptis proferenda est et quatenus res sit de condemnatione in causa criminali sanctio canonica cui poena inni=

titur, exprimi debet. 2) Sententia definitiva ab eodem iudice revocari non potest, potest vero sententia interlocutoria. Attamen haud impermissum est eadem die sententiam definitivam immutare quoad accessoria. 3) Sententia definitiva et sententia vim definitivae habens differunt ab interlocutoria simplici quod ab illis non vero ab ista datur appellatio iuxta Trid. Sess. 24. cap. 20. de reformatione.

Sententia definitiva quando talis est ut ab ea appellari non possit, vel elapsus sit terminus ad appellandum praestitutus, transire dicitur in rem iudicatam, et hinc executioni demandatur, et unicum superest remedium restitutionis in integrum. Effectus est ut sententia quae transiit in rem iudicatam ita pro veritate habeatur ut pro se habeat praesumptionem iuris et de iure. Ad rem principium iuris est: ut res inter alios iudicata aliis non noceat; ius enim solum facit inter partes.

Verum sunt sententiae quae numquam transeunt in rem iudicatam 1) si sententia lata est contra legem et canonem, vel a iudice incompetente, aut corrupto, vel a iudice qui processit ex errore facti, qui demonstretur evidenter 2) in causis matrimonialibus circa vinculum coniugale licet sententia sit executioni demandata 3) sententia condemnatoria in criminalibus.

Quod executionem sententiae iudex qui iudi-

cavit non subditum non potest exequi sententiam in alieno territorio, neque potest in genere exequi sententia index delegatur nisi sit delegatus Pontificis, aut hoc habuerit munus in delegatione.

Caput 2.

De remediis iuridicis contra sententiam ante vel post rem iudicatam.

Videbimus 1) De Appellatione, 2) de restitutione in integrum.

Articulus 1.

De appellatione.

Sententia reo intimatur qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere.

Appellatio est = provocatio ab inferiore ad superiorem iudicem facta ob aliquod gravámen illatum vel inferendum.

Iudex inferior dicitur a quo; superior ad quem appellatur.

Appellatio fit vel) a sententia definitiva, vel) a sententia interlocutoria vim definitivae habente, vel) quae influat in definitivam. Appellatio per se est iudicialis, vel extraiudicialis. Iudicialis fit a iudice procedente iudicialiter; secus

extraiudicialis. Nomine appellationis tamen sensu iuridico venit solum appellatio iudicia=lis, appellatio extraiudicialis dicitur potius recursus vel querela. Appellatio extraiudicialis sive recursus non habet vim suspensivam, nisi postquam iudex provocationem admittit ac examen de quaestione instituit, sed solum devolutivam; secus appellatio iudicialis. Omnis autem potest appellare qui gravamen ex sen=tentia, aut decreta sentiat etiamsi directe con=tra ipsum lata non sit sententia.

A sententia R. Pontificis non datur appellatio, imo contra appellantes a sententia Pont. ad futurum Generale Concilium in Bulla Coena Domini casu 2° statuitur poenam excommuni=cationis; est enim species schismatis cum non possit habere Concilium Generale sine Pontifice, ac Pontifici superius. Haec excommunicatio fuit renovata in Const. Apost. Sedis: est latae senten=tiae speciali modo Pontifici reservata. Attamen vetitur auris aperitio. Nec datur appellatio a senten=tia RR. CC. in causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus. Verum loco appellationis concedi potest beneficium novae audientiae quod aequi=valet quod effectum appellationi, imo appella=tio etiam solet vocari. = Regula generali appella=tio fit ab uno iudice ad alium immediate su=periorem, attamen semper fieri potest appellatio ad R. Pontificem omissis gradibus intermediae iurisdictionis. Praesentatur tamen appellatio co=

ram iudice a quo, etsi ex consuetudine possit simul coram iudice ad quem. A sententia Vicarii Generalis non appellatur ad Episcopum, cum Vicarius et Episcopus constituant unum tribunal, sed ad Metropolitanum. At praeteritur gradus intermedius, si iudex intermedius factus sit quomodocumque inhabilis ad videndam causam appellationis. Sunt autem nonnullae causae in quibus non admittitur appellatio uti v. g. si res sit notoria, si pars pacto transegit ect. aliae a quibus non datur nisi in devolutivo. Ad appellandum conceduntur decem dies a sententiae promulgatione, quod tempus dicitur fatale. Fatalibus diebus elapsis sententia iam transiit in rem iudicatam.

Appellatione interposita, continuo Curia ad auctoritatem ecclesiasticam superioris instantiae omnia acta causae in suis autographis, idest processum eiusque summarium, defensionem ac sententiam mittit.

Auctoritas superioris instantiae cognita appellatione appellanti iniungit ut intra 30 dies defensorem deputet qui ab ipsa approbandus est.

Quo tempore peremptorio frustra elapso censetur reus beneficio appellationis renunciasse, quam propterea iudex gradus superioris peremptam declarat. In appellatione a sententia Curiae episcopalis ad metropolitanam archiepiscopo in causa cognoscenda ac definienda e-

am procedendi methodo utitur, quam usque nunc evolvimus.

Notetur cum instructione S.C. Pr. Fid. quod = haud ita facile Curiae episcopales ad damna vel expensas resarciendas damnari poterunt; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant iudex appellationis a talibus damnationibus obstineat, cum ea indicia sufficiant ut in iudice qui antea processit ea vera et propria calumnia excludatur quae ad huiusmodi damnationem requiritur.

Articulus 2us

De restitutione in integrum.

Restitutio in integrum est = actio rei redintegrandae qua scilicet res in pristinum statum ponuntur in quo erant ante lesionem. = Restitutio est vel) gratiosa vel) ex iustitia prouti conceditur ex gratia principis, sunt a iudice iis qui ad eam ius habent. In iure conceditur minoribus 25. annis, vel maioribus qui iudicio abfuerunt causa reipublicae, vel in carcere detinebantur; itemque datur Ecclesiae quo nomine quidquid ad res vel personas sacras pertinet continetur; cum hac in re Ecclesia in iure aequiparatur minoribus.


Verum duo requiruntur ut detur hoc remedium extraordinarium 1) ut adsit causa iusta pro minoribus; est sola aetas; pro Ecclesia et maiori-

bus grave damnum. 2) Etsi restitutio in integrum detur etiam contra sententiam quae abierit in rem iudicatam, vel contra laesionem quam aliquis sit passus, tamen opus est a) ut negotium sit civile non criminale* b) ut sit ipso iure validum alioquin adest remedium nullitatis. c) ut negotium sit rescindibile d) ut petatur intra 4. annos nisi probetur legitimum impedimentum. Pro minoribus computatur a die qua quis excessit annum 25, quoad maiores a die a quo cessavit impedimentum quoad Ecclesiam a die cognitae laesionis.

* Quia talis sententia non transit in rem judicatam



-dum vocandi est informato conscientia.
-a vox data et tali sententia est suspensionis
que solum contra clericos.
-ius appellat ad R. Pontificem non ad quemcumque
-um ajt id nam Gregorius debet transmittere ann-
-a collecta contra clericum quod occultum cri-
occultum est quando a multoribus cognita
-ecretum


BOSTON COLLEGE
3 9031 01618434 3